




NOVA ACTA ERUDITORUM

ANNO MDCCXXXVIII

publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Prostant apud JO. FRID. GLEDITSCHII B. Fil.
MAURIT. GEORG. WEIDEMANNUM
& CASP. FRITSCHIUM.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZIUM & FRANC. PITTERUM, Parisiis apud BRIASSONUM, & Amstelodami in WAESBERGIORUM & WETSTENII officinis.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.
MDCCXXXVIII.

ILLUSTRISSIMO
ATQUE
EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO
JOANNI CHRISTIANO
DE HENNICKE

DOMINO MARSCHWIZII, WIEDERAVIAE, ETC.
POTENTISSIMO POLONIARUM REGI
ATQUE ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS INTIMIS,
CAMERAE REGIAE PRAESIDI VICARIO, DIRECTORI
CAMERAE EPISCOPALIS, QUAE NUMBURGI, CIZAE,
ET MARTISBURGI, EST, &c. &c.

DOMINO SUO INDULGENTISSIMO

PRAESENS ACTORUM ERUDITORUM
VOLUMEN
ET
CUM EO RES SUAS OMNES
SUBMISSISSIME OFFERUNT
COLLEGII, QUOD IN CONDENDIS ERUDITORUM
ANNALIBUS LIPSIAE OCCUPATUR, SOCII
INTERPRETE
FRIDERICO OTTONE MENCKENIO.

Scilicet hoc nostris satis est, o Maxime, Musis,
Si nequeant Phoebo displicuisse suo.
Et nos felices, modo TV, qui gloria secli
Diceris et patriae, munera nostra probes!
Sic agilis, sic sponte manus sua tractat et urget
Stamina, et antiquum texere pergit opus.
Sic, velut ex rostris, nos docti civibus orbis,
Ut fuerint meriti, libera iura damus.
Laudamusque bonos, per quos sapientia terras
Et loca pervadit non sibi nota prius.
Nempe liber tenuis multorum clara virorum
Nomina, multorum splendida facta, capit.
Olim TE solum pia pagina nostra loquetur,
Implebitque TVVS grande Volumen honor.

Lectori aequo et nostri studioso Salutem!

Adhuc, quantum in nobis est, id agimus, ne ab antiqua maiorum nostrorum virtute defecisse tantillum videamur, et, quod eos inprimis male habet, qui, quicquid aliorum accedit famae, id suae derractum putant, nunc etiam, qui olim fuit, sub praecordiis vigor sedet. Prodit enim *Actorum*, quae cupide legisti inde a tot annis, et approbasti magno nostro gaudio, *Volumen*, si *Supplementorum Tomos tres et decem*, *Indices*que *generales quinque*, addas, *quintum et septuagesimum*, idque prioribus, quaecunque dedimus, non solum ex parte nulla postponendum, sed, si quid ponderis iudicia Amicorum habent, nec hos amor nostri fallit, illis quodammodo praeferendum etiam. Certe, si ita liceat existimare, ipsum Operis tum pretium augeri, cum aucta moles fuerit, feret fortassis iure suo a te gratiam hic *Annus*, quippe ceteris ipsa forma speciosior, et, si non ditior bonarum rerum, quod dictum immodestius videri possit, certe plenior longe, *Partium*que copia instructior. Sed aliter fortassis ii iudicabunt, quibus potior nummorum, quam istiusmodi deliciarum, cura est, et qui omni malint hac carere merce nostra, quam aliquantulum maiori in posterum, quam olim consueverunt, eam pretio redimere. Quorum si ita nos habere rationem deceat, ut nihil valeat, quicquid nobis cogitationum honestum tui studium, et famae nostrae amor, suggerit, aut mutilos in posterum rei literariae annales dabimus, aut id unum nobis, quam multa, non quam bona, in his *Actis* locum inveniant, videndum erit. Sed utrumque horum cum ab instituto nostro, et a lege illa prima ac praecipua, quae nobis, hanc provinciam gerentibus, ob oculos versari debet, maxime abhorreat; ita illi, quicunque sunt, suarum opum callidi conservatores se nobis aequos praebeant rogamus, ut illud agere nos sinant, quod sit e plurimorum commodis, et, si recte nostro munere fungendum sit, fieri plane aliter non possit. Nam, qui illud reprehendere, et exprobrare nobis, audeat, quod, quae diximus de libris novis, per longam saepe paginarum seriem decurrant, omne ei amabilis illius brevitatis studium promittimus,

 simul

simul ac impetrare hoc a viris doctis potuerit, ne libros deinde bonos rerumque praestantissimarum plenos scribant, de quibus breviter et quasi raptim dicere, idem nobis est, ac negligenter dicere. Quod ipsum si rem bonam et in Ephemeridum scriptore tolerandam putas, erit in posterum, cur ab Annalium nostrorum lectione, quippe non tibi scriptorum, abstinendum putes. Dudum enim constat, et nunc etiam scire omnes volumus, nihil aliud nos agere, et in posterum acturos, quam ut ex Opere hoc nostro ad Lectorem fructus aliquis redundet, qui sane, si de optimorum hominum laboribus leviter et tanquam in transcursu sit commemorandum, prorsus nullus est. Quod quam verum sit, ipsi nos, cum alia subinde nostri temporis Diaria, in quibus sunt profecto, quae perparum rem literariam aut plane nihil iuvant, percurrimus, aut cum nonnulla etiam eorum, quae scripserant maiores nostri, relegimus, dolore nostro maximo experti sumus. Sed, cum hac ex parte, quod fuit nostri muneris, praestitimus, illud simul incommodi exinde natum est, ut minor solito librorum numerus nos iudices, aut, quod nec ipsum indecorum nomen est, laudatores, habuerit. Itaque, ne, quod altera manu dedimus, auferre id ipsum altera videamur, de explendis his lacunis dudum cogitavimus, addidimusque primum *Supplementa* Operi, postea, cum nec haec sufficerent, ipsos *Actorum* quasi fines extendimus, ita quidem, ut, cum *Mensium* facere maiorem numerum, quam fert annus quisque, non liceret, unum et alterum *duabus Partibus*, prorsus inter se aequalibus, distingueremus. Nec ea res, ut verum fateamur, assensu plurimorum destituta est, eorum inprimis, qui, nunquam satis studii consumi posse in re literaria, nec hic quidquam esse nimium, intelligunt, quorum etiam auctoritas et nutus sanctae nobis esse instar legis solet. Horum scilicet, quicquid alii existiment, satis ad id momenti habet approbatio honesta, ut, quam Volumini praesenti dedimus, eadem incedere, quaecunque postea sequentur, forma jubeamus. Sed, ut nihil valent, si divinis destituta sint auspiciis, hominum consilia, etiam quae bona et ex omni parte salutaria habentur, magno illi atque praepotenti Numini res nostras omnes commendamus, et, ut porro nostra studia, nemini molesta, multis fructuosa, clementer secundet, idque agere, quod bonum et honestum est, nos patiatur, per ipsam literarum salutem piis ab eo votis contendimus.



NOVA ACTA
ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXXVIII.

GENEALOGIA DIPLOMATICA AUGUSTÆ gentis Habsburgicæ, qua continentur vera gentis hujus exordia, antiquitates, propagationes, possessiones, & prærogativæ, chartis ac Diplomatibus, numero DCCCC, maxima parte hactenus ineditis, asserta; adjectis Sigillis, aliisque momumentis, æri incisis, Mappa item Geographica, & Indicibus locupletissimis. Hæc vero res non modo Habsburgicas universe corroborant, sed aliis etiam pluribus illustrissimis Germaniæ nostræ familiis, & patriæ medii ævi historiæ, lucem fœnerantur. Opera & studio R. P. MARQUARDI HERGOTT, Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Blasii in nigra sylva Capitularis, & magni Cellerarii, nec non Seren. Cæsar. Regiæque Cathol. Majestatis Consiliarii & Historiographi, Ordinumque anterioris Austriæ per Brisgoviam ad aulam Cæs. Deputati.

Tomus I.

Viennæ Austriæ, ex typographia Leopoldi Jo. Kaliwodæ, 1737. fol. max.

Alph. 4 plag. 7.

Quod de rebus publicis *Livius* scribit, eas a tenuibus initiis ad summum gloriæ fastigium pervenisse, idem ad domos

mos hodie illustrissimas posse applicari, minime est dubitandum. Ex quo perspicuum evadit, quam male suas subducant rationes, qui in ipso mundi primordio eundem gentis splendorem, quem hodie admiramur, demonstrare cupiunt. Commune hoc omnibus fere fuit vitium, quotquot, adulatione inducti, Augustæ gentis Austriacæ natales cum cura examinarunt, quam certe, ni Christiana professio, paganis purgata sordibus, severissime prohiberet, ad Deos immortales & majora gentis togatæ Numina retulissent. Dignum ergo & eruditione sua, & nostra ætate, opus suscepit *Marquardus Hergott*, Reverendus Benedictini Ordinis Sodalis, Vir & munerum splendore, & doctrinæ dignitate, magnus sane & egregius, dum felici sidere incognitam huc usque majorum Austriacorum seriem detexit, & ingentem errorum turpissimorum nubem Diplomatum ope dispulit. Contigit ei, quod quidem nescimus an multis, ut a *Carolo*, Imperatore Augustissimo, non uberrimis solum instrueretur subsidiis, sed &, quod maximum, in dies fere ad exigendum hoc felicis ingenii monumentum incitaretur. Nos & nostro & communi literarum nomine Augustæ thura damus clementiæ, summum precati vitæ necisque arbitrum, ut tantas orbis delicias, augendis pacis almæ studiis natas, communi patriæ in sera servare tempora, divamque, quæ in ipso eminet, virtutem gloria decorare summa, velit. Ipsi vero præstantissimo Autori, prosapiæ Augustæ vindici, grates debentur maximæ, quod, ut par erat, imperiali usus indulgentia, opus desideratum diu, nunquam exspectatum, orbi literato in manus tradidit. *Prius Volumen Dissertationes VIII* præliminares complectitur, tanto judicii acumine conscriptas, ut & genium defraudare nostrum, & in benevolos Lectores injurii esse, videremur, si, quæ iis continentur, intempestivo premeremus silentio. *Prolegomenon I præcognita quædam* sistit *Genealogica*, quibus tanquam norma in scribendo Rev. Autor usus est. Chartarum ibi habendam inprimis rationem existimat Vir doctissimus, quippe in quibus clariora apparent αὐθεντίας κριτήρια: ex quo consequitur, vagam esse illam *Huetii Palignesii*que regulam, qua auto-

Prol. I. §. 4.

autoritatem, ex vera petitam historia, autoritati instrumentorum parem pronuntiant. Præclara sunt, quæ de notis Diplomatum disserit, unde binas linguæ Germanicæ sub *Rudolpho I* introductæ, & subscriptionis sub *Maximiliano I* monogrammatibus suffectæ, in præsenti delibamus epochas. Primum Diploma Germanicum ad A. 1286 retulerat Ill. *de Gudenus*, Rev. Autor vero tale jam A. 1281 exaratum invenit, ideoque *Tom. II num. 602* inseruit, hoc etiam subjungens, in chartis Pagensibus multo ante theodiscum ἰδίωμα obtinuisse. Post chartas *cognomina* etiam & *insignia* curatius commendat consideranda, quippe quæ indubiam generis fidem faciunt. His quando uti cœperint in Germania Nobiles, incertum. *Gudenus* ipsa ante A. 1290 non adjecta statuit; at Rev. *Hergottus* factam *Rudolphi de Habsburg*, Præpositi Basileensis Ecclesiæ, & Rectoris Rhinfeldensis, mentionem in Tabulis A. 1265, 1271, & 1272, scriptis invenit, & proinde ipsa antiquitatis monumenta *Tom. II num. 464, 515, & 522*, exhibuit. Interea id notavit sollicite, non omnes, qui nomen Habsburgicum gerunt, ex illa gente esse oriundos, cum media ætate ministeriales quoque familiarum cognomen gentilitium adsciverint. Insignia, sicut in Sigillis ante Seculum XI plane non occurrunt, ita, si gentis speciatim Habsburgicæ rationem habeas, in chartis *Alberti* Comitis Seculo XII primum conspiciuntur. In *Prolegomeno II* de *fide Actorum S. Trutperti, deque Cenotaphiorum Habsburgensium, in Cœnobio Trutpertino repertorum, autoritate ad probandam Genealogiam Habsburgicam,* disserit Rev. Autor, Codicemque Zwifaltensem, a *Pezio* tanti æstimatum, mancum esse & interpolatum, aliique Sangallensi multis parasangis inferiorem, probat. *Prolegomenon III* de *ætate & αὐθεντίᾳ Actorum Murensium* dispicit. In his magnum semper præsidium collocaverant *Franc. Guillimannus, Christ. Hartmannus, Jo. Georg. Eccardus, Bern. Pezius*, aliique quamplurimi, sed jam olim fidem *Dav. Blondellus*, cum contra *Chiffletium* arma sumeret, reddidit dubiam. Erravit sane *Peirescius*, qui primus hunc ex Bibliotheca Parisiensi protraxit Codicem, cum Se-

[Margin notes: Prol. I. §. 8 — 9. — 13. — Pag. 10 num. 9. — §. 10. — Prol. II. — III. §. 1 seq. — 4.]

5. Seculi XI reliquias a se putavit evulgari. Innumera sunt, quæ falsitatem assertionis probant, argumenta. Scriptus
Prol. III. est in papyro usuali, quæ quidem ante Seculum XIV non inva-
§. 6. luit, literis Seculo XIII exeunti æqualibus, ceu de *i* accentu acu-
7 seq. to satis probavit Ven. Abbas Gotwicensis. Ipse textus ante scriptum Codicem vixisse prodit *Anselmum*, Abbatem, quem tamen A. 1178 demum electum, A. 1210 d. 9 Maji diem obiisse supremum, ex chartis fide dignissimis constat. Schema genealogicum, cujus in Actis illis mentio injicitur, per generationes singulas tantis scatet erroribus, ut rejiciendum summo jure vi-
11 seq. deatur. Incipit ab *Ita*, *Radebotonis*, Habsburgici Comitis, conjuge, ex sanguine Lotharingico oriunda. Non urgemus, indecorum esse, a fœmina stemmatis ordiri origines; id vero taciti præterire vix possumus, *Radebotonem* Comitis Habsburgici titulum nunquam gessisse, sed semper Comitem in pago Clegowe vocitatum, quanquam ipsum illud castrum, unde nomen circa A. 1114 duxit familia, ejus fundatum sit auspiciis. Quæ cum ita sint, nemo, arbitramur, litem movebit Rev.
25. *Hergotto*, quod, sine Diplomatum ope nullam esse Murensium Actorum vim atque virtutem, libere & ingenue pronun-
Prol. IV. tiaverit. *Prolegomenon IV de Comitatu Vindonissensi, veteribus Habsburgi Comitibus a Guillimanno perperam attributo*, inscribitur. Præfectos legionis Vindonissæ degentis dictos es-
§. 4. se Romanis Comites, mera est divinatio. Certe nec sub Francis, nec sub Germanis Imperatoribus ejus rei ulla occurrit mentio. Vulgo putant, post excidium urbis Vindonissensis, quod Seculo post N. C. III contigit, Comites illos in Altenburgum castrum transiisse. Ast charta de A. 1299, quæ *Windische*, ditionis Bernensis villam, ab *Altenburgo* distinguit, totam, ni fallimur, sententiam destruit ac evertit. Tria illa, quæ *Gudenus* ex pristino urbis splendore, MSto *Einsiedelensi*, & *Ekkehardo*, Seculi XIII scriptore, petit, argumenta parum aut nihil efficiunt. Quid enim ad nos urbis fastigium? Quis, *Landolaum*, cui Vindonissa tanquam hæreditaria dicitur obve-
Prol. V. nisse portio, Comitem fuisse, probabit? *Prolegomenon V* de *Comitatu Altenburgensi* agit, *quem scriptores nonnulli, præter fi-*
dem

dem monumentorum, genti Habsburgicæ adſcripſerunt. Prolegomenon VI Comites & Comitatus veteris Alemanniæ & minoris Burgundiæ recenſet, quorum memoria in tabulis antiquioribus occurrit, antequam Habsburgicum nomen clueret. Notari meretur, Comitibus ſæpiſſime in ſubſcriptionibus Diplomatum certum non aſſignari Comitatum, quem tum in iis præſumere oris decet, de quibus ipſius chartæ diſponit argumentum. Juvat hanc, probabilioremque reddit, regulam ſubſcriptio Diplomatis de A. 872 d. 7 Sept. quæ ita habet: *Ego itaque Liuto ſcripſi & ſubſcripſi, notavi A. XXXIII Ludovici regis, & ſub filio ejus Carolo, rectore ejusdem pagi, in quo præfata res ſitæ fuerant*, i. e. *Priſicouve*. Ex quo conſequitur, nobis, dum Auguſtæ gentis Habsburgicæ majores poſtulamus, ad terras ab iis poſſeſſas, inprimis ad Argoviam, eſſe reſpiciendum. Ad id itaque ſeſe accingit Rev. Vir negotium, & *Prolegomeno VII* ampliorem inchoat *de Provincia Burgundiæ Trans-Jurana, in qua & veteres Comitum ſedes, & ipſum, quod nomen genti dedit, caſtrum, deprehendimus*, tractationem. Magnæ hujuſce regni prærogativæ fuerunt & eminentiæ. Nemo in illis partibus *Ditmari* ætate, quæ in tempora *Henrici II* & *Conradi II* incidit, Comes vocatus eſt, niſi Ducis honore conſpicuus, & principali dignitate coruſcus: unde &, exſtinctis Burgundiæ Regibus, cum redirent in Germaniam, non Alemanniæ Ducibus paruere, ſed ab Imperatore immediatos rectores acceperunt. Subditi Argövienſis tractus *plenam* habebant *legem*, nec ulli Comitum jurisdictioni, ſi forenſem excipias, erant ſubjecti. *Prolegomeno VIII recenſionem* inſtituit *Codicum MStorum, de rebus Habsburgicis* tractantium, quos diligentiſſimus Autor, annis pannisque obſitos, e pulvere & tenebris Bibliothecarum protraxit, injuriæ temporum ſalutari conſilio ſubducturus. Laudat ibi, præter inſignem Anonymorum numerum, operas *Hug. Blotii*, JCti, *Alb. de Bonſtetten, Hier. Fabriani L. B. de Bekett, Glareani, Henr. Gundelſingeni de Conſtantia, Hobergkii, Petri Hozierii, Ulr. Kriegii, Wolfg. Lazii, Jac. Manlii, Petri Pauli Ormannici, Claudii Burgundi Perrodi, Jo. Raſeni, Jo. Mart.*

Prol. VI.

§. 4

Prol. VII.

§. 10.

pag. 57.

§. 11.

13.

Prol. VIII.

Ranſcheri, Caſp. Scioppii, Julii Solimanni, Jo. Stabii, Octav. Stradæ, Rich. L. B. Steinii, Laur. Weſſelii de Eſſen, Leon. Wurſbainii, & *inclutæ Facultatis Theologicæ Viennenſis:* at palmam præ reliquis omnibus *Theodoro Equiti & Comiti de Amaden* tribuit, cujus undecim de rebus Habsburgico-Auſtriacis Volumina calamo exarata *Gerh. Conr. a Drieſch* ſervat Poſonii, e quibus tamen primum *Peregrino* cuidam *de Tergeſto* debetur, ceu ex *Novis literariis* noſtris *A. 1733 d. 1 Jan.* didicit Rev. *Hergottus.* Tot tamque limpidi fuere fontes, ex quibus haurire Rev. Præſuli licuit. Attulit ipſe venuſtas ingenii dotes limatumque, quo maxime opus erat, judicium, atque his inſtru-

Lib. I ctus ſubſidiis, Volumen ſuum cedro dignum *ſex Libris* abſolvit.

Cap. I *Libro I* index datus eſt *de Chorographia Habsburgica*, ibique *Ca-*

§. 7. *pite I de ea generatim* agitur. Non fuere tenues Comitum poſſeſſiones, ut *Dav Blondellus* perſuadere eruditis voluit. Novimus equidem, *Rudolphum*, Regem Romanorum, in Epiſtola quadam profiteri, ſe ex tam humilis loci tugurio ad tam celſa & faſtigioſa palatia manus altiſſimas provexiſſe Sed ea erat Cæſaris illius pietas ac modeſtia, ut ſibi nihil, omnia divino tribueret arbitrio. Potentiam gentis evincit *Tabula chorographica*, in qua & immenſum laborem, & peritiam mediæ ætatis incom-

Cap. II parabilem, prodidit eruditiſſimus *Hergottus. Capite II pagus*

§ 1. *Brisgoviæ* deſcribitur, *in quo ſecundum Diplomata majores Habsburgicæ gentis ſedes ſuas primitus collocarunt*, cuique adeo ſingularem dignationem tribuunt ætatis mediæ monu-

2. menta. In iisdem oris Duces Zaringiæ, qui *Bircilones*, aut *Birchtilones*, i. e. *Bertholdi*, audiunt, multas poſſeſſiones habuerunt, unde factum arbitramur, ut eandem crederent utriusque gentis proſapiam. Hinc nec ab inſtituti operis ratione alienum judicavit Rev. Autor, ſi de *Comitatibus Bircilonum* nonnulla proferret in medium, deinde ſpeciatim disquireret, an Brisgovia avita fuerit majorum Habsburgicorum poſſeſſio, ejusque pagi brevem in tabula ſuppeditaret notitiam,

5. ſerie Comitum, qui ab A. 758 ad Seculi XI initia per illa loca imperarunt, ex chartarum veterum indicio ſubjuncta. *Caput III* inſcribitur *de Alſatia, primigenia majorum Habsburgico-*

gicorum ſede Trans-Rhenana. A *Carolomanni* ætate ad tempora *Henrici IV*, i. e. ab A. 770 ad 1083, Alſatia partim Ducibus, partim Comitibus, fuit concredita. His Landgravii ſucceſſerunt, in quibus poſt *Pirathilonem Luitfridus*, indubium majorum Habsburgicorum decus, per multum regnavit tempus. Variæ ſunt, fatemur, quæ hoc hiſtoriarum caput obfuſcant, tenebræ; attamen, maxima ex parte eas dispelli poſſe, arbitramur, ſi cum Rev. *Hergotto* obſervemus, 1) Seculo XII, quod novam quaſi in Germania condit epocham, non illos Comitatus, qui a pagorum Comitibus adminiſtrabantur, ſed bona Comitum allodialia evaſiſſe hæreditaria; unde contigit, ut monumenta Habsburgenſia nullos Argoviæ, Sisgoviæ, Rorenſes, & Zurichenſes Comites memorent, Habsburgicorum vero, Froburgicorum, Lenzburgicorum, Kiburgicorum, Homburgicorum, a burgis & caſtris ita dictorum, mentionem injiciant; 2) memoriam pagorum Seculo XII non tantum in antiquis tabulis donationum confirmatoriis, ſed & in recentioribus chartis ſervatam, quo ſpectant Diplomata de A. 1110, 1158, & 1161, in quibus Comites Rhetiæ deprehendimus; 3) Comitatus proprie ita dictos, Seculo demum XIII & XIV ſenſim hæreditarios evaſiſſe, Suitenſem A. 1217, Zurichovienſem A. 1245, Cleggovienſem A. 1325, Sisgovienſem circa A. 1363 Sequitur *Cap. IV de Comitatu Habsburgenſi in Argovia* tractatio. Poſſeſſiones Auguſtæ gentis, *in dem Eigen* vocatæ, partim allodiales ſunt & avitæ, partim beneficia cum officiis a Regibus conceſſa. Quam late patuerint, accurate definiri huc usque non potuit, id tamen certum, eas patrimonio *Wernheri* Epiſcopi contiguas fuiſſe. Ibi *Ratcboto* arcem *Habsburg* ædificavit, unde poſteriori ævo cognomen ſumſit familia, tantique illud æſtimavit, ut ceteris terrarum titulis præferret, nec cum quoquam communicaret, ceu lites cum Hiſpaniarum Rege, hoc ipſo Seculo obortæ, ſatis abundeque indicant. *Capite V* in *etymon nominis Habsburgici* inquiritur. *Bern. Pezius* ſcripta ad Ill. *Sinzendorfium* Epiſtola hoc tractavit argumentum, & *Habsburg* quaſi *Hauptburg* dictum exiſtimavit.

Fe-

[Margin notes: Cap. III §. 6 pag. 22 ſeq. (beside "mur, ſi cum Rev. Hergotto…"); Cap. IV. (beside "ſem circa A. 1363"); §. 2. (beside "Eigen vocatæ"); 3. (beside "cum officiis"); 4. (beside "Habsburg ædificavit"); Cap. V. §. 7. (beside "Bern. Pezius…")]

licius *Hansizium* divinasse, *Hergottus* putat, cui *Habsburg*, pro *Habburg* positum, castrum allodiale designasse videtur. *Cap. VI*
Cap. VI. fundationem castri, a *Wernhero*, Episcopo Argentoratensi, A. 1027 factam, illustrat, situm ejus exponit, & de variis arcibus cognominibus disserit. Tum *Cap. VII* agitur de *Comitatu Badensi*
VII–XV. *in Argovia; Cap. VIII* de *Comitatu Lenzburgico; Cap. IX* de *Comitatu Kyburgensi; Cap. X* de *Comitatu Pherretano*, qui magnam Sundgoviæ partem complexus est; *Cap. XI* de *Dominio & Burggraviatu Rhinfeldensi; Cap. XII* de *Dynastia Comitum Habsburgensium in Lauffenburg; Cap. XIII* de *Comitatu Rappersvilano*; *Cap. XIV* de *Landgraviatu Sisgoviæ, Dynastiisque Rotenberg*, & *Krenckingen*; *Cap. XV* de *Land-*
XVI. *graviatu Cleggoviensi. Cap. XVI* ad exponendam *feudalem* Comitum Habsburgicorum *curiam* appellit Rev. Autor ani-
§. 2 mum, qua quidem in re ut curioso satisfaciat lectori, pri-
pag. 81 seq. mum ministeriales recenset, quorum deinde nomina ordine chronologico digesta exhibet, id solum miratus, nullum se
90 seq. *Camerarii* indicium in omni antiquitate media observasse.
§. 4 Tum ipsa de vasallis & clientibus, adjecto elencho nominum,
pag. 90. succedit tractatio, tandemque feuda advocatiæ & jura patro-
Cap. XVIII natus in illa ditione nominatim adjiciuntur. *Cap. XVII Si-*
§. 1. *gilla & insignia domus Habsburgicæ* lustrantur. Præmissis observationibus generalibus, cuilibet scilicet equiti competiisse olim liberam, clypeum pro *arbitrio* ornandi, potestatem, & tria exstitisse Sigillorum genera, alia regia, seu majestatis, alia equestria, seu autoritatis, alia minora, seu quotidiana, monet *Hergottus*, se de secunda imprimis specie sollicitum origines ipsius Seculo X reperisse, in gente autem Habsburgica tabulas *Alberti* Comitis, qui Seculo XII vixit, primum exhibere Sigillum cum figura Comitis equo insidentis, dextra strictum vibrantis gladium, sinistra autem scutum, leonem præferens, tenentis, monumentum. Simplicis-
14 seq. simæ huic leonis speciei sequiori tempore major accessit cul-
17. tus. Sic insigne, A. 1606 in monasterio Sedorffensi depi-
pag. 101. ctum, in area subviridi argentatum cælatumque leonem, angulis

ungulis, dentibus, oculisque paulisper depressis, & albo colore pictis, exhibet. Non multum Sigillis Comitum ministerialium insignia distant, quæ quidem Rev. Præsul æri incisa, & eruditis observationibus illuminata, sistit. Subjungemus ex annotationibus nonnullas, quas nosse interest. *Formam* quod attinet, Sigilla triangularia ante *Alberti IV* ævum non adhibita, quippe quo rotundam obtinuisse formam legimus. *Leo* illustris familiæ dignitatis argumentum est, nec tamen ampliorem inde concludendi præbet materiam. *Lilia* quinque cum pinnis pavonum, quas quidem pro nolis perperam habuerunt, inseruit A. 1259 *Rudolphus* Comes, eaque re intempestivæ Criticorum opinioni de Gallica Habsburgicæ gentis origine dedit occasionem. Etenim non perpenderunt boni homines, vix ultra Valesiæ stirpis Reges lilii usum in Gallia extendi posse, ceu, præter *Tilletium Chiffletium*que, haud ita pridem *Spellmannus* evicit. *Cap. XVIII* in *veras* inquiritur *gentis augustæ origines.* Triplex hic poterat tractari quæstio, 1) quo tempore *Habsburgi* nomen clarere inceperit; 2) quænam fuerit patria, conditio, & dignitas majorum Habsburgicorum; 2) ad quot retro Secula per majorum Habsburgicorum seriem non interruptam remeare liceat. Sed, cum & prima & ultima commodiorem explicationis locum invenerint, hoc Caput alteri inprimis quæstioni dicatum est, ad quam quidem illustrandam notamus, *majores gentis Habsburgicæ fuisse Comites majores Ordinis, paresque Principibus, ex veteri Alemannia oriundos, stabilem vero in Burgundionum regno sedem posuisse.* Nam ante arcem in Argovia, indubia Alemanniæ veteris provincia, conditam, hæreditarias habuerunt possessiones, Landgraviorum quoque officio ibidem functi. *Liber II Genealogiam Habsburgicam* ita tractat, ut a *Rudolpho*, Rege Romanorum, ad majores ipsius, ope Diplomatum, adscendat. Ampliora hæc sunt, quam ut in compendium redigi possint. Interim facere non possumus, quin cum Lectore Genealogicam, quam Cl. *Hergottus* concinnavit, Tabulam communicemus:

Margin notes: §. 18. — 20. — 21. 22. — Cap. XVIII. §. 4. — 6. — pag. 108. §. 13. — 18. — Lib. II.

ETHICO, vel ADELRICUS,
Dux Alemanniæ, uxor *Bernsvinda*, Burgunda.

Ethico II, Dux Alem. a quo domus Lotharingica originem ducit. — Adalbertus, Dux Alemanniæ. — N. occisus a patre. — S. Odilia, Abbatissa Hohenb. — Hugo.

Luitfridus II, Dux Alemanniæ. — Eberhardus, Comes. — Eugenia, Abb. Hohenb. — Attala, Abb. S. Steph. — Gundlindis, Sanctim.

Thietbaldus, seu Theobaldus, Dux Alem. — Luitfridus III, Dux Alem.

N.
Opertus, avus *Ramberti*.
N. filius *Operti*.
Rambertus.

Luitfridus IV, Comes.

Lutardus, Comes. — Hugo I, Comes. — Ruadrut, Abb. S. Steph. Argent.

Gerardus, Comes, uxor *Bertha*. — Luitfridus V, Comes. — Adalardus, Comes. — Hugo, † puer. — Ermengardis, uxor Lotharii Imp.

Theodericus, † juvenis. — Heva. — Hugo II. — Luitfridus VI, Comes illustris.

Humfridus. — Luitfridus VII. — Hugo.

Guntramnus Dives. — Luitfridus VIII.

Lantholdus, seu Lancellinus.

Radeboto. — Wernerus I, Ep. Argent. — Rudolphus, Comes.

Otto I, Comes Sundg. — Wernerus II. — Albertus I. — Richenza.

Otto II, Comes. — Adelbertus II, Comes.

Wernerus II, Comes.

Wernerus III, Comes.

Adelbertus III, Comes Habsb.

Rudolphus, Comes Habsb.

Adelbertus IV, Comes Habsb. — Rudolphus, Comes Habsb.

RVDOLPHVS, Comes Habsb. & Kyburg. dein *Rex Romanorum*.

Post

Post innovatam patrum memoriam *Liber III Genealogiam* ita instituit, ut *posteros*, seu *lineam*, quam vocant, *descendentem*, *Rudolphi*, *Regis Romanorum*, examinet. Agit ergo *Caput I* de *Alberto*, *Romanorum Rege*, & *reliqua prosapia Rudolphi I.* Primogenitum fuisse *Albertum*, dubitare nos non sinunt chartæ, quas *Tom. II num. 570, 608, 621*, Rev. Pater attulit: ex quo *Albertus Argentinensis* confutari poterit, qui, filium quendam patri cognominem primo editum fuisse loco, autumat. Secundum natu omnes istius ævi Autores *Hartmannum* faciunt. Is, quod mireris, nullibi *Ducis Austriæ* superbit titulo, quia forsitan jam tum aquis Rheni prope Waldishutum mersus vitam finiverat, cum fratres eum sibi arrogarent. Tertio filiorum *Rudolphi II* nomen hæsit. De eo multa scriptoribus rerum Germanicarum memoriæ sunt prodita. Filium *Joannem* genuit, quem posthumum arbitratur *Birckenius*, quique sub tutela *Alberti* patrui in Diplomate de A. 1292, *Tom. II num. 664, 666*, reperitur. Nec filiæ *Rudolpho* Cæsari defuisse videntur; quæ vero nomina gesserint, quorum junctæ sint matrimonio, nos quidem ignoramus; quanquam *Albertus Argentinensis*, *Hennigesius*, & *Bucelinus*, ea omnia audacter tradiderint. *Capite II* de *conjugio & prole Alberti* varia Rev. Autor congessit. Hic ex *Elisabetha*, *Meinhardi III*, Carinthiæ Ducis, & Comitis Tyrolensis, filia, sex natos genuit, *Rudolphum*, *Fridericum*, *Lupoldum*, *Ottonem*, *Albertum*, & *Henricum*. Fulget inprimis *Friderici* nomen, quippe qui in Diplomate de A. 1321 *D. G. Romanorum Rex semper Augustus* pactum successorium, a *Wernhero*, Comite Hombergensi, & *Joanne*, Habsburgensi, initum, regio majestatis signo confirmat. *Albertus II* eo nomine venit commemorandus, quod per nuptias cum *Joanna*, *Ulrici* Comitis filia, contractas amplissimam adierit hæreditatem, primusque *Comitis Phirretarum* titulo usus fuerit. Is, ut *Capite III* docetur, *gentem quatuor propagavit filiis*, *Rudolpho*, *Friderico*, *Alberto III*, qui ob Matheseos cultum *Astronomus* audivit, interque lineæ Austriacæ majores primum locum obtinuit, & *Lupoldo*, Tyrolensis lineæ conditore, cujus effigiem, Consiliariis præcipuis,

[Marginalia: Lib. III, Cap. I. — §. 2. pag. 202. — §. 3. — 4. — 5. — Cap. II. §. 2 seq. — pag. 207. — §. 6. — Cap. III. §. 4. — 5.]

Joanne Comite *de Ochsenstein*, & *Ottone*, Marchione Hachenbergensi, stipatam, e tabula ænea monasterii Kœnigsfeldensis
Cap. IV. depingi curavit Rev. *Hergottus*. Ille nunc *Capite IV Alberti III* & *Lupoldi Probi propagines* delineaturus, posteros quosvis ad *Ladislaum* usque & *Maximilianum I* Imperatorem serie non
§. 2. interrupta recenset. *Alberto* ex *Beatrice*, *Friderici*, Burggravii Noribergensis, filia, natus est *Albertus IV*, qui *patiens* & ob notitiam *ποικίλην mirabilia mundi* dictus legitur. Is ex *Joanna*, *Alberti* Bavari filia, si scriptoribus ejus ævi sine robore Diplomatum fides, *Albertum V* suscepit, quo nomine forte *Albertus II* indicatur, cui redditum quasi postliminio imperiale decus, & cui jam defuncto uxor *Ladislaum*, Regem Hungariæ, quadrimestrem posthumum, peperit. *Lu-*
3. *poldus Probus* quatuor reliquit filios, *Wilhelmum*, qui ob venustatem morum *Aulicus* & *Affabilis* dictus est, *Fridericum*, *Sigismundi* patrem, cujus mentio injicitur in literis, ad *Carolum*, Franciæ Regem, scriptis, apud *Leibnitium* in Cod. Jur. gent. *Tom. I pag. 349*: *Leupoldum*, quem A. 1410 in album mortuorum retulit necrologium Murense: *Ernestum Ferreum*, felicem trium liberorum, *Friderici* nempe *IV*, Impe-
Lib. IV. ratoris, qui *Maximilianum I* procreavit, *Alberti*, & *Ernesti*, patrem. *Liber IV* inscribitur *de Genealogia Lauffenburgo-Habsburgica, in qua a Rudolpho, Comite Habsburgico, cognominis Alsatiæ Landgravii, filio natu secundo, ad ejus posteros, Habsburgi Comites, Dominos Lauffenburgi, dein & Rapperswilæ atque Rotenbergæ, nec non Landgravios Cleggoviæ atque Sissgoviæ, usque ad ultimum hujus stirpis Comitem Habsburgicum,*
Cap. I. *stemma deducitur*. *Capite I nomen* celebratur *Rudolphi Taci-*
§. 2. *turni*, Habsburgi Comitis, a *Rudolpho I* & *Agnete*, *Gottfridi de Staufen* filia, geniti, quem *Lauffenburgicæ stirpis satorem* fata
Cap. II. voluerunt. Is, ut *Capite II* legimus, *filios quinque* genuit,
§. 2. quorum quis fuerit senior, non satis constat. *Wernherum* in Cœnobio Wettingensi humatum scriptores nominant, eique *Manlius* fratrem germanum *Hartmannum* tribuit, de quo al-
4. tum in Diplomatibus silentium. *Gottfridum*, cujus potentiam æqualia loquuntur monumenta, in chartis paternis testem sæpius advo-

advocatum, frequentes ipsius subscriptiones testantur. Is Lauffenburgicas sibi sumsit possessiones, ideoque in Diplomate A. 1258 Indict. I dato, omisso gentis titulo, *Comes de Louffenberche* dicitur, *Tom. II num. 320. Rudolphus*, tertius natu filius, eodem die, quo patruelis regale solium conscendit, a Capitulo Constantiensi electus est Episcopus. *Otto*, cujus in biga Diplomatum de A. 1253 occurrit mentio, nil memoratu dignum gessisse videtur. De *Eberhardto* in sequenti libro amplior erit dicendi occasio. Nobis *proles Gottfridi* lustranda est, quod *Cap. III* fecit Rev. Autor. *Rudolphus*, filius, Rappersvilæ Dominus & Comes Habsburgi appellatur. Felices ipsi nuptiæ contigerunt. Ducta enim *Elisabetha*, *Rudolphi* Rappersvilensis ex *Mechtilde* filia, vidua *Ludovici*, Comitis Hombergensis, non modo omnia, quæ socer feudi titulo per manus *Anselmi*, Einsidelensis Abbatis, acceperat, quæque in chartis de A. 1261. 4 id. Jan. *num. 445*, & de A. 1296 *num. 678*, *Tom. II*, recensentur, dotis loco obtinuit, sed etiam majori parte ditionis Rappersvilensis cum firma reliquæ a *Wernhero*, *Elisabetha* ex thoro priori filio, possessæ partis stipulatione potitus est. Nec prole caruit. Natus quippe ipsi *Joannes I*, Habsburgi Comes, Cleggoviæ Landgravius, Dominus Rappersvilæ, teste tabula de *A. 1310. 10 Cal. April. Tom. II pag. 705*, qui, præter filium cognominem natu majorem, alios binos *Gottfridum* & *Rudolphum*, qui in charta de A. 1351 d. 18 Jan. *Tom. II num. 800*, *Kilcher zu Stunzingen*, i. e. Stunzingensis Ecclesiæ rector & patronus, appellatur, cum filia *Agnete*, formosa ejus ætatis puella, genuit. *Joannes alter tertium* procreavit, in quo cum quidam eum cum *Joanne IV*, extremo gentis, Juniore ad A. 1395 usque appellato, confunderent, lineam Lauffenburgicam desiisse, perperam existimarunt. Ita *Libro IV* finem impositurus Rev. Autor, *Capite* ultimo ultimas ultimi Comitis *Joannis* filias, *Ursulam* & *Agnetem*, in scenam producit. Sequitur *Libro V Genealogia Kyburgo-Habsburgica*, seu *de Kyburgiis posteris ex Lauffenburgica stirpe oriundis* tractatio. Hanc lineam *Eberhardus I*, *Rudolphi Taciturni ex Gertrude Regensbergica* filius, *Anna*, nata *Hartmanni*,

Cap. II. §. 4. 5. 6. Cap. III. §. 3. Cap. IV. V. §. 2. Cap. VI VII. VIII. pag. 252. Lib. V. Cap. I. §. 2.

 Comi-

Comitis Kyburgensis, ex *Elisabetha* conjuge in matrimonium
Cap. II. adscita, condidit, atque ad filios, *Hartmannum I* & *Eberhar-*
§. 7. *dum II*, qui primus *Comitis Kyburgensis* titulum, cum *Land-*
gravii Burgundi elogio, assumsisse legitur, propagavit. *Eber-*
hardus Hartmannum II & *Rudolphum* genuit, quibus *Franc.*
Guillimannus Eberhardum, Canonicum Basileensem, & *Joan-*
nem, Argentinensem Præpositum, addit. Sed mox in prole
Cap. III. *Hartmanni* amplissima gens desiit. Nondum eruere potue-
IV. runt Critici, quot susceperit *Hartmannus* liberos. *Chronicon*
Tschudianum Egonem & *Berchtoldum* nominat, ex *Anna Ni-*
dowiensi procreatos. His *Guillimannus* & *Henricum* addit &
filiam *Verenam*, *Friderico Muli*, Zollerano Comiti, matrimo-
pag. 261. nio junctam. Servavit gentis memoriam monumentum se-
pulchrale, quod in asceterio principali monialium *de Schæ-*
nis reperit, & ob venustatem sine mora depinxit *Hergottus*
262. noster Celeberrimus. Superest *Liber VI*, quo *consanguinei &*
Lib. VI. *affines Augustæ Domus Habsburgicæ* ex monumentis veteribus
eruuntur. Omnis tractatio ad potiora quatuor redit capita.
Cap. II. Primum enim Rev. Autor dedit operam, ut eas nominaret
familias, quæ antiquos Comites Habsburgicos, antequam in
plures lineas dividerentur, propinquitate sanguinis attigerunt,
quo quidem pertinent *Zaringensis*, *Badensis* in *Argovia*, *Lenz-*
burgensis, *Nellenburgensis*, *Thiersteiniana*, *Pfullendorfensis*,
III. *Montis Billigardensis*, *Froburgensis*. Deinde speciatim Do-
mus *Austriacæ* agnatos in monumentis obvios recenset, in
quem censum veniunt *Comites Kyburgi*, *Hohenbergenses*, *Ty-*
rolenses, *Palatini*, *Pherretenses*, *Marchiones Badenses*, item-
que, qui nomine *avunculorum* compellantur, *Marchiones de*
Hachberg, *Fridericus*, *Burggravius Noribergensis*, *Comites*
IV. *Furstenbergici*, *Friburgenses*, & *Werdenbergici*. Tum ab *Au-*
striacorum linea ad *Lauffenburgensem* gressum faciens, ei *Co-*
mites Rapperswilenses, *Hombergenses*, *Oettingenses*, *Sulzenses*,
Ochsensteinios, *Montfortenses*, *Halsenses*, *Dynastas Reginsber-*
genses & *Balbenses*, *Barones* & *Nobiles Landerbergenses*,
Krenchingenses, & *Klingenses*, sanguinis nexu fuisse conjunctos
V. refert. Denique cognatorum *Kyburgensium* recensione finem
impo-

imponit Operi illustri, &, sive argumentum, sive doctrinam spectes, prorsus magnifico. Ad hanc classem pertinent *Comites de Herdenberg*, ex quorum quippe familia mater posterorum Kyburgensium, *Anna*, trahit originem. Eodem *Nidowienses* Comites referendi sunt. *Elisabetha* enim, *Joannis II* uxor, e primo conjugio *Rudolphum* Comitem *de Nidow* enixa est.

DELL' ANTICHITÀ ED ORIGINE DI ROMA
Dissertazione istorica &c.
h. e.

DE ANTIQUITATE ET ORIGINE URbis Romæ Dissertatio historica JO. STEPHANI GRANARÆ, Infirmorum Ministri, dedicata Eminentiss. & Reverendiss. Principi, Cardinali FRANCISCO BORGHESE. Opus Introductionis loco futurum ad Historiam qualemcunque, qua de Roma antiqua differetur.

Venetiis, apud Jacobum Mariam Lazzaronum, 1734, 4 maj. Alph. 4 plag. 5, cum Fig. æn. 8.

In prolixa hac Dissertatione historica, cujus denominationis rationem ex colloquiis, a se cum amicis quibusdam habitis, petitam esse ait, in præmissa ad *Antonium Conti*, Patritium Venetum, & Regiæ Societati Londinensi adscriptum, Epistola, doctissimus Autor sub examen vocat, & contra aliter sentientes defendit, receptam communi fere eruditorum suffragio opinionem de urbis Romæ fundatione per *Romulum*, eamque, magno cum argumentorum apparatu in utramque partem, *quadraginta tribus Capitibus* discutit, ex quibus præcipua annotabimus. Scilicet, postquam *Capite secun-* Pag. 13 seq.
do asseruit, aliam Romam, ab eaque, quam *Romulus* fundasse perhibetur, diversam, non exstitisse, *Cap. III* varias opiniones 26 seq.
antiquorum circa originem Romæ, quibus duas aut tres ejusdem nominis urbes fuisse videtur, exponit, & dein *Cap.* 46 seq.
IV ea, quæ tam intuitu Albæ ac Albanorum dominii in Latio narrantur, quam Æneæ adventum in Italiam, ut vera sibi

ſibi concedi poſtulat. *Cap. V*, ſcriptores *Cicerone* vetuſtiores fide dignos eſſe, ſuaque ex antiquiſſimis monumentis collegiſſe, ac ad ſententiam ſuam ſtabiliendam
Pag. 74 ſeq. recte allegari, probat. *Cap. VI*, Romam ullam antiquiorem *Romuli* tempore, illumque ejus jam deſtructæ tantum
85 ſeq. reparatorem fuiſſe, negat. *Cap. VII* opinionem aliam de il-
98 ſeq. lo Romæ adhuc exiſtentis inſtauratore impugnat. *Cap. VIII* & *IX* diſquirit, an Roma excidio Trojano vetuſtior fuerit, & ante illud tempus jam deſtructa, eamque opinionem rejicit.
120 ſeq. *Cap. X*, *Ariſtotelis* autoritatem, quæ ad fundationem urbis Romæ Græcis tribuendam adducitur, nullius momenti eſſe,
144 ſeq. monſtrat. *Cap. XI* ſententiæ *Gronovii*, originem Romæ ad *Dioclem Deparetium* referentis, alia argumenta opponit, ac fabulas quasdam, hiſtoriæ *Romuli* admixtas, ſibi non obſtare,
169 ſeq. reſpondet. *Cap. XII*, urbem Romam a Græca gente originem ſuam cepiſſe, negat, etiamſi, *Romulum* multos ex ea in
177 ſeq. novam coloniam admiſiſſe, concedat. *Cap. XIII* & *XIV* argu-
199 ſeq. mentum, ex etymologia & ſcriptione Græca vocis Romæ de-
229 ſeq. ſumtum, refutat, &, vere Latinam eſſe, oſtendit. *Cap. XV* &
258 ſeq. *XVI* novum argumentum de etymologia vocis Romæ, ſi non Græca, attamen Pelasgica, reſponſione ſua diluit, ac in Pelasgorum ſimul & Tyrrhenorum originem antiquam, & in Ita-
275 ſeq. liam transmigrationem, inquirit. *Cap. XVII* & *XVIII* etyma
290 ſeq. vulgaria nominis Tyrrhenorum examini ſubjicit, ac illud ab
307. 316. Hebraica voce תרן *Toren* derivat. *Cap. XIX* & *XX*, Pelasgos a Tyrrhenis diverſos eſſe, quibus rationibus, & num recte, aſſeratur, exponit, &, antiquos Pelasgos a *Phalego* nomen quidem, ſed non, rigoroſe loquendo, originem omnes trahere,
322. cenſet. *Cap. XXI* declarat, quo ſenſu Roma ab antiquis civitas Tyrrhena ſit dicta, exponit, &, Pelasgos Phalegianos cum Aboriginibus quidem eosdem, illorumque linguam cum Tyrrhena affinem eſſe, neque tamen originem vocis Romæ Pelas-
341. 357. gicam inde probari, contendit. *Cap. XXII* & *XXIII* novam objectionem de nomine Romæ ad Pelasgos ſanguine Græcos, licet non lingua, referendo proponit, ac illorum originem *Pelasgo*, filio *Neptuni* & *Lariſſa*, attribuit, & per varias rationes allatas con-

confirmat. *Cap. XXIV* primam originem nominis Græcorum & Hellenum indagat, ac vetustorum Pelasgorum habitationem in Thessalia collocat, unde in Italiam migrarunt. *Cap. XXV* de multiplici linguarum & characterum diversitate disserit. *Cap. XXVI* & *XXVII* harmoniam linguæ Græcæ antiquæ & Italicæ seu Latinæ, & varias dialectos illius simul ostendit. *Cap. XXVIII* de characteribus antiquis ante diluvium universale, usu Ægytiacorum ante Græcos a *Cadmo* in Græciam illatos, quem Japhetum fuisse negat, & prætensa a Pelasgis vocis Romæ origine, amplius agit. *Cap. XXIX* de origine, numero, ac conditione primorum characterum Græcorum & Latinorum, de digammate Æolico, & scriptione Græca vocis Romæ per aspirationem, disserit, & ex dictis, originem urbis a *Romulo* petendam esse, concludit. *Cap. XXX* argumentum ex magnifica & splendida cloacarum fabrica depromtum considerat, ex qua, Romæ tam brevi tempore consummatam exstructionem minus probabilem esse, objectum
ei fuerat. *Cap. XXXI* antiquorum nummorum, in quibus Pag. 501.
novum contra ipsum argumentum ponebatur, originem atque ætatem dijudicat, ac inter alia apud Hebræos nummi genus, קשיטה dictum, ab agno monetæ impresso nomen habere
negat, & *Cap. XXXII* hoc argumentum de nummis porro fu- 530.
sius illustrat. *Cap. XXXIII* sententiam de monetis in Italiam 543.
Numæ demum tempore introductis propugnat. *Cap. XXXIV*
errores *Ottonis Sperlingii* & aliorum circa originem 562.
nummorum perstringit, vocem pecuniæ a pecus & moneta, ab Hebræa מנה, derivans. *Cap. XXXV* & *XXXVI* ad te- 587. 610.
stimonia, ex Autoribus antiquis adducta, de prima impressione monetarum *Jano* & *Saturno* vindicanda, respondet. *Cap.*
XXXVII, *XXXVIII* & *XXXIX*, quisnam sub nomine *Jani* & 630. 637.
Saturni lateat, an *Noachus*, aut *Japhetus*, filius ejus, an *Moses*, 662.
prolixe disquirit, &, moneta capite bifronte & navis puppi signata qualis sit, suam opinionem affert. Inscriptos Romæ nomine nummos nec adeo antiquos esse, ex literæ ultimæ insolita figura probari posse, *Cap. XL* & *XLI*, nec illos ad fun- 679. 686.
dationem Romæ repræsentandam alludere, judicat, & *Cap.* sequente

Pag. 697. quente plures monetas, e. g. illam, quæ una parte aquilam, altera lupum, aliam, quæ centrum, aliam, quæ mulierem pelle apri veſtitam, exprimit, & reliquas, pro illa opinione confirmanda ab aliis adductas, ingenioſe explicat, ac *Capite*
721. ultimo de quarta, quinta, ſexta, ſeptima, imaginem ſolis & lunæ impreſſam, item equum, & alios typos, exhibente, multa erudite obſervat, ut, quonam illæ reſpexerint, conjici queat.

DISSERTATIONES APOCALYPTICÆ, exercitiis Academicis ventilatæ, & conſcribendo in ipſam Joannis Theologi Apocalypſin Commentario præmiſſæ, a JOANNE VAN DEN HONERT, T. H. filio.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmanns, 1736, 4. Alph. 1 plag. 2½.

Graviſſimum quidem in ſe negotium ſuſcipiunt, qui divinas qualescunque revelationes hominum, quos cœleſtis afflavit aura, penitius introſpicere, & ex involucris, quibus contectæ jacent, eruere, apud animum conſtituunt; at omnium tamen maximæ difficultates obverſantur, ſi quis Apocalypſin *Joannis* Theologi, myſteriorum divinorum pleniſſimam, explicare & illuſtrare conetur. Cauſa hæc potiſſimum eſt, quare doctiſſimi ejus interpretes in diverſas hic illic abeant ſententias, nec in explicationibus, niſi pauciſſimis, communem inter ſe opinionem tueantur. Verum, ſicuti hoc nequaquam impedire debet viros eruditos, quin exponendo libello operam ſuam impendant, ita nec Clariſſimum *Joannem van den Honert* detinuit, quo minus de conſcribendo in Apocalypſin Commentario cogitaret, ipſique *ſex* has, quarum *quinque* priores
Pag. 161. in Academia Trajectina, *ſextam* in Lugdunenſi, ventilavit, Diſſertationes præmitteret, effecturus hac ratione, ut non mole tantum minor, verum etiam uſu facilior, propter multas de medio ſublatas difficultates, ſingulorum deinde verborum phraſiumque Commentarius ſit futurus. Operæ ergo facturos

ĉturos nos arbitramur pretium, ſi Diſſertationum harum doctiſſimarum argumentum, & peculiares quasdam Clariſſimi Autoris opiniones, paucis expoſuerimus. *Diſſertatio I* analyſin Apocalypſeos exhibet, & hanc judicat elegantiſſima Epiſtolæ forma conſcriptam eſſe, adeoque tres habere partes, nempe *Exordium*, a titulo libri usque ad comma octavum; Pag. 4.
deinde *Argumentum* totius libri, conſiſtens in myſterio ſeptem ſtellarum & ſeptem candelabrorum, una cum harum rerum tum repræſentatione, tum explicatione uberiori; *Epilogum* denique, ab ultimi Capitis commate octavo usque ad finem. In argumenti tractatione præter alia docetur, ſeptem ſpiritus ſignificare unum ſpiritum Dei in relatione ad ſeptem œconomiæ Evangelicæ tempora, & ſeptem eccleſias, occaſione a ſeptem Aſiaticis eccleſiis deſumta, ſignificare ob eandem rationem unam eandemque Eccleſiam. Atque huc 8.
refertur etiam apertura ſeptem ſigillorum, & clangor ſeptem tubarum. Mulierem, draconi tantopere inviſam, cujus meminit *Joannes Cap. XII*, non fuiſſe *Mariam*, matrem Servato- 12.
ris, ſed Eccleſiam, multa ſpe & exſpectatione gravidam, usque dum reſurgeret *Meſſias* primogenitus ex mortuis, variis argumentis ſtabilitur. Per *Michaelem* Archangelum intelligi 15.
dicitur Spiritus Sanctus; per primam beſtiam, multis capitibus e mari prodeuntem, in *Cap. XIII, 1 – 10*, incurſus graviſſimarum hæreſium; per alteram beſtiam, e terra oriundam, quæ cornua ſimilia agni habebat, ſed tanquam draco loquebatur, Antichriſtus Romanus, idemque etiam per mulierem meretricem, beſtiæ multorum capitum inſidentem; per Hieroſolymam vero novam, ſanctam urbem, cœlitus de- 23.
ſcendentem, Eccleſia, in his terris verſans. *Diſſertatio II* de ſeptem ſpiritibus Apocalypticis, ex *Cap. I, 4, 5, III, 1, IV, 5, V, 6*, agit. Ante omnia hic innumeris ferme ſcriptorum 30.
veterum locis demonſtratur, halitum & ſpiritum ſecundum ipſam rerum naturam non pro aliquo accidente, ſed pro neceſſario & eſſentiali vitæ animalis actu ſignoque, haberi, & ſæpiſſime ad mentem applicari. Mentis autem eſſentiam Autor conſtituit in τῷ cogitare, eamque ait eo rectiſſime

nomine exprimi, quo id, quod in vita animali non accidentale, sed essentiale, est, indicatur. Atque hoc sensu nomen illud non tantum de mente humana, deque angelis bonis & malis, verum etiam de Deo in genere, aut de divina Christi natura, maxime vero de tertia triunius Numinis persona, cui
Pag. 33. id nomen κατ' ἐξοχὴν & discretive detur, usurpari. Inter vivi hominis halitum & Dei spiritum quædam analogiæ sunt, quæ recensentur. In hominibus quoque operatio spiritus Dei eidem emblemati halitus exactissime respondet. Nec minus tamen recte spiritus ille eo nomine describitur, quo ventus significatur. Personalis autem cum utique agnoscenda sit in septem spiritibus *Joannis* subsistentia, & gratiam pacemque ab illis apprecetur *Joannes*, contra *Hammondum*, *Bezam*, *a Lapide*, & *Grotium*, affirmat Autor, de infinito quodam personarum genere, imo de Spiritu Sancto, sermonem esse; septenarium vero in Apocalypsi numerum non tollere unitatem rei, de qua agitur, cum pari modo & una vera Dei Ecclesia septem Ecclesiarum nomine proponi potuerit, cum porro ad septem Novi Testamenti tempora, per quæ Spiritus Sanctus beneficia sua confert in Ecclesiam, respiciendum sit, cumque dona Spiritus Sancti numero septenario in Scripturis innotescant, cum denique talia prædicata adsint, qualia a nullo, quam hoc, subjecto per-
57. mittantur esse. *Dissertatio III* de die Dominica, ad *Apoc. I, 9*, scripta est. Negat Autor, eam esse primam hebdomadis diem, quæ vulgo dies solis dicitur. Quamvis enim inficias ire nequeat, non tantum a patribus primam illam hebdomadis diem ἡμέραν κυριακὴν, & Latine diem Dominicam, dictam, sed & propter resurrectionem Christi hoc nomine insigni-
63. tam, & conventibus sacris dicatam fuisse; negat tamen, morem illum tam alte adscendere, ut vel Christum vel Apostolos autores habeat. Aliquam quidem hujus diei observantiam & celebrationem, locis quibusdam Scripturæ motus, concedere cogitur, sed ex illis non clare patere ait, an præ ceteris sacra, publicisque ad rem divinam cœtibus dicata, &, quod maximum est, dominica, dies *Apostolis* dicta sit. Rejecta

jecta igitur communi ſententia, & repulſis, quibus fulciri ſolet, argumentis, ſive ex ſacro Codice, ſive ex Conſtitutionibus, quæ Apoſtolicæ dicuntur, ſive ex Epiſtola *Barnabæ*, *Euſebio*, & *Auguſtino*, deſumtis, Autor ſtatuit, & multis Scripturæ locis probare contendit, diem Domini, adeoque & dominicam, aliquam exercendi a Domino judicii diem eſſe, atque a *Joanne* intelligi eam diem, qua ſummum illud per Romanos a Pag. 80.
Judæis ſupplicium ſumſit juſtiſſimus Dominus. *Diſſertatio IV* de *Joanne* in inſula Patmo differit. Patmos, vel, uti in 85.
nummis eſt, Pathmos, inſula in mari Ægæo, ſive in Archipelago, hujusque ea parte, quæ mare Icarium veteribus dicitur, inter Icariam Lerum & Samum ſita eſt, eamque ob cauſam merito annumeratur inſulis, quæ Sporades dictæ, & a Cycladibus diſtinctæ ſunt. *Joannem* huc a *Domitiano* in exilium 99.
pulſum eſſe, poſtquam e ferventis olei dolio ſine ulla læſione extractus fuerat, incertiſſimum exiſtimat Autor, quia ab *Origene*, *Euſebio*, atque *Hieronymo*, ad aliorum tantummodo traditionem res narretur, a *Tertulliano* vero fabuloſe referatur. 106.
Addit hic, adverſus ſuam de die Dominica ſententiam demonſtrari a nemine poſſe, quod *Joannes* tempore excidii 111.
Hieroſolymitani in inſula Patmo non fuerit, quamvis con- 114.
cedat, eam Apocalypſeos partem, quæ de nomine & numero Antichriſti agit, teſte *Irenæo* ad finem imperii *Domitiani* viſam fuiſſe. In *Diſſertatione V*, de ſeptem Epiſtolis Apoca- 115.
lypticis, ſententia doctiſſimi Viri eo redit, ſeptem angelos, ad quos ſcriptæ ſunt ſeptem Epiſtolæ, non eſſe angelos ſpiritus, neque bonos, neque malos, ſed homines, & quidem veros doctores & moderatores Eccleſiarum, non omni parte perfe- 122.
ctos & inculpatos, ſed interdum graviſſime lapſos, ita tamen, ut per ſingulum horum angelorum non unus homo & Epi- 129.
ſcopus, ſed aliquis hominum atque præfectorum cœtus, in 132.
relatione ad commiſſas ſuæ curæ Eccleſias, notetur. Solutis tandem quorundam eruditorum objectionibus, de ipſo Epiſtolarum argumento diſquirit, idque myſticum, hiſtoricum, & propheticum eſſe, affirmat. In *Diſſertatione VI*, quæ ana- 161.
lyſin ſeptem Epiſtolarum Apocalypticarum tradit, Autor, in

 his

his Epiſtolis, repetit, exponi myſterium ſeptem ſtellarum in manu Servatoris, illasque dicit non ad internum ipſius Eccleſiæ, ſed ad varium doctorum Eccleſiaſticorum, his Eccleſiis præfectorum, ſtatum referendas eſſe; hinc etiam angelis illis multas virtutes vitiaque adſcribi, quæ ad publicum Eccleſiæ regimen vel bene vel male adminiſtratum pertineant. Atque, his præmiſſis, ſequitur cujusvis Epiſtolæ analyſis, ita inſtituta, ut exordium, argumentum, & epilogus, ſiſtatur. Ipſum ergo, quem promiſit nobis Clariſſimus Vir, in hanc *Joannis* Theologi Apocalypſin Commentarium exſpectamus cupidi, ſatisque perſuaſum nobis habentes, ipſum Opus prodromo ſuo haud impar futurum.

ARISTÆNETI EPISTOLÆ GRÆCÆ, CUM verſione Latina & Notis JOSIÆ MERCERI, curante JO. CORNELIO DE PAUW, cujus Notæ accedunt.

Trajecti ad Rhenum, apud Jac. van Lanckom, 1736, 8. Plag. 19½.

Quis fuerit ille, cujus hic Epiſtolas commendamus, *Ariſtænetus*, poſt diuturnas eruditorum conjectiones, adhuc ſub judice lis eſt. Sunt, inter quos *Lucas Holſtenius* principem facile locum tuetur, a quo nec *Jo. Alb. Fabricius* diſſentit, eundem illum eſſe arbitrati, cui *Libanius* Epiſtolas quasdam inſcripſit. Id ipſum tamen vel ex hoc capite in dubium vocavit Cl. *de Pauw*, quod, quem nobis depictum dedit, & magiſtrum ſuum appellavit *Libanius*, tanquam virum, non modo eruditum, ſed animi etiam erectioris, ac rebus gerendis idoneum, deſcripſerit; quæ omnia in noſtrum iſtum minime quadrare exiſtimavit, quippe cujus Epiſtolæ commentitiæ partim eſſent, nec a quoquam in vita communi exaratæ, partim etiam, & quidem præcipue, ad verbum omnes ex aliorum commentariis deſcriptæ, ut nihil fere, præter connexiones, ab Autore noſtro fuerit pro-

profectum. In ea igitur est hæresi, quod, in gratiam juniorum, a Grammatico vel Sophista quodam fuerint consignatæ, eum in finem, ut perspicerent isti, qua ratione ex optimorum Autorum flosculis Epistolæ venuste atque eleganter compingi deberent. Imo vero eo usque processit Editor, ut ipsum scriptoris nomen in dubium vocaverit. *Mercero* scilicet acceptam refert conjecturam, nomen, Epistolæ omnium primæ inscriptum, translatum esse ad ipsius collectionis autorem. Hoc quidem fundamento posito, conjiciendo pergit Vir ingeniosus, &, cum nomen Epistolæ illius argumento aptandum esse censeat, quod amicæ laudes complectitur, Ἀρισταίνετος vero non *optime laudantem*, sed *laudatum*, significet, vocabulum Ἀρισταινέτης initio positum fuisse, hariolatur. Quicquid autem de homine statuant, certiores tamen vel ex ipsis Epistolis esse possumus, qualem se scriptorem exhibuerit *Aristænetus*. Nostro nimirum si quid inest judicio, quod de *Petronio* vulgo dicitur, ad hunc etiam jure suo relatum iri arbitramur, quod impurissimæ nonnunquam fuerit puritatis scriptor, atque elegantissimus omnino inter Græcos nequitiarum arbiter. Et fac, castior sit isto, male tamen fecisset Autor, si quidem, secundum Cl. Editoris sententiam, in juventutis emolumentum ejusmodi Epistolas composuisset. Non eum in finem hoc dictum velimus, quasi pertinaciter repugnemus Cl. *de Pauw* conjecturis; novimus sophistarum illius seculi artes, & plausum acquirendi cupiditatem: verum ideo tantum, ne quis temere arbitretur, illas hodienum ad usum scholarum esse accommodatas. Interea tamen haud male collocarunt operam suam eruditissimi Viri, qui elegantem ejusmodi & festivum libellum diligenter curarunt. Hos inter principem omnino locum meretur *Jo. Sambucus*, qui A. 1561 Græca primum lingua, ex officina apud Antwerpienses Plantiniana, Scriptorem hunc literatorum manibus tradidit. Successit deinde *Josias Mercerus*, vir doctissimus, qui non eleganter solum interpretatus est *Aristænetum*, sed notis etiam perquam commodis instruxit. Tribus gaudemus harum lucubrationum editionibus,

nibus, Lutetiæ Parisiorum A. 1595, 1600, & 1610, evulgatis. Postremam, utpote auctiorem atque emendatiorem, typis hic repetitam videmus, ita quidem, ut, quas margini *Mercerus* addiderat animadversiones, paginæ subjecerit, suisque locupletarit Vir eruditus. Et recentiores illæ quidem sunt, quas paulo adhuc accuratius inspiciemus. Ad Criticam pertinent tantum non omnes, & habent omnino, quo non Autor solum ipse, sed *Mercerus* etiam, illustratur mirifice atque emendatur. Ita *pag. 99*, quæ de proverbio: Κρωβύλου ζεῦγος, dixerat ille, laudabiliter confirmat successor. Felicius etiam interdum, quam quidem *Mercerus*, interpretari atque hariolari videtur, e. g. *pag. 82*, ubi τὰ δὲ ἀνατρέπει, quod ille per *avertunt* reddiderat, per *stomachum cient, turbant, evertunt*, expressit, & *pag. 6*, ubi legendum esse conjicit: Καὶ τὸ κύκλῳ λευκὸν, ἄιγλη λευκοτάτη, *& circum album, splendor candidissimus*, secus ac alter, qui αἱ γλῆναι λευκόταται legebat. Sic merito reprehendit audaciam illius, quando ἀφικνουμένους in ἀφικνούμενος temere mutavit *pag. 33*, & *pag. 42*, quando sine causa pro ὃ δ᾽ ἂν legit ὅ, τι ἂν, quem ad modum veram lectionem non male defendit *pag. 102* & *110*, ubi simul modestissime tractare videtur antecessorem. At enim non semper ejusmodi humanitate utitur Cl. *de Pauw*, quin potius Criticum se præbeat plerumque inficetum. *Merceri* notas, bonæ frugis plenissimas, leves atque exiguas vocat in Præfatione, &, si quidem honorifice eundem compellat, cujus tamen humeris, ut ita loquamur, insistit, misere illum balbutire (*pag. 8*), resque ineptissimas (*pag. 83*) absque ullo judicio (*pag. 20*) proferre, imo vero ipsis tyronibus cognitione cedere (*pag. 102*), pronuntiat. Paulo tolerabiliores essent ejusmodi, quæ fastum hominis spirant, castigationes, si quidem cum ratione semper corrigeret *Mercerum*. At enim haud raro accidit, ut vel deterius sentiat, vel in alium incautus errorem prolabatur. Sic *pag. 8 ossa* ridens *ductilia*, susque deque habuisse videtur, quid sit ὑπερβολή, quantamque huic potissimum loco conciliaverit elegantiam, & *pag. 12*, ubi *Mercerus* temere legit: χαριέντως μειδιῶσαι aut ἀναβλέπουσαι

χάριν,

χάριν ἔρωτας μειδιῶσαι, ipſe non felicius corrigit: ἀναβλύουσαι χάριν ἔρωτος μειδιῶσαι καὶ μόνῳ κ. τ. λ. cum neſciamus, quam ob rem verba conſiſtere nequeant, ſi quidem ἀναβλέπουσαι χάριν ἔρωτος ad gratiam in cantante conſpicuam accommodaveris. Neque hunc unum, in cujus dedecore gloriam forte poſuit ſuam, rigidius excipit. Nemo propemodum, quos appellat, eruditorum a Critici dente ſecurus eſſe videtur. Ab inſtituto noſtro, & a re ipſa, ſejunctum eſt, quod in Præfatione ſatis acriter movet, literarium bellum. Audiamus tantum, quomodo *Barthium* tractet immortalem *pag. 282 ſeq. Barthius*, inquit, *legebat - - Inſulſe & coacte: ſed ita ubique ille, præcipue in Græcis - - - Deceptus eſt Vir naſutus ab Interprete - - inter Ariſtæneti parœmiaca recenſet βάδισμα κυπαρίττου: quod adeo putidum, ut nihil re vera excogitari poſſet magis.* &c. Sed quid multa? ipſum, quem edidit, Autorem reprehenſionibus illis præ ceteris omnibus expoſitum eſſe videmus. Nolumus in memoriam revocare, quæ jam ſub initium tetigimus; videamus potius, quanta cum libertate paſſim, & inter alia *pag. 14*, locutiones ipſum magis Græcas adhibere docuerit. Et quid tandem ſolennius eſt apud Noſtrum, quam verba ſcriptoris pro arbitrio mutare, quæ defendere potius & ſtabilire debuiſſet? *Pag. 39* ἔξω in ἔσω novandum eſſe arbitratur, & hanc ipſam rem apertam & dubitationis expertem pronuntiat, ubi nobis tamen, pace Clariſſ. Viri, certo certius contrarium ſtatuere licebit, cum mulier, de qua ſermo eſt, in interius aliquod cœnaculum, ex eo, ubi depoſuerat veſtes, ſe contuliſſet, atque adeo de veſtibus, non ἔσω, ſed ἔξω, relictis, ſermonem inſtituere potuiſſet. *Pag. 58* pro περιχορεύει ſine cauſa ſcribit περιεχόρευε. *Pag. 87* ex eo ſolum capite, quoniam ipſi non placeat ποθῶν cum caſu patrio, quem dicit, loquendi formam: παλλακίδος τοῦ τεκόντος πόθῳ κλινοπετὴς ἦν, legendam jubet, vel παλλακίδα τοῦ τεκόντος πόθῳ κλινοπετής, vel παλλακίδα τοῦ τεκόντος ποθῶν, κλινοπετὴς ἦν. Sed quando finem inveniremus, ſi quidem ſuſcitare vellemus omnia? Ex-

empli loco vel omne trinum erit perfectum. Interim contentos esse oportet ejusmodi Catone, gloria illius diligentiæ relicta, quod optimum huc usque *Aristaneti* exemplum nobis tradiderit. Neque tamen dissimulare possumus, præclarius omnino de isthoc Scriptore meriturum esse, qui, post accuratam in historiam illius inquisitionem, Codicem denuo MStum, & Commentarium *Lambecianum*, in Augusta Imperatoris Bibliotheca latentes, adhibere posset, nec, præter *Ge. Franci de Franckenau*, si qui supersunt, labores, quæ Adversariis immiscuit *Barthius* noster, atque alii passim commemorarunt, contemtim haberet. Hac demum ratione satis instructum, si quidem modestiam simul religiosam, & acutam eruditionem, ad istum libellum attulerit, in ejus interpretatione, atque Interpretum castigatione, laudabiliter versaturum esse, judicamus.

JO. RUDOLPHI ENGAVII, J. U. D. ELEmenta Juris Germanici civilis, veteris pariter ac hodierni, ex genuinis fontibus deducta, & commoda auditoribus methodo adornata.

Jenæ, impensis hæredum Crœckeri, 1737, 8.
Alph. 1 plag. 18.

Diu inculta & prorsus derelicta jacuit Juris Germanici prudentia. Nostræ demum ætati ita contigit esse felici, ut, quæ a superioris ævi doctoribus ignorabantur, aperta & in aprico constituta conspiciat. Scimus, in hoc campo haud ita pridem ingenii divini prorsus vires exercuisse magnum illud Fridericianæ totiusque orbis literati decus, *Jo. Gottl. Heineccium*, cui tam feliciter hoc etiam institutum successit opus, ut non tantum palmam, eamque lemniscatam, inter votivos bonorum omnium applausus, nemine contradicente, referret, sed omnibus fere & nostri & futuri seculi eruditis eandem recipiendi telam, & post amplissimam messem spicilegium instituendi, potestatem adimeret. Tanto omnia judicio,

cio, tantoque eruditionis apparatu, pertractavit. Interim, cum in rebus humanis perfectum nihil omnibusque absolutum numeris exspectari queat, ipse Vir Illustris, pro ea, quam omnes in eo suspicimus, modestia, universos reipublicæ literariæ cives amice hortatus est, ut in isto decurrerent tramite, & cœptos a se labores quotidie magis magisque colerent. Primus hoc sibi dictum putavit *Jo. Rudolphus Engavius*, doctrinæ Vir politissimæ, & magna omnia spondentis. Is, sicuti a multis inde annis cupidam Jurisprudentiæ Germanicæ juventutem doctrina sua & præceptis instruxit, ita nec precibus ipsorum, publicam *Elementorum Juris Germanici* expositionem flagitantibus, deesse voluit. Equidem in Præfatione libelli, nimis festinandum fuisse sibi, conqueritur, eoque nomine obviis forsitan hallucinationibus veniam exorat; ast deprehendet peritus harum literarum lector, excusationibus opus Autori Clarissimo non fuisse, gratiasque potius eidem deberi maximas. Etenim nobis persuasissimum habemus, tantam splendere in Opere hoc concinnitatem, ut, si omnes Juris nostri partes eadem tractarentur methodo, respublica JCtorum non exiguos inde fructus, non leve incrementum, sit captura. Quodsi generatim ordinem, quo in Systemate hoc pertractando usus est doctissimus *Engavius*, intuemur, eundem deprehendimus, quem ipse in legitimæ scientiæ elementis sibi D. Imp. *Justinianus* delegerat. *Librum* enim *primum personis* consecravit: *rebus alterum* tribuit: *tertio pacta* tradidit; *quarto* denique *rem judiciariam, actionum*que doctrinam, illustravit. Singula vero capita nihil *Tribonianeæ* habent confusionis, tanta e contrario ingenii venustate, tantoque judiciique acumine, sunt corusca, ut Autorem in arte differendi magistrum vel invitus cogaris profiteri. Magno cedit Jurisprudentiæ nostræ emolumento, quod antiquis qualibuscunque descriptionibus non contentus, novas, easque secundum artis regulam logicæ concinnatas, definitiones suppeditavit; quod multas inauditas antea divisiones, indicatis sedulo earum fundamentis, in medium protulit; quod certa, ex definitionibus divisionibusque petita, axiomata constituit, indeque fluentia prono alveo duxit con-

sectaria. Quam perspicua sit & grata legentibus scribendi ratio, qui nasum habent, nobis etiam tacentibus intelligunt. Nos, in præsenti brevem Operis σκιαγραφίαν daturi, ita versabimur, ut ordinem Capitum recenseamus, immixtis quandoque, quæ digniores visæ sunt, animadversionibus. *Libri I Titulus 1* agit *de statu naturali; 2* de *hominibus propriis; 3* de *rusticis*; 4 de *nobilibus*, ita quidem, ut *membro 1* eorum *ministeria, 2 antiquorum novorumque diversitas, creandi modus, & majores computandi ratio, 3 jura omnium in genere, 4 mediatorum* speciatim *privilegia*, tradantur. *Titulus 5* de *civibus*, qui medio ævo *Burgenses* dicti, ita tractat, ut *membro 1 urbium originem, statum*, & *regimen, 2 Burgensium receptionem & munera, 3 varias illorum species*, uberius illustret. *Titulus 6* de *Patriciis* inscribitur, qui,
Pag. 64. Autore Consultiss. definiente, sunt cives in urbibus Imperiali-
149. bus Hanseaticisque primarii, ex quorum familiis senatores antiquitus eligebantur: unde consequitur, eos, qua tales, Nobilium ordini nequaquam accenseri posse. *Titulus 7* est de *mercatoribus; 8* de *opificibus*, quorum *membro 1 collegia, 2 jus bannarium*, seu prohibendi, *3 in pagis exilium*, illustrantur. *Titulo 9* differitur de *jure coquendi vendendique cerevisiam*, ac speciatim *membro 1* de *modo, quo competit Burgensibus*; *2* de *œnopolio; 3* de *diversoriis*, seu hospitiis publicis; *4* de *jure bannario, civitatibus Saxonicis competenti; 5* de *cauponis*, agitur. Jus cerevisiam coquendi civium ordini regulariter esse proprium, constat inter omnes, quanquam & cuivis olim tantam coquendi cerevisiæ portio-
94. nem, quantam domesticus requirit usus, data fuerit potestas, docente *Jure prov. Bavar. Lib. III Tit. 2 Artic. 4. Titulo 10*
§. 208. de *parentum in liberos potestate* Germanorum traduntur pla-
344. cita, quæ quidem utrique parentum æquum jus paremque
pag. 110. potestatem vindicant. *Mundium* enim, quod & patri & matri tribuunt, obligationem personam alterius dirigendi ac alendi, cum jure ususfructus conjunctam, indicat. Hæc est illa patriæ Germanorum potestatis *indoles*, cui *membrum 1* consecra-

vit

vit Autor, cuique *membrum 2* de *acquisitione patriæ potestatis in liberos*, & *3* de ejus *solutione*, fœdere amico sociavit. Ad nuptias perrecturus, agit *Titulo 11* de *sponsalibus*; *12* de *nuptiis*; *13* de *matrimonio*; *14* de *morgengaba*; *15* de *communione bonorum*, *sive acquaestu conjugali*; *16* de *dote*, *dotalitio*, & *augmento dotis*; *17* de *potestate maritali*, quæ §. 350.
1) *tutelam uxoris*, jusque personam dirigendi, 2) *facultatem* æquas uxori *operas injungendi*, ad ferenda facilius matrimonii onera, 3) potentiam, *emolumenta ex operis ejus capiendi*, 4) *jus renitentem* cum moderatione *castigandi*, nequaquam vero liberum *vitæ necisque* arbitrium, complectitur, quamvis hoc ex præsenti adulterarum pœna Ill. *Heineccius* conjecerit. *Titulus 18* est de *matrimonio ad morganaticam*; *19* de *epulis*, *sumtibus*, & *donis nuptialibus*; *20* de *divortio*, *ejusque caussis*; *21* de *secundis nuptiis*; *22* de *unione prolium*; *23* de *hagenstolziis*, lepido homuncionum genere, quod diuturniorem, ac leges sciscunt, servat casti- 389. 393.
tatem, & hodienum in Ducatibus Guelpherbytano & Cellensi, in Comitatu Nellenburgensi, & Alberspacensi districtu, pœnis ex more veteri afficitur. Additur de *tutelis* tractatio, adeoque *Titulo 24* de *iis generatim*; *25* de *impuberum tutela*; *26* de *cura fœminarum*; *27* de *absentium curatoribus*, dispicitur. His jungitur *Titulus 28* de *infamia*, cujus quidem nervum dignum existimamus, qui paulo lucidius enucleetur. Celebratur infamiæ in *majorem* & *minorem* divisio. *Majo-* 442 seq.
rem non nisi illis inurebant nebulonibus, qui in fortitudinem, fidem, castitatem, & pietatem, cardinales Teutonicæ gentis virtutes, peccaverant. Huc referebant, si quis acie, abjecta non bene parmula, fugerat, si gladium perdiderat, si signa deseruerat, patriamve prodiderat, si muliebria passus fuerat, si perjurium aut perfidiam commiserat, si mendacio alapæ vindictam in se concitarat, si res sacras surripuerat, si crimine, decalvationem, fustigationem, aut proscriptionem, commerenti, sese polluerat, si manus carnificis ægre subterfugerat, si virgidemiam sustinuerat, quibus & virgo jungeba-

tur, quæ pudoris oblita ad ſtupri flagitium ſemet ipſa obtulerat. *Minor infamia* in eos tantum cadit, quibus vel natalium inhæret macula, vel pudendum vitæ genus, quale eſt campionis, ludionis, &c. honeſtatis ademit gloriam. Nec effectu in rebus Germanorum publicis caruit nota infamiæ, quippe quæ ſimul omnem ademit poſtulandi, teſtimonium exhibendi, judicandi, feudum acquirendi, opificium addiſcendi, advocandi, veregildum, læſionis acceptæ ſolatium,
§. 448. exigendi, poteſtatem. Finem libro imponit *Titulus 29* de *peregrinis*, quos quidem Germani honorifice ſatis & amice excipiebant, neque tamen eodem, quo cives, loco eſſe
Lib. II. arbitrabantur, ceu lege Francorum Salica *Titulo 45* edocemur. *Libri II Titulus 1* agit de *rebus*, *variisque earum diviſionibus*; *2* de *dominio*; *3* de *dominio minus pleno*; *4* de *feudo*; *5* de *dotalitiis*, *laudemialibus*, *aliisque prædiis*, *quorum inter duos diviſum eſt dominium*; *6* de *prædiis*, *quorum dominium inter duos vel inæqualiter dividunt receptæ leges, vel diviſum eſſe perperam creditur*; *7* de *ſervitutibus in genere*; *8* de *quibusdam ſervitutum generibus*, *ut ſunt jus paſcendi*, *cenſus*, *& apertura*; *9* de *aere*, *& exercendis in eo juribus*; *10* de *fluminum majorum juribus*, quibus & alia cohærent, ſpeciatim illuminanda, *Sectione 1* jus *piſcandi*, *2* jus *grutiæ*, *3* jura *molendinorum*, *4* jus *navigationis*, *naucleri*, & *nautæ*, *5* jus *portuum*, *6* jus *trajectus*, *7* jus *acquirendi ex naufragio*. *Titulus 11 ſylvis* ſacer eſt, differiturque *Sectione 1* de *ſylvarum dominio*, *2* de *ſuperioritate foreſtali*, *3* de *venatione*. *Titulus 12 jus metallorum* pertractat, ita, ut *Sectione 1 metallifodinæ* generatim, *2 fodinarum dominia*, *ad privatos ſpectantia*, illarumque *in partes* Kuxſe *dictas diviſio*, *3 libri metallici*, *antigraphum* inprimis, ea, qua
§. 211 ſeq. fas eſt, accuratione conſiderentur. Non eſt privati, poſſidere fodinas, niſi ex conceſſione Principis vel generali, quæ poteſtatem officiales inſtituendi complectitur, & hodie eſt rariſſima, vel ſpeciali, quæ in certa terrarum parte per ſchedulam *Muth-Zettul* dictam plenam indulget metalli

talli

talli eruendi libertatem, reservatis a Principe 1) pecuniis recessus, per singulos anni quadrantes exsolvendis; 2) parte metallorum fossorum decima; 3) jure πρωτοπραξίας, Pag. 302.
colligendarumque particularum æris minutarum, *der Hütten-Kraze.* Ventilari hoc loco, & in utramque partem agitari, solet quæstio, utrum gypsus, carbones bituminati, *Stein-Kohlen*, & lapides fossiles, a decimis immunes sint. Præclare respondet Consultiss. *Engavius*, certi hic nihil posse definiri, omniaque a Principis pendere arbitrio. Dum *Titulo 13* de *salinis* §. 228.
Germanorum examinantur instituta, circa *leges salinarias* inprimis occupatur industria Viri præstantissimi. Definiunt autem illæ 1) munus *des Born- und Gegenschreibers*, 2) vitam, labores, & mercedem *der Born-Knechte und Sollzieher*, 3) tempus & modum *der Born-Fahrt*, 4) rationem, qua *denen Thal-Gütern* debet resignari, & qualitates eorum, qui ad societatem salinariam adspirant, 5) methodum dividendi reditus, 6) quantitatem salsuginis per singulos annos coquendæ, 7) pœnam locationis fictitiarum sartaginum, 8) regulas dividendi lucrum inter dominum salsuginis & sartaginis possessorem, 9) ipsum salis pretium. *Titulo 14* de *viis* agitur, & speciatim *Sectione 1* de *via regia*, *2* de *jure conducendi*, *3* de *postis, earumque juribus*, *4* de *longitudine & latitudine viæ regiæ*, quam in *Rüsta* vel *Rasta* dividere majores fuerunt 268.
soliti, *5* de *via vicinali & privata*. Pergit Autor *Titulo 15* de *pontibus*, speciatim *regiis*; *16* de *modis acquirendi naturalibus*; *17* de *modis acquirendi civilibus*, speciatim *præscriptione* & *investitura*; *18* de *successione pactitia*, quo refert *Sectione 1* pacta quævis *successoria*, *2* pacta *confraternitatis*, *3* pacta *Ganerbinatus*, *4* pacta *familiæ*, quæ *ad naturam fideicommissorum inclinant*; *Titulo 19* de *testamentis*; *20* de *successione legitima* descendentium, adscendentium, collateralium, conjugum, & fisci; *21* de *acquirenda vel omittenda hæreditate*; *22* de *rebus ab hæreditate separandis*, quo, præter *feuda* & *bona familiæ*, apud Saxones in specie referuntur 1) *beergewetta*, Equitibus olim propria, (vid. *Spec. Sax. I*

Cap.

Cap. 27, cujus jam in *LL. Angl. VI, 1*, vestigia occurrunt,) 2) *gerada*, 3) *morgengaba*, 4) *cibaria*, quæ & nomine *commestibilium* non raro veniunt, 5) *res mobiles*, quippe quarum ad maritum spectat hæreditas. *Titulus 23* est de *hæreditate dividenda*; 24 de *transferenda in alium locum hæreditate*. *Libri III Titulus 1* agit de *conventionibus*;
Lib. III. 2 de *mutuo*; 3 de *bodmeria*, antiquissimæ originis conventione, (vid. *Jus Witbyense Artic. 40*,) qua navis patrono
§. 22 seq. aliquid hac lege creditur, ut, nave redeunte salva, cum magno fœnore restituat; 4 de *commodato*; 5 de *donatione*; 6 de *deposito*; 7 de *mandato*; 8 de *emtione venditione*, ubi *Sectione 1* differitur de *ejus natura* & *indole*; 2, in *pecunia numerata pretium consistere debere*, probatur; 3 *modi eum dissolvendi contractum*, speciatim *retractus*, indicantur. *Titulus 9* est de *societate*; 10 de *permutatione*; 11 de *locatione conductione rerum & operarum*, itemque de *contractu Socidæ*; 12 de *conventionibus aleam continentibus*, *quo*, præter ludos omnis generis, *sponsiones* & *assecurationes* pertinent; 13 de *conventionibus accessoriis*, *fidejussoribus*, *pignoribus*, *obstagio*, *instrumentis guarentigiatis*, *literisque cambialibus*, tanta a Cl. Autore accuratione illustratis, ut caput hoc instar Compendii Juris cambialis esse queat. *Titulus 14*, isque ultimus, est de *modis solvendi obligationes*. Ex hoc bina delibamus, 1) definitionem *scontrationis* eximiam, quæ est conventio trium pluriumve mercatorum, ex quibus quilibet certam pecuniæ summam, ab uno acceptam, alteri solutam reputat. Summa enim crediti & debiti eadem esse debet, eodem loco & tem-
205. pore, eademque moneta, exsolvenda, ni specialis iniri de lagio debeat conventio. Observamus 2), *addictionem ad manus*, olim frequentissimam, hodie in desuetudinem abiisse, eique successisse carcerem, *die Veste, der Schuld-Thurm*. *Libri IV*
Lib. IV. *Titulus 1* de *jurisdictione* agit, ejusque varias divisiones in *altam* & *bassam*, in *universalem* & *particularem*, in *propriam*, *delegatam*, & *prorogatam*, uberius illustrat. *Titulus 2* est de *Judiciis*; 3 de *Judice, Scabinis, Actuario*, & *Bidello*, seu nuntio,

dem

dem Fronboten, Büttel, Wæbel, qui quidem olim inter perso- §. 44.
nas sacrosanctas referebatur, &, insidens pulvinari, de verberi-
bus, tumorem aut vulnus sine sanguine creantibus, jus dice-
cat. Docet hæc *Ottfridus* in *Evang. I, 5, 66, III, 16, 6*, ex
quo simul error *Glossæ* ad *Jus prov. Sax. I Cap. 53* confu-
tari poterit. *Titulus 4* inscribitur de *actore & reo*, quam 46.
spartam aliquando, fœminis licet e foro exulibus, tueri
virgines viduæve, de tutore conquestæ, poterant, dato in
litem curatore. *Titulus 5* est de *Advocatis & procuratori-
bus*; *6* de *in jus vocatione*, quæ & *mallatio*, *admallatio*,
solsatia, *adrhamitio*, audit, itemque de *feriis* ac *dilationibus
14 dierum*, quæ *spatio Saxonico* originem dedisse videntur; 57 seq.
7 de *editione* ac *divisione actionum* in *civiles*, vel *um
Schuld*, vel *um Gut*, vel *um Anefangk*, datis, *criminales*, 64.
& *mixtas*, id est, e civilibus in criminales, vel in civi-
les e criminalibus, degenerantes; *8* de *exceptionibus & li-
tis contestatione*. Quid fecerint Germani, ubi causæ funda- 75.
mentum negaret reus, in tanta morum diversitate non satis
constat. Alii actorem ad probationem instituendam coege-
runt, alii reo purgatorium injunxerunt, alii alterutri litigan-
tium vel jusjurandum, vel certamen singulare, detulerunt,
alii denique a reo jus non prius exegerunt, quam instituta
utrinque probatione, causa tamen ad liquidum nondum de-
ducta. Pergit Doctiss. Autor ad reliqua. *Titulus 9* est de
probationibus per instrumenta, *testes*, & *jusjurandum*; *10*
de *purgationibus*; *11* de *sententia, ferenda, impugnanda, exe-
quenda*; *12* de *processu executivo*; *13* de *processu cambiali*;
14 de *judicio mercatorio*, & *modo ibidem procedendi*; *15* de
judicio & processu metallico; *16* de *judicio & processu feu-
dali*. Nos & nostro & communi literarum nomine Con-
sultissimo *Engavio* de præclaro ingenii elegantis monumen-
to impense gratulamur, nihil in votis habentes magis,
quam ut institutas *Jurisprudentiæ criminalis Institutiones*,
in quibus nunc esse totum, certo nobis constat, eodem,
id est, felicissimo, successu absolvat.

DE CENTRO INERTIÆ, ATQUE GRAVItatis, Meditatiuncula prima. Autore SAMUELE KOENIG.

Centrum commune gravitatis plurium corporum, diversimode in se agentium, semper quiescere, aut moveri uniformiter in directum, dixerunt quidem multi, demonstravit autem publice, quantum mihi innotuit, nemo. Cum itaque in his *Actis* de *Mechanica inertium* pertractare quædam constituerim, in quibus hujus principii frequentissimus est usus; quibus rationibus hoc asseri queat, non alienum videtur ante docere, ut, quæ deinceps hoc de negotio sum scripturus, & demonstrari rigidius, & a Lectoribus Mathematicis intelligi queant facilius.

Verum quidem est, non cum gravitatis centro, sed cum *centro inertiæ*, rem mihi futuram, quæ etsi diversis in locis eodem in systemate non locentur, causis tamen inter se, atque fundamentis, multum differunt. Haberet enim corporum systema *centrum inertiæ* remota gravitate, & adforet centrum gravitatis, etiamsi corpora inertia non forent; si modo gravitatem tanquam vim corpora versus centrum telluris prementem consideremus. Confunduntur plerumque hæc duo centra, quia coincidunt. Postulant sæpe Mathematici centrum gravitatis corporum in plano horizontali collocatorum, aut talium, in quibus omnem gravitatem abesse animo sibi fingunt. Desiderant itaque *centrum inertiæ*, cum centrum gravitatis se quærere profitentur. Cum autem hoc ad propositum nostrum cummaxime faciat, dicemus de his paulo apertius.

Constat inter omnes Mathematicos, & quotidiana experientia confirmata res est, inesse omnibus in universum corporibus vim quandam, quæ illa tarda & ad motum segnia reddit; quam *inertiæ vim* significantissimo vocabulo dixit *Keplerus*; quæ actionis, & ipsi æqualis reactionis, & sic legum

gum naturæ, omnisque in universo ordinis, basis est ac fundamentum. Experimur hujus *vis inertiæ* præsentiam experientia, sed magis adhuc ratione evincitur. Ablata enim vi, segnitie quadam ac tarditate corpora impraegnante, nihil determinati amplius in rerum remaneret natura; abirent leges naturæ, & una cum ipsis universi ordo, ac admiranda harmonia. Corpora, quæ cernimus, inanes forent figuræ mathematicæ, ad quemvis sive motus, sive quietis, statum indifferentes, nulli motui resistentes, nullius tamen tenaces. Vi qualicunque moveri posset qualecunque corpus, & quantumvis magnum pari facilitate promoveretur. Quo fieret, ut determinata vis determinatos effectus edere nequiret, ac sic idem fere maneret naturæ vultus in orbe, qui, cessantibus naturæ legibus, cœcum foret chaos,

rudis indigestaque moles.

Accedente autem hoc *pondere inerte*, continuo nascetur ordo; aderit actio, reactio, legum naturæ basis, atque sic omnia fient *per bene junctarum concordia semina rerum*, ut hunc *Ovidii* versum ad sensum Philosophiæ aliquantulum immutemus.

Posito enim, singulas æquales corporis moleculas motui æqualiter resistere, corpus, alio duplo majus, duplo quoque resistet pertinacius, nec eandem obtinebit velocitatem, quin etiam vis duplo major adhibeatur. Quo fiet, ut nullus amplius in rerum natura oriri possit motus, quin ejus ratio & sufficiens & determinata dari queat.

Sed de his non plura. Ita enim accurate Vir omnium laudes superans, *Christ. Wolfius*, huc spectantia passim in suis scriptis attigit, ut aliis otium fecisse merito videatur.

Ad gravitatem, ut vulgo ajunt, naturalem quod attinet, etsi, unde prodeat, non intelligamus, apte tamen concipi potest tanquam vis, quæ æquali nisu singula corporum elementa versus centrum terræ propellit. Mathematice & gravitatis, & inertiæ, & omnis generis reliquæ vires sunt considerandæ; &, quomodo ad effectus, quos phænomena monstrant,

 eden-

edendos commode comparatæ esse possint, dispicendum in Mechanica; num autem re vera ita se habeant, metaphysici fori disquisitio est.

Demonstremus itaque ante omnia hanc thesin: *coincidere gravitatis atque inertiæ centrum in quovis corporum systemate.* Sed det mihi ante hanc veniam Mathematicus Lector, ut, quia hic commode fieri potest, & in sequentibus, quæ his connectere constitui, id res flagitabit, demonstrem paulo accuratiori methodo tritam illam legem: *Actioni æqualis & contraria est reactio.*

Definitio I.

§. I. Continuus corporis conatus, secundum directionem aliquam locum suum mutandi, id est, dato tempore determinatum spatium percurrendi, dicitur corporis *vis.*

Corollarium I.

II. Et, quia hic corporis conatus, locum suum mutandi, & fortior & debilior esse potest, (fieri nempe potest, ut corpus habeat conatum, eodem tempore longius, aut brevius, spatium permeandi,) patet, vim corporis & magnam & parvam esse posse.

Corollarium II.


III. Cum itaque corporis vis sit conatus secundum directionem aliquam locum suum mutandi: si nullum adest impedimentum, id est, nulla ratio sufficiens, cur locum mutare secundum illam directionem non possit; locum re vera mutabit. Et, si illum non mutat, cum tamen nullum obsit impedimentum, nulla quoque aderit vis.


Corollarium III.

IV. Vis est conatus, corpus dato tempore per determinatum spatium propellendi (§. 1). Et, si hæc vis major est, dato tempore percursum spatium longius erit, brevius autem, si hæc vis minor est. Adeoque magnitudo vis ex dato percurso spatiolo dato tempore dijudicari potest. Scilicet vis in corpore A erit ad vim in B, uti spatium, quod permeavit corpus A, est ad spatium, quod eodem tempore permeavit corpus B.

Scho-

TAB. I. ad Nova A





Scholion.

Hæc vis dicitur communiter *vis acceleratrix* Eſt ea ſcilicet, quæ unicam corporis moleculam, ſeu unicum elementum, ut hoc termino abutar, propellit. Haberi itaque poterit vis totalis corporis, ſumendo hanc vim acceleratricem toties, quot elementa in corpore moto continentur, id eſt, multiplicando illam per maſſam. Hæc vis totalis audit vulgo *vis motrix.* §. V.

Theorema I.

Si duo corpora æqualibus viribus in directe oppoſitis directionibus ſibi invicem occurrunt, neutrum perget, ſed ambo immota ſtabunt.

Demonſtratio.

Corpus *A* habet vim, id eſt, conatum, dato tempore ex *A* in *a* tranſeundi. Corpus *B* æqualem plane habet vim (per hypoth.), nempe parem exſerit conatum, ex *B* in *b* tranſeundi. Cum itaque nihil, quod progreſſum poſſit promovere, reperiri queat in *A*, quod non pari gradu reperiatur quoque in *B*; nulla datur ratio, quare alterum alteri loco cedere debeat. Sed nihil fit ſine ratione ſufficiente, adeoque, quia neutrum cedet, neceſſario ambo immota manebunt. Q. E. D. VI. TAB. I Fig. 1.

Corollarium I.

Quia ambo corpora, *A* & *B*, quieſcunt, conatuum neuter effectum ſortitur. Adeoque utriusque vis effectus ab oppoſita vi deſtruitur. §. VII.

Corollarium II.

Quia effectus utriusque vis per ſibi oppoſitam vim deſtruitur (§. VII), idem eſt, ac ſi neutri corporum vis ulla ineſſet, adeoque corpus *A* + *B*, conſideratum tanquam unicum corpus, plane ſine omni eſt conatu. Nam nullum obeſt impedimentum, quo minus corpus *A* + *B* cuivis conatui obſequi queat; cum vero nusquam abeat, nullum etiam adeſſe conatum neceſſe eſt (*§. III*). VIII.

Corollarium III.

Si itaque nova vis ſuperveniret, quæ corpora directe IX.

 ver-

versus f premeret; nullus in ambobus corporibus conatus versus f eundi reperietur, quam qui ab hac nova vi oritur. Nam, quia effectus duarum reliquarum virium a sibi oppositis viribus destruuntur, neutra ad progressum quidquam confert.

Corollarium IV.

§. X. Hinc jam sequitur, si duo corpora, A & B, se offendunt in directionibus sibi e diametro oppositis, viribus inæqualibus, quas dicam F & f, fore conatum, eundi secundum directionem corporis fortius prementis, differentiam duarum virium, scilicet $F-f$. Nempe, si vis F, quæ in A est, altera f, quæ in B est, major est, necesse est, ut tantam sui partem prior vis impendat, quantam B habet, quo corpus $A+B$ in statum quietis reducatur. Reliqua autem vis ad propulsionem totius corporis impenditur (§. *IX*).

Definitio II.

XI. Illud in corpore principium, vi cujus fit, ut æquales corporis partes motui æqualiter resistant, appellatur *vis inertiæ*.

Corollarium I.

XII. Si itaque corporibus inest *vis inertiæ*, non amplius tanquam inanes figuræ geometricæ cedunt; sed determinata quædam vis requiritur, quo corpori datus velocitatis gradus imprimatur.

Corollarium II.

XIII. Et quia corpus semper iners permanet, non progrederetur, ni continuo adesset vis, quæ illud versus datam plagam propelleret. Adeoque evidens est, vim, corpus prementem, continuo in illud transferri, in eoque dein residere, donec per oppositam pressionem inde rursus ejiciatur.

Corollarium III.

XIV. Duplo etiam majori vi opus est, si corpus duplo majus est. Nam, quantum vis una pars insumit, tantum altera etiam requirit.

Corollarium IV.

XV. Quia determinata vi opus est, ad conciliandum corpori datum

datum motum (§. *XII*), & hæc vis dein in corpus transfertur (§. *XIII*), non poterit ſane alio impendi. Scilicet fieri non poteſt, ut hac vi aliud quid præſtetur, & tamen nihilo minus idem in corpore motus conſequatur.

Theorema II.

Si corpus *A* agit in corpus *B*, corpus *B* in corpus *A* eadem vi reaget, & hæc reactio ſemper actioni æqualis erit.

Demonſtratio.

Corpori *A* ineſt *vis*, qua & progredi, & premere, poteſt, ſi in ſuo remoratur curſu (per hypoth.). Si itaque hoc corpus *A* aliud corpus iners *B* offendit, neceſſe eſt, ut corpus *A* determinatum gradum vis impendat, (quam vim *f* vocabimus,) (§. *XII*) ad loco movendum corpus *B* celeritate quadam, quo ipſum dein impedimento remoto libere inſequi queat. Conſequenter hæc eadem vis *f* non ſimul impendi poteſt, ad promovendum corpus *A*, uti ante (§. *XV*), ſed transfertur potius in corpus *B* (§. *XIII*), adeoque amittit corpus *A* hanc vim *f*. At hoc idem eſt, ac ſi corpus *A* omnem ſuam vim conſervaret, ſed ipſi vis *f* in oppoſita directione opponeretur (§. *X*). Nam tum etiam pars *f* illius vis, quæ eſt in *A*, ad progreſſum nihil amplius conferret (§. *cit.*). Adeoque patet, quanta vi corpus in aliud quoddam agit, tanta præciſe vi illud reagere. Q. E. D. §. XVI.

Definitio III.

Centrum inertiæ dicitur illud punctum in ſyſtemate corporum inertium, quod, ſi ipſi omnia corpora virgis rigidis connexa eſſent, eodem modo reageret in vim, hoc punctum prementem, ac ſi in illo puncto omnes maſſæ collectæ eſſent. XVII.

Problema.

Invenire in ſyſtemate corporum inertium centrum inertiæ.

Solutio.

Sint e. g. tria corpora *A*, *B*, *C*, quæ & magnitudine, & poſitione, dantur. Ducatur, ut fieri ſolet, in inveſtigatione centri gravitatis, axis, quem dicunt, æquilibrii *FH*, eique jun- XVIII.

TAB. I Fig. 2. jungantur corpora A, B, C, virgis rigidis Aa, Bb, Cc. Cogitetur jam, rotari totum hoc ſyſtema circa axem FH, adeo, ut corpus A percurrat arculum AM, corpus B arculum BN, corpus C arculum CL, dum centrum inertiæ E arculum ER deſcribit. Adeoque, quia lineola AM vim acceleratricem corporis A deſignat (*§. IV*), BN vim acceleratricem corporis B, & CL corporis C exhibet, erunt vires motrices, his corporibus impreſſæ, ab actione vectium Aa, Bb, Cc, ut $A. AM + B. BN + C. CL$, adeoque, quia unicuique actioni æqualis & contraria eſt reactio, erit illa $A. AM + B. BN + C. CL$. Sed, quia centrum inertiæ E eodem tempore deſcripſit arculum ER, ſi in illo puncto omnes maſſæ collectæ fuiſſent, reactio fuiſſet ex iisdem rationibus $= (A+B+C)\, ER$. Conſequenter vi *Definit. III* hæ duæ reactiones debent eſſe æquales, ſcilicet $A. AM + B. BN + C. CL = (A+B+C)\, ER$. Sed, quia lineolis AM, BN, CL, ER, diſtantiæ ab axe Aa, Bb, Cc, Ee, proportionales ſunt, has ſubſtituere licet, quo facto prodibit hæc æquatio. $\overline{Ee.\ A+B+C} = A. Aa + B. Bb + C. Cc$; adeoque habetur Ee, ſeu diſtantia centri inertiæ ab hoc axe $= \dfrac{A. Aa + B. Bb + C. Cc}{A+B+C}$; nempe multiplicando ſingula corpora per ſuas reſpective diſtantias ab hoc axe, & dividendo ſummam productorum per ſummam maſſarum. Q. E. D.

Corollarium I.

§. XIX. Cum ad inveniendum gravitatis centrum eadem plane regula utamur, *centrum inertiæ*, ac centrum gravitatis, coincidere, nullum amplius eſt dubium, adeoque deinceps, ſive centrum inertiæ, ſive gravitatis, dicamus, ſemper idem punctum deſignamus.

Scholion.

XX. Corpus eſt grave in ratione maſſæ, & in eadem ratione iners. Gravitas, ut quævis vis propellit corpora, ſecundum directionem lineæ rectæ, inertia ſecundum eandem directio-

nem

nem resistit; fit hinc, ut & a gravitate, & vi inertiæ iidem sæpius effectus consequantur. E. g. catena gravis induit notam illam catenariæ curvaturam, quia omnia puncta talis catenæ secundum rectas parallelas æquali vi protrahuntur. Eandem curvaturam induere debet catena iners *LMN*, supra plano horizontali posita, cujus extremitates *L* & *N* secundum extremitates *Ll*, *Nn*, aequaliter promoventur. Nam omnes particulæ *C*, *C*, & *c*, resistent secundum rectas parallelas *Cc*, *Cc*, &c. æqualiter. Et re vera, si catena in plano horizontali protrahitur, sinuositates sensim recedent, & catena in situm, quem, plano deinceps verticaliter erecto, tueri poterit, se componet. Transeamus jam ad demonstrationem principii illius, *commune gravitatis centrum semper quiescere aut moveri uniformiter in directum, quamvis corpora circumjacentia diversimode in se agant.* Affirmavit hoc *Newtonus* pro casu tantum percussionis, in *Legis III Corollar. IV*; sed, quo pacto ibi ratiocinetur, non intelligo, neque me nasutiores id unquam assequi potuerunt. TAB. I Fig. 3.

Quibus enim fidiculis extorqueri possit, centrum commune gravitatis statum suum, sive motus, sive quietis, non mutare, etiamsi plura corpora in unum simul irruant, ex eo, quod in duobus hoc accidit, si separatim se percutiunt, nullo pacto perspicere possum, &, qua licentia gratis illata consequentia in *Libro secundo* ad attractiones transferri queat, adhuc minus intelligo. Licebat profecto *Newtono* ita, ut fecit, hoc principium sine demonstratione assumere. Sed pro demonstrato in aliqua propositione venditare, quod tamen in illa non continetur, & ita imperito adhuc lectori tædiosissimam crucem figere, accurati scriptoris non est. Sed veniamus in rem præsentem.

Theorema III.

Centrum gravitatis plurium corporum, in lineis rectis uniformiter progredientium, aut quiescit, aut movetur etiam in linea recta.

Demon-

Demonstratio.

§. XXI. Moveantur corpora A, B, C, velocitatibus expressis per lineas Aa, Bb, Cc, in directionibus Aa, Bb, Cc. Ducatur axis æquilibrii FT, & alius huic normalis FD. Decomponantur singulæ velocitates horum corporum in duas alias, alteram perpendicularem ad hunc axem FT, alteram vero ipsi parallelam, adeoque perpendicularem ad axem FD. Scilicet velocitas Aa in velocitates AR & aR resolvetur, velocitas Bb in laterales Bl, & bL, & ita porro in reliquis.

TAB. I Fig. 4.

Distantia centri gravitatis CH ab axe FT erit $= \frac{A.AM + B.BN, \&c.}{A + B \&c.}$ (§. XVIII) sive, ut paucis dicatur, $= \frac{\int AM.A.}{\int A}$ Per $\int AM.A$ intelligo summam omnium momentorum similium, per $\int A$ summam omnium massarum. Pari modo, relatis corporibus ad alterum axem FD, invenietur CK, seu distantia centri gravitatis ab hoc axe $FD = \frac{\int A\alpha.A.}{\int A}$

Eodem modo, translatis corporibus ex locis A, B, E, in loca a, b, e, invenietur cb, seu distantia centri gravitatis corporum in hoc novo situ ab axe $FT = \frac{\int ma.A,}{\int A}$ (semper per $\int ma.A$ intelligo summam omnium momentorum similium, quæ hic foret, $ma.A + bn.B + ep.E = \int ma.A$. per $\int A$ autem summam omnium massarum, quæ foret $A + B + E$) & ab altera parte habebitur $ck = \frac{\int \alpha R.A.}{\int A,}$ Habemus ergo has æquationes:

$$cb = \frac{\int ma.A}{\int A} \qquad ck = \frac{\int \alpha R.A}{\int A}$$

$$CH = \frac{\int MA.A}{\int A} \qquad CK = \frac{\int A\alpha.A}{\int A}$$

Et

Et, ſubtrahendo poſteriores a prioribus, prodibit $cb - CH = \frac{\int ma.A - \int MA.A.}{\int A} = ci$, & $ck - CK = \frac{\int \alpha R.A - \int \alpha A.A}{\int A} = Ci$, adeoque ci eſt ad Ci in ratione conſtante, quia, ob motum corporum uniformem, æqualibus temporibus hæ ſummæ æquales ſunt. Conſequenter recta Cc, quæ reſultat ex velocitatibus Ci, ci, exprimet velocitatem, & erit via centri gravitatis.

Lemma.

Moveantur corpora A, B, D, E, in directionibus & velocitatibus quibuscunque. Si centrum gravitatis C, dum corpora in ſua quodque directione promoventur, in axe æquilibrii permanet, ſumma momentorum $A.AR + B.Bl$ ab una parte, æqualis eſt ſummæ ſimilium momentorum $D.Dp + E.ES$ ab altera parte. TAB. I Fig. 5.

Demonſtratio.

Ducatur per centrum gravitatis C axis æquilibrii PU, & erit per naturam centri grauitatis $A.AM + B.BN = D.DK + E.EF$. Si jam, translatis corporibus ex locis A, B, D, E, in loca a, b, d, e, adhuc in eodem axe verſatur, erit per eandem rationem $A.am + B.bn = D.dk + E.ef$. adeoque, ſubtrahendo poſteriorem æquationem a priori, prodibit nova æquatio; ſcilicet $(AM - am)\ A + (BN - bn)\ B = (DK - dk)\ D + (EF - ef)\ E$, ſed $AM - am = AR$, $BN - bn = Bl$, $DK - dk = Dp$, $EF - ef = ES$, conſequenter, ſubſtitutis his valoribus, prodibit hæc æquatio, $A.AR + Bl = D.Dp + E.ES$. § XXII.

Corollarium I.

Adeoque, ſi hæ ſummæ, poſtquam corpora ſe moverunt, ab una & altera parte inter ſe æquales deprehenduntur, centrum gravitatis non exceſſit ex axe æquilibrii, nec jam unquam ex illo excedet, ſi corpora uniformiter progrediuntur. XXIII.

Theorema IV.

Si plura corpora, ſive id fiat attractionibus, ſive viribus qui-

quibuscunque, in ſe agunt, ita, ut unum corpus agat ſive in quædam reliquorum, ſive in omnia, & vice verſa omnia reliqua corpora, ſive quædam tantum eorum, agant viciſſim in hoc corpus; dico, ſtatum centri gravitatis, ſive motus, ſive quietis, quem hoc centrum tuebatur, antequam hæc corpora in ſe agerent, ab actionibus horum corporum inter ſe non mutatum iri.

Demonſtratio.

§. XXIV. Ponamus brevitatis gratia, eſſe ſyſtema trium corporum quieſcentium A, B, D, quorum ſingula in reliqua agunt, viribus quibuscunque, quod concipi poteſt ope filorum contractilium, tenſionibus, ut libet, diverſis corpora trahentium, ita, ut e. g. inter A & B ſit filum contractile, quod, ſe arctius contrahendo, aut latius expandendo, (nil refert,) corpora A & B ſecundum directionem lineæ AB aut contrahere conatur, aut disjicere; inter idem corpus A & aliud D ſimile filum vires exſerit ſuas, ſe contrahendo, aut expandendo. Sed hæc vis longe diverſa eſſe poteſt ab illa altera: et ita ſimiliter hujusmodi vis eſt inter corpora B & D, & ita porro, ſi plura forent.

TAB. I Fig. 6.

Supponamus, centrum gravitatis ante actionem horum corporum eſſe in C, ducatur axis æquilibrii LN, tranſiens per hoc centrum gravitatis, & demittantur ad hunc axem perpendiculares, Aa, Bb, Dd. Exprimantur vires, quibus fila tenduntur, adeoque corpora ipſis connexa contrahantur, per lineas his viribus proportionales. Scilicet tenſio fili AB, ſeu vis, quæ utrinque in corpora A & B agit, deſignetur per $A\alpha$, $B\alpha$, ita ſimiliter deſignetur vis fili BD per lineam $B b = D b$, & vis fili AD per $A\gamma = D\gamma$.

Dicantur perpendiculares $Aa = g$, $Bb = h$, $Dd = m$. Diſtantiæ autem corporum $AB = a$, $BD = b$, $DA = c$, & lineæ tenſiones deſignantes, ut ſequitur.

$$A\alpha = B\alpha = t. \quad Bb = Db = T. \quad D\gamma = A\gamma = \vartheta.$$

Decomponatur jam vis deſignata per $A\gamma$, in duas alias AT, $T\gamma$ quarum altera AT, ad axem æquilibrii perpendicularis, altera autem $T\gamma$ huic axi parallela eſt. Ducatur

axi

axi æquilibrii LN parallela MO, quæ transeat per punctum D, & demittatur ad illam perpendicularis AK, & erunt triangula $AT\gamma$, AKD, similia, adeoque haberi poterit AT, nempe vis trahens corpus secundum directionem AK, instituendo hanc analogiam:

$$DA\,(c) : AK\,(m-g) :: A\gamma\,(\vartheta) : AT = \frac{\overline{m-g}.\,\vartheta}{c}.$$

Eodem modo decomponatur vis expressa per $A\alpha$ in perpendicularem ad axem AP, & in aliam $P\alpha$ parallelam huic axi. Ducatur axi parallela linea AH, ac continuetur perpendicularis Bb usque in H & ob similitudinem triangulorum $AP\alpha$, ABH, haberi poterit AP, seu vis trahens versus A, per hanc analogiam:

$$AB\,(a) : BH\,(g+h) :: A\alpha\,(t) : AP = \frac{\overline{g+h}.\,t}{a}.$$ Sed,

quia vis AT huic vi AP opposita est, vis motrix totalis corporis A in directione lineæ ak = erit differentiæ virium sibi oppositarum, nempe $\frac{\overline{g+h}.\,t}{a} - \frac{(m-g)\,\vartheta}{c}$. Consequenter vis acceleratrix massæ A in hujus lineæ directione erit $= \overline{\frac{\overline{g+h}.\,t}{a} - \frac{(m-g)\,\vartheta}{c}.\,A}$, dividendo scilicet vim motricem per massam. Transeatur jam ad vim $B\alpha$, ac resolvatur illa similiter in perpendicularem BQ, & parallelam $Q\alpha$, & invenietur iterum (ob triangula $BQ\alpha$, BHA, similia,) $BQ = \frac{\overline{g+h}.\,t}{a}$. Et sic decomposita vi $Bb = T$ in duas BR & Rb, ob triangula similia BRb, BID, invenietur $BR = \frac{(h+m)}{b}\,T$, adeoque, quia hæ vires conspirant, erit vis

motrix totalis corporis B, $= BQ + BR = \frac{\overline{g+h}.\, t}{a} + \frac{\overline{h+m}.\, T}{h}$, consequenter vis acceleratrix $= \left(\frac{\overline{g+h}.\, t}{a} + \frac{\overline{h+m}.\, T}{h}\right) : B$. Quod factum est in duobus corporibus A & B, fiat quoque in tertio D. Quaeratur scilicet vis $D\mathfrak{S}$, decomposita vi Dh, in duas DS & hS, & invenietur illa, ob similitudinem triangulorum DBI, & $DhS = \frac{\overline{h+m}.\, T}{h}$ $= DS$. Et ita quoque, decomponendo vim $D\gamma = \vartheta$, ob similitudinem triangulorum DAK, $D\gamma V$, invenietur $Du = \frac{\overline{m-g}.\, \vartheta}{c}$. Consequenter, addendo has vires, & dividendo per massam D, vis acceleratrix massae D in directione lineae Dd erit $= \left(\frac{\overline{h+m}.\, T}{h} + \frac{\overline{m-g}.\, \vartheta}{c}\right) : D$. Quia itaque massae A, B, D, his suis viribus acceleratricibus in directionibus ad axem aequilibrii normalibus moventur; spatia eodem tempore percursa sunt, ut hae vires acceleratrices, consequenter, si momenta, ex spatiis percursis, (seu ex viribus acceleratricibus, quae spatia illa designant,) in suas respective massas, ab una parte axis aequilibrii aequalia sunt, similibus momentis ab altera parte, centrum gravitatis non excessit ex axe LN (*Coroll. I Lemm*). Sed haec momenta sunt aequalia, nam

$$\overline{\frac{\overline{g+h}.\, t}{a} + \frac{\overline{h+m}.\, T}{h}}\Big|\frac{B}{B} = \overline{\frac{\overline{g+h}.\, t}{a} - \frac{\overline{m-g}.\, \vartheta}{c}}\Big|\frac{A}{A} +$$

$h + m$

$$\frac{\frac{\overline{b+m}.T}{b} + \frac{\overline{m-g}.\vartheta}{c}}{D} \Big| D,$$ adeoque nullum amplius dubium eſt, centrum gravitatis *C*, poſt actionem corporum in ſe, in hoc axe *LN* adhuc perſiſtere. Eodem prorſus modo, ducendo axem *XZ*, & demittendo ad hunc etiam perpendiculares, & inſtituendo calculum iisdem rationibus, evinci poterit, centrum gravitatis quoque non exceſſiſſe ex hoc axe *XZ*, conſequenter, cum in utroque eſſe nequeat, niſi in unico puncto *C*, centrum commune gravitatis, locum ſuum ab actionibus corporum inter ſe non mutavit. *Quod erat primum.*

Supponatur jam, corpora ante actionem non quieviſſe, ſed quodvis illorum velocitate uniformi in quacunque directione proceſſiſſe. Quia ab actionibus quibuscunque corporum inter ſe centrum gravitatis nullam plane velocitatem nanciſci poteſt, *theoremate* autem *III* demonſtratum eſt, ſi centrum gravitatis movetur, illud motu uniformi in linea recta procedere; conſequens eſt, cum ante actiones corporum inter ſe centrum gravitatis in linea recta motu uniformi procederet, & per has actiones nullam velocitatem accipiat, illud, ſi non quieſcit, moveri certe uniformiter in directum. *Quod eſt alterum, quod erat demonſtrandum.*

Scholion.

Nemo non, qui ad methodum, qua hic uſi ſumus, attendet, ſi- §. XXV.
ne negotio perſpiciet, hanc hoc theorema demonſtrandi methodum generalem eſſe, & de quatuor, quinque, &c. pluribusque corporibus idem eodem prorſus modo demonſtrari poſſe; operationes multiplicabuntur, ſed via non immutabitur.

Corollarium.

Quia in omni percuſſione corporum *actioni eſt æqualis re-*
actio, commode concipi poteſt vis quædam inter percutiens XXVI.
percuſſumque corpus, quæ in utrumque æqualiter agat, & ita etiam conſlabit, ſtatum centri gravitatis in percuſſione corporum non immutari. Ut exemplo, quid cogitem, illuſtrem, irruant corpora *B* & *C*, diverſis velocitatibus in corpus *A*, & con-

concipiatur, elastra perparva *m* & *n* inter corpus *A* & quodvis corporum *B* & *C* interposita esse, ita, ut hæc corpora in corpus *A* non immediate agant, sed mediantibus elastris perparvis *m* & *n*, quæ, simul ac a corporibus comprimuntur, utrinque æqualiter vires exserent suas, propellendo corpus *A*, & repellendo corpora *B* & *C*; nam ita actio atque reactio semper æquales erunt. Sub hac idea si nobis rem repræsentemus, percussionem casum tantum particularem *Theorematis* præcedentis esse, facile poterit intelligi.

TAB. I Fig. 7.

DEFINITIONES PLANTARUM. IN USUM Auditorum collegit M. CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDEWIG, Med. Baccal.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii B. Filium, 1737, 8 maj. Plag. 11.

Præcipua Clarissimi Autoris cura fuit, ut auditoribus suis libellum in manus traderet memorialem, quem in itineribus suis botanicis secum circumferrent, præcipua plantarum genera cognituri. Ex variis Botanicæ disciplinæ methodis *Rivinianam* reliquis antetulit, non quod ea nullis laboraret nævis, sed quod præ aliis sensus moveret, & facilior esset. Ad hujus itaque normam summos plantarum ordines distribuit, neque tamen reliquos neglexit, ut potius ea, quæ ex *Rajo*, *Tournefortio*, & maxime ex *Bœrhaavio*, supplenda erant, suppleverit, deinde nonnulla ex *Dillenio* & aliis addiderit, tandem pauca a se ipso observata adduxerit. In ipsa tractatione hæc docendi ratio observatur. Primo nomen genericum, addito plerumque Autore, qui id vel invenit, vel magis expolivit & determinavit, adducitur. Tum signa ex radice, caule, foliis, calice, aliisque floris & fructus partibus, facile cognoscendis, enumerantur, non neglecto, ubi opus quidem fuit, crescendi florendique modo. In nonnullis accidentalia quoque signa adhibentur, ut vividior subinde hujus illiusve generis idea excitetur. Nova autem variorum Autorum genera brevitatis causa sæpe ad simillimum genus referuntur. Libellum ita comparatum, nihil dubitamus, tironibus rei herbariæ, atque provectioribus etiam, qui plantarum definitiones summatim repetere cupiunt, commodissimum pariter ac utilissimum futurum.

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXXVIII.

ΗΣΙΟΔΟΥ ̓ΑΣΚΡΑΙΟΥ ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ.

h. e.

HESIODI ASCRÆI QUÆ SUPERSUNT, cum Notis variorum. Edidit THOMAS ROBINSON, S. T. P.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1737, 4 maj. Alph. 3, cum Fig. 2.

In hac editione *Hesiodeorum* Carminum nihil ſplendoris deſideratur, qui in hoc genere librorum conſumi ſolet; ut vel hoc nomine elegantibus hominibus grata & jucunda ſit futura. Quid autem novæ lucis ipſis Carminibus *Heſiodi* acceſſerit, paucis accipe. *Theogonia*, quæ primum in hac editione locum occupat, vulgatum textum contulit Cl. Editor cum tribus Codicibus MStis, quorum duos *Bodlejana*, unum autem Societatis Regiæ Londinenſis, Bibliotheca ſuppeditavit. De horum Codicum ætate & ratione nihil placuit ei commemorare, niſi hoc unum, *Bodlejanorum* Codicum alterum eſſe dimidia parte truncatum; neque in eo magnam eſſe jacturam factam, quod cum altero illo integro ita conſentiat, ut ab eo deſcriptus eſſe videatur. Eandem rationem tenuit in ceteris Codicibus commemorandis, quibus in hac editione adornanda uſus eſt. Quatuor MStis Codicibus Operum & Dierum uſus eſt, tribus *Bodlejanis*, uno ejusdem Societatis Regiæ, & variantibus præterea lectioni-

bus Codicis *Coisliniani*, a Cel. *Montefalconio* acceptis. *Scutum Herculis* cum Codice, qui in Bibliotheca *Comitis Oxoniensis* est, contulit Cl. *Hutchinsonius*, & varietatem lectionis cum Cl. Editore communicavit. Excerptarum lectionum, a vulgata recedentium, parte ad textum ipsum emendandum usus est, reliquas autem ad finem Operis rejecit, si quis forte inde eruere meliores lectiones posset. Interpretationem Latinam servavit eam, quæ est in editione *Clerici*, sed emendatam, ubi res postulabat. *Certamini Homeri & Hesiodi* quoque interpretationem Latinam adjecit, & Fragmentorum *Hesiodeorum* numerum auxit. Quod ad Notas attinet, integræ hic comparent *Lectiones Hesiodeæ Grævii*, τȢ πάνυ, quo nemo plus *Hesiodo* profuit, & *Heinsianæ* notæ, nec non *Scaligeranæ*, quæ sunt in editione *Clerici*; *Guieti* autem & *Clerici* selectæ tantum, quibus & suas ipse immiscuit. Introductionem *Heinsianam* in Opera & Dies quare omiserit, nullam rationem attulit. De delectu notarum *Guieti* & *Clerici*, præterquam quod difficile est, in hoc delectus genere omnibus satisfacere, non tanti fuit, tam paucarum causa, quas omittendas censuit, doctorum hominum labores mutilare. Gratum etiam facturus erat Vir doctissimus, si Scholia Græca, quorum causa *Heinsiana* editio tam care apud nos venditur, adjecisset, ne pluribus editionibus *Hesiodi* opus esset viris doctis. Ceterum præmittitur huic editioni Dissertatio de vita, scriptis, & ætate *Hesiodi*; ad calcem autem est Caput de *Hesiodo* e Bibliotheca Græca B. *Fabricii*.

Dissertationis maxima pars in controversia celebri de ætate *Hesiodi* consumitur. In quo diligentiæ laus non est Cl. Viro neganda. Nam ex veterum recentiorumque scriptis studiose congessit, quæcunque ad eam rem disceptandam pertinere videbantur; quibus etiam quædam adjecit de suo. In tres autem partes ea disputatio abit. Prima enim de ætate *Hesiodi* in genere agit. In qua cum historicis, tum astronomicis, argumentis utitur. Historicorum testimonia quoniam ultra probabilitatem non assurgunt, duobus contentus fuit, altero *Herodoti*, altero Marmoris *Arundelliani*. *Herodotus*

dotus Lib. II Cap. 53, quadringentis fere annis ætatem ſuam *Heſiodum*, ait, præceſſiſſe, quæ cadit in ipſum tempus illud, quo *Xerxes* in Græciam exercitum duxit, annis 480 ante C. N. Quo ſumto, *Heſiodus* 900 fere annis ante C. N. vixit. Cum hac computatione conſentit Marmor *Arundellianum*. Ejus Autorem vixiſſe, putant docti viri, fere A. 260 ante C. N. Jam is *Heſiodi* ætatem eam facit, ut fere 680 annis ipſo ſit antiquior. Ex quibus duobus numeris eadem propemodum ſumma 900 annorum conficitur. In Aſtronomicis rationibus explicandis longior conſumitur oratio. Ea autem pars diſputationis a *pag. 21* usque ad *pag. 30* autorem habet *Joſephum Atwel*, S. T. P. quam, qui harum rerum ſtudio tenentur, conferre cum his poſſunt, quæ de eadem re, poſt *Bedfordium*, Anglum, Anonymus quidam ex eadem gente, in *Miſcellan. Obſ. Vol. III pag. 353* contra *Newtonum* diſputavit. Ceterum iſta quoque diſputatio *Atwelliana* eo redit, ut 900 fere annis ante C. N. vixerit *Heſiodus*. Altera pars hujus diſputationis verſatur in quæſtione: quomodo ſe habeat *Heſiodi* ætas ad Trojani belli tempora. Quam quæſtionem ita decidit, ut, aliquot Secula inter bellum Trojanum & *Heſiodum* intereſſe, quæ eſt vulgaris opinio, contendat. In quo fuſe multaque eruditionis copia refellit *Newtonum*, qui non niſi triginta circiter annos interjectos ſtatuit. Tertia parte hæc quæſtio diſceptatur: ſitne *Heſiodus Homero* aut par ætate, aut inferior, aut ſuperior; eaque eo deſinit diſputatio, ut *Heſiodus Homero* aut par ſit, aut perpaucis annis ſuperior. Alii ſunt in hac Diſſertatione *Robinſonii* non contemnendi loci. Nam *pag. 15* egregiis rationibus docet, *Homerum* & *Heſiodum* non eſſe, quod quibusdam videatur, mythologiæ de Diis autores, ac propterea impietatis accuſandos; *pag. 18* autem argumenta diluit, quibus Vir doctus in *Miſcell. Obſ. Brit. Vol. III pag. 71 ed. Amſtel.* contendit, non eſſe *Scuti* Autorem *Heſiodum*.

Reſtat, ut ſpecimina emendationum animadverſionumque *Robinſonianarum* afferamus; modo plures eſſent, &, quod ad animadverſiones attinet, quæ in explicando illuſtrandoque

Autore versantur, minus aridæ & jejunæ. In *Theogonia v. 32*, quem versum *Guietus* plane spurium existimabat, quod nullo modo consentiret antecedentibus, pro κλύοιμι e MStis reponitur κλείοιμι, quod habet certe longe commodiorem sensum. Αὐδὴ enim Poetæ datur, non ut *audiat*, sed ut *celebret*. *V. 293* e MSto *Bodlejano* pro ἔρθον legit Ὄρθρον, quod nomen est etiam apud *Apollodorum*, ut *Clericus* ad *h. l.* observavit. *V. 493* nimia τερατολογία visa est doctis: ἐπιπλομένȣ ἐνιαυτȣ̃: unde quidam legendum censebant: ἐπιπλομένων ἐνιαυτῶν. Hanc lectionem ipsam in Codice Regiæ Societatis invenit & reposuit *Robinsonus*. *V. 532* Τãυτ' ἄρ' ἀζόμενος &c. supposititium videbatur *Guicto*, propterea, quod mera in eo esset ταυτολογία. Itaque *Robinsonus* e Codicibus pro duobus versibus unum hunc reponit:

Τȣ̃τον ἄρ' ἀζόμενος παύθη χόλȣ, ὃν πρὶν ἔχεσκεν.

V. 610 ἔμμεναι ex opinione Scholiastæ παρέλκει. Ea ratio est, quare ita plerumque reddatur: *Malum perpetuo cum bono certat*. Aliter sentit *Robinsonus*, qui ita vertendum censet: *Malum perpetuo certat cum bono, ut sit;* neque enim aliud innuisse Poetam, nisi hoc, in sortem felicissimam semper mala quædam se intrudere. In *Scuto Herculis v. 72* pro τίς κεν ἐκείνῳ &c. legit Codex *Harlejanus* τίς κεν ἐκείνων, quod, tanquam multo accommodatius sequentibus, recepit *Robinsonus*. Nam, si ἐκείνῳ legas, referendum est ad *Martem*; sin ἐκείνων, ad subjectos versus: κείνων γὰρ μεγάλη βίη &c. Ad *v. 148* refellit *Clericum*, qui in descriptione *Clypei Hesiodei* reprehenderat cum nimiam imaginum multitudinem, tum αὐτόματα imaginibus reliquis admixta, quale est illud: δεινὴ ἔρις πεπότητο, & alia hujusmodi. Nam, quod ad prius attinet, *Boivinius* in Dissertatione de Clypeo *Homeri* & *Popius* ad *Homerum*, clypeo in partes diviso, omnibus imaginibus locum esse, docuerunt. Quod ad alterum vero attinet, errare vehementer *Clericum*, qui, αὐτόματα in scuto cælata velle *Hesiodum*, putet, & literam nimis urgeat. Nam illud v. c. Ἔρις πεπότητο non esse: *Contentio volabat*, sed *Contentionis volitantis imago erat cælata*. Itaque in hujusmodi locis intelli-

telligendum esse ὡσεὶ, ἴκελος, aut similia, quæ nonnullis in locis, tanquam *v. 189, 194, 198*, diserte adjiciantur. Ad *versum* autem *181* reprehenditur *Gravius*, qui Τιταρήσιον putaret nomen Lapithæ cujusdam proprium esse, cum sit gentilitium *Mopsi*, quod e *Diacono* ad *h. l.* & *Lycophrone v. 881*, & *Tzeze* ad eum locum, probat. In *Operibus v. 436* vulgo legitur πρίνε γύην, quod est manifeste contra metrum. Nam *v. 427* est Φέρειν δὲ γύην. Itaque *Heinsius* legebat: πρίνοιο γύην. *Gravius* autem in MSto invenerat: πρίνε τε γύην. *Robinsonus* e *Bodlejano* reponit: πρίνε δὲ γύην. *Versu 151*, Μέλας δ' ἐκ ἔσκε σίδηρος, pro μέλας quidam legi malunt μέγας, quod hac ratione fides *Hesiodi* juvetur. Nam ænea ætate, de qua ibi sermo sit, rarum quidem fuisse, sed cognitum tamen, ferrum. Sed, cum per se durum sit, μέγαν σίδηρον dici de copia ferri, tum vero Cl. *Robinsonus* putat, vel ex eo intelligi posse, incognitum ea ætate ferrum fuisse, quod ipsis Trojani belli temporibus adeo rarum ferrum fuit, ut inter res pretiosissimas referretur; quod variis *Homeri* locis confirmat, inprimis autem eo, ubi *Achilles* dicitur certaminis præmium posuisse *discum* seu *massam ferri rudis a fornace* σόλον αὐτοχόωνον, *Iliad.* Ψ. *827*. Vid. *Schol.* ad *h. l.*

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ ἈΠΟΜΝΗΜΟΝΕΥΜΑΤΩΝ Βίβλοι δ.

h. e.

XENOPHONTIS MEMORABILIUM SOcratis dictorum Libri IV. Recensuit, emendavit, illustravit, & Indicibus instruxit, JO. AUG. ERNESTI.

Lipsiæ, apud Mich. Turpium, 1738. 8.
Plag. 16.

Etsi juventutis Græcarum literarum studiosæ causa inprimis susceptum est horum librorum edendorum consilium; tamen, quoniam in Notis ea habita est ratio, ut docti etiam, quod non displiceat, invenire possint, non abs re erit, quædam

dam hic de hac editione commemorare, &, si quid in his libris emendatum aut explicatum est accuratius, indicare. Inter causas, propter quas rari hodie in Germania sunt, qui non excellentem, sed mediocrem aliquam, Græcarum literarum scientiam consequantur, hæc etiam refertur a Clariss. Autore hujus editionis, quod pæne interiit illa vetus consuetudo enarrandorum in Academiis Græcorum scriptorum, in scholis autem nonnullis explicetur quidem unus & item alter, sed ita tarde, ut, si quis unum *Hesiodum* v. c. integrum explicari velit audire, ei decem aut plures anni opus sint. Accedit illud incommodi, quod libri Græci aut tam rari sunt, aut tam pretiosi, ut non possit facile in vel mediocri cœtu, quem quis velit, Autor Græcus explicari. Itaque bene mereri de juventute & Græcis literis putandus est, si quis efficere studeat, ut parabiliores Græci libri fiant; quales olim fuisse constat, cum Basileæ, multisque aliis locis, aut sine interpretatione Latina & notis, aut sine notis saltem, prodirent, quod interpretatio notarum locum & vim tenere putaretur. Neque enim ignorant docti homines, illis temporibus, cum hujusmodi essent librorum Græcorum editiones, Græcas literas egregie floruisse, cum hodie, dum nimis exornamus Græcos Autores, in dies propius ad interitum venire videantur. Non est quidem improbanda doctorum hominum opera, qui interpretationibus Latinis & notis instruunt Autores Græcos, sed laudanda potius; sed, quam in Latinis Autoribus rationem semper tenuerunt docti viri, ut, præter eas editiones, quæ doctorum gratia concinnantur, etiam aliæ compararentur, quibus juventuti & paupertati consuleretur, eam etiam in Græcis tenendam esse existimamus. Ea res fiet, si libri Græci, qui quidem juventuti idonei videntur, sine interpretatione edentur, in notis autem is modus habebitur, ut non nisi necessaria, hoc est, quæ ad lectionem constituendam, & difficultates reliquas tollendas, pertinent, afferantur. Neque enim intelligi potest, quare *Xenophonti*, verbi gratia, scriptori plano & in plerisque facili, necessario sit integra Latina interpretatio, propter paucos obscuros locos, adjungenda, cum ridiculus videatur, si quis scholæ magi-

magister, qui *Livium* aut *Cæsarem* explicet, omnia verbis Germanicis reddere discipulos jubeat, etiam illa: *Fama Romam perlata est, Postumium exercitumque occisum esse. — Annum post quintum decimum creati Consules L. Lucretius Flavus, Servius Sulpicius Camerinus*, &c. His rationibus, aliisque fortasse, inductus Cl. Autor suscepit *Xenophontis* ἀπομνημονευμάτων Libris quatuor edendis juventuti consulere, plures Græcos hac ratione editurus, si Deus siverit. In hac editione autem concinnanda usus est editione *Stephani* prima, quod, alteram qui suppeditaret, invenire non posset; *Leunclaviana* A. 1596; *Welsiana*, quam satis vitiosam reperit; & ea, quam *Caselius* eodem consilio Rostochii A. 1589 edidit. *Juntina* & *Aldina* usi sunt *Stephanus* & *Leunclavius*, earumque varietates excerpsere. Ex *Aldina* fluxere, ut jam *Stephanus* monuit, *Basileenses*, nisi quod ex ingenio a *Castellione*, aliisque fortasse, aliquid passim mutatum est. Nam, cum, ut hoc utamur, *Lib. I Cap. 7 §. 1* omnes veteres editiones, etiam *Juntina*, & *Aldina*, legunt: *δι' ἧς ἄν τις ἀγαθὸς τε γένοιτο, καὶ μὴ δοκεῖν βϛλοιτο, Basileenses* quædam exhibent: *ἀγαθὸς τϛτο γένοιτο, καὶ δοκεῖν βϛλοιτο.* Noster vulgatam fere lectionem secutus est, eamque sæpe a conjecturis doctorum virorum vindicavit; nisi ubi aut veteres editiones, aut ipsa ratio, aliud juberent: quod cum factum est, in notis mutationis reddita est ratio. Adjectæ sunt etiam quædam lectionum varietates, cum ex editionibus veteribus, tum de conjectura doctorum virorum. Ceteræ notæ, non adeo multæ, in explicandis locis difficilibus, aut illustrandis, versantur. Quædam etiam sunt, quas facile docti homines intelligent discentium causa adjectas esse: tanquam cum vis particularum & verborum declaratur, quæ tantum ornamenti causa adjici vulgo putantur, cum temporum ratio redditur, Græcismi explicantur, ellipses supplentur, &c. quanquam talia etiam a viris interdum ignorantur. Quodsi *Perizoniis, Clarckiis, Dukeris*, aliisque, qui viris scripsere, licuit talia afferre, multo hic magis, pro instituto, locum habuere.

Sed

Sed age, ipsis e notis quædam, speciminis loco, afferamus. Initium faciemus ab eo ipso, cujus mentionem fecimus, loco. Cl. *Gesnerus* e vestigiis edit. Basil. legebat *δι᾽ ἧς ἂν τις ἀγαθὸς τοῦτο γένοιτο, ὃ καὶ δοκεῖν βούλοιτο*; quod illud ὃ absorbere potuisset ultima in *γένοιτο* litera. Noster, servata veteri lectione, unum *του* mutat in *τι*. Et sic loquitur sæpe in his libris *Xenophon*, e. g. *Lib. IV. 1. ult.* *ἔστις οἴεται διὰ τὸν πλοῦτον, μηδὲν ἐπιστάμενος, δόξειν τι ἀγαθὸς εἶναι* &c. Ad *Lib. I Cap. 5* reprehenditur lenius, quam pro merito, *Hutchinsonus*, qui in Cyropædiæ *Lib. I Cap. 11* jurandi formulam, qua *Cyrus* utitur, *νὴ τὴν Ἥραν*, mutat in *νὴ τὸν Δία*, quasi mulierum tantum sit ista consuetudo per *Junonem* jurandi, cum in his Memorabilibus, in Symposio, & aliis libris, sæpe ea utantur viri; quod non poterat ignorare, si, antequam editionem *Xenophontis* susciperet, eum, ut æquum erat, integrum perlegisset. Viri jurant per *Junonem* Deam Reginamque Deorum, mulieres per *Junonem suam* (vid. *Petron. Cap. 25*) h. e. per genium suum. *Lib. I. Cap. 1 §. 18*: *ἐπιθυμήσαντος τοῦ δήμου — ἐννέα στρατηγοὺς μιᾷ ψήφῳ, τοὺς ἀμφὶ Θράσυλον καὶ Ἐρασινίδην, ἀποκτεῖναι πάντας, οὐκ ἠθέλησεν ἐπιψηφίσαι.* In hoc loco bis peccare interpretes ad *h. l.* coll. ad *IV*, 4, 2, docet. Nam ita interpretantur: *Cum populus contra leges novem prætores, Thrasyli & Erasinidæ collegas, una condemnatione morte multari petebat, decretum, adjuncto suffragio suo, nolebat facere.* Nam primo non reddendum erat, *novem prætores, Thrasyli & Erasinidæ collegas*, sed, *novem prætores, Thrasylum nempe & Erasiniden cum collegis septem.* Decem enim creati erant. *Οἱ ἀμφί τινα* enim *h. l.* & aliis locis dicitur *is, qui est præcipuo, quacunque de causa, inter ceteros loco, cum reliquis.* Sic *Actor. XIII, 13*: *οἱ περὶ τὸν Παῦλον*, *Paulus cum comitibus Barnaba & Joanne.* Sed *Paulus* ibi potius commemoratur, quam reliqui duo, quod princeps inter eos erat, aut quod eo loco de *Paulo* inprimis agitur. *Erasinides* primus, ut e *Xenophonte Hist. Gr. Lib. I pag. 242, 248, ed. Wechel,* constat, accusatus atque in vincula ductus est, sine dubio etiam *Thrasylo* præcipui quid

in

in hac re accidit; itaque hi potius, quam reliqui, nominantur. Deinde ἐπιψηφίσαι male redditur *decretum facere, adjuncto suo suffragio;* quam verbi interpretationem in omnibus Lexicis receptam videmus; cum ex *Lib. IV*, 4, 2, discere potuissent docti viri, ἐπιψηφίζειν *h. l.* esse *in suffragia mittere.* Nam, cum ibi de eadem re sermo sit, sic *Xenophon* loquitur: ὐκ ἐπέτρεψε τῷ δήμῳ παρὰ τὺς νόμυς ψηφίσασθαι. Quodsi quis locos, in quibus hoc verbum occurrit, & quos attulit *Valesius* ad *Harpocr. p.* 74, excusserit, intelliget, plerosque ita interpretandos esse. Hanc vocabuli potestatem esse, vidisse etiam, Cl. Autor monet, Cel. *Dorvillium*, sed nullo exemplo confirmasse, in *Obs. Miscell. Vol. VII pag.* 5. Ejusdem *Libri Cap.* 4 §. 6 hæc verba sunt: ὡς δ᾽ ἂν μηδὲ ἄνεμοι βλάπτωσιν, ἠθμὸν βλεφαρίδας ἐμφῦσαι. Pro spiritu leni, qui est vulgo in omnibus libris & Lexicis in voce ἠθμὸς, reposuit Noster spiritum asperum, iis argumentis inductus, quibus Cl. *Chishul* hunc spiritum ei assertum ivit ad *Inscript. Sig. pag.* 37, 76, 77, quorum alterum est, quod *Apollonii* Scholiastes dicit: ἠθμὸς δασύνεται, alterum autem, quod in Inscriptione Sigæa illa antiquissima, βυστροφηδὸν exarata, est ΗΕΘΜΟΣ, non ΕΘΜΟΣ. Deinde defenditur hæc vox, & asseritur *Xenophonti*, cum eam *Victorius Var. Lect. Lib. XXIV Cap.* 16 ei ereptam voluerit. *Cicero*, cum de eadem re *de Nat. Deor. Lib. II Cap.* 57 diceret, ita eam explicavit, ut facile intelligatur, eum hunc locum *Xenophontis* præ oculis habuisse. Sed is dicit *pilorum vallum;* quod nihil simile habet cum ἠθμῷ. Itaque *Victorius* existimabat, θρίγκον aut simile verbum substituendum esse, quod munitionis genus significaret. Noster respondet, primo nullam esse necessitatem credendi, *Ciceronem* singula verba exprimere voluisse, qui nec ἀπογεισῶσαι & alia expresserit; deinde pilos præstare illos quidem usum *valli*, sed etiam *coli*, quod, si quid incidat, quod officere oculis possit, non transmittant, sed propter densitatem retineant. *Lib. II Cap.* 1 §. 8: μὴ ἀρκεῖν τῦτο, ἀλλὰ προσαναθέσθαι &c. Docti Editores malunt: τύτῳ, hoc sensu, *non contentum esse eum, sed* &c. Noster ostendit, sanum esse locum. Non dici

H ἀρκεῖν

ἀρκεῖν τινὶ contentum esse, sed ἀρκεῖσθαί τινι. Esse ellipsin τοῦ αὐτῶ, quæ non inusitata sit *Xenophonti*: *non hoc ei sufficere, sed ipsum sibi adjicere aliquid laboris* &c. Exempla ejus sunt in hoc ipso Libro, *Cap. 2 §. 6* de matre: καὶ οὐκ ἀρκεῖ θρέψαι μόνον, intellige αὐτῇ. *Lib III Cap. 3 §. 10* adjicitur Dativus: ἀρκέσει μοι τοῦτο. *Lib. II Cap. 7 §. 2* ad hæc verba: πολλῶν φυγόντων ὡς τὸν πειραιᾶ, συνεληλύθασιν ὡς ἐμὲ &c. ostendit, falsum esse, quod doctissimi Grammaticorum existiment, primo, ὡς dici pro πρὸς, deinde de rebus animatis tantum. Nam, quod ad primum attinet, esse non modo contra rationem, conjunctionem hanc præpositionis vim accipere, sed etiam contra exempla, quæ ab ipso afferuntur, in quibus ὡς πρὸς Accusativo simul jungantur; ex quo manifestum sit, ὡς πλεονάζειν, &, cum Accusativis jungatur, intelligendum ὡς πρός. *Lamb. Bosium* de Ellipsi jam hoc vidisse, sed nullum exemplum afferre potuisse, eoque ejus opinionem reprehensam esse a Rev. *Wolfio* ad *Libanii Epist. pag. 148*, quasi nullo idoneo exemplo probari posset. Idem dicendum esse de eo, quod docti viri, v. c. Cel. *Wassius* ad *Thucyd. Lib. VIII Cap. 103*, dicant, ὡς dici cum Accusativo pro εἰς. Quod ad alterum attinet, in loco citato *Xenophontis* esse ὡς τὸν πειραιᾶ. apud *Herodianum Lib. III Cap. 11*, ὡς πρὸς τὰς ἐννοίας, & apud *Jensium Lect. Luc. pag. 46* plura exempla esse juncti ὡς Accusativo rei inanimatæ. *Lib. III Cap. 4 §. 12*: οὐ γὰρ ἄλλοις τισὶν ἀνθρώποις οἱ τῶν κοινῶν ἐπιμελόμενοι χρῶνται, ἢ οἷσπερ τὰ ἴδια οἰκονομοῦντες, ὅσοι ἐπιστάμενοι χρῆσθαι, καὶ τὰ ἴδια, καὶ τὰ κοινὰ καλῶς πράττουσιν· οἱ δὲ μὴ ἐπιστάμενοι, ἀμφοτέρωθε πλημμελοῦσιν. Hunc locum suspectum de mendo habuere *Stephanus* & *Leunclavius*, & post, aut ante χρῆσθαι inserendum putarunt ἀνθρώποις. Nostro, quod ad alterum attinet, secus videtur. Nam, si hac ratione constitui locus posset, ἀπὸ κοινοῦ repeti ἀνθρώποις posse putat. Se illud ὅσοι concoquere non posse, & legendum putare pro ὅσοι, οἷς οἱ &c. opponi sibi οἱ ἐπιστάμενοι, & οἱ μὴ ἐπιστάμενοι, οἷς οἱ facile mutari potuisse in ὅσοι, deleta una litera jota. *Lib. III Cap. 5*

§. 4

§. 4 mentio fit calamitatis, quam Athenienſes a Bœotiis duce *Tolmida* acceperant, de qua fuſius agit *Thucydides Lib. I Cap. 113*, ſed de loco, ubi ea accepta eſt, non conſentiunt Autores. Nam *Thucydides* ad Chæroneam, *Pauſanias* ad Haliartum, accidiſſe prodiderunt. Vid. Interpretes ad *Thucyd. l. c.* & *Palmer. Exerc. pag. 46.* Nemo autem hunc *Xenophontis* locum vidit, cujus ope conciliari reliqui ſcriptores poſſunt. Nam *Xenophon* id factum dicit ad Lebadiam. Ea autem fuit prope Chæroneam & inter Chæroneam & Haliartum intermedia. *Lib. III Cap. 13 §. 3:* ἀλλὰ ψυχρὸν, ἔφη, ὥςε λȣ́σαϑαι ἐςιν. Manifeſtum eſt, intelligendum eſſe μᾶλλον ἤ. Jam non deſunt exempla ellipſeos τȣ̃ μᾶλλον ante ἤ, & τȣ̃ ἤ poſt μᾶλλον. Sed μᾶλλον ἤ ſimul omitti, id inſolens eſt. Itaque Noſter ſuſpicatur, ἤ abſorptum eſſe ab ultima litera verbi antecedentis ἔφη. Sed nihil definit. *Pag. 156* miratur, doctos viros ſuſpectam habuiſſe vocem ἀσκήσεως *Lib. III Cap. 14 §. 3*, ubi *Socrates* reprehendit eos, qui nimium obſonii ſine pane ſumunt, μὴ ἀσκήσεως, ἀλλ' ἡδονῆς ἕνεκα, pro quo legendum contendebant: ἀρτύσεως. Nam ἄσκησιν, cujus ſæpe in his libris mentio fiat, eſſe vitam athleticam & leges, quibus ſe athletæ adſtringunt. Athletarum autem fuiſſe τὸ ἀναγκοφαγεῖν, h. e. e certa quadam lege cibum capere, qua lege plurimum carnis & obſonii edendum erat, ut ſcilicet pingueſcerent, & robuſtiores fierent. In proverbium abiſſe *athleticum victum*, & *athletice vivere*. Itaque hunc loci ſenſum putat: *Si quis obſonium edit ſine pane, non quod athleta eſt, & ex athleticæ vitæ lege & conſuetudine, ſed voluptatis cauſa*, &c. Sed plura nos dixiſſe intelligimus, quam pro libri magnitudine. Itaque, quanquam plura hujus generis afferre poſſemus, tamen, quæ dicta ſunt, ſufficiant. *Pag. 19. not. m.* Cl. Autor ſcribere voluit: *cum aliis nullis.*

ALGEMEENE HISTORI, BEHELZENDE een ericht van alle Volken, en de Zaeken, onder hen voorgevallen, &c.

h. e.

HISTORIA UNIVERSALIS, CONTINENS eventus & acta omnium populorum, rerumque inter ipsos gestarum, inde ab initio mundi usque ad nostram ætatem, concinnata a Societate Eruditorum in Anglia; ex Anglico sermone translata nunc in Hollandicum, ac nonnullis observationibus aucta, per CORNELIUM WESTERBAHN.

Ultrajecti, apud Besselinum, 1736, 4.
P. I Alph. 5 plag. 11, cum Fig. æn. 7, P. II Alph. 2 plag. 2.

Operis hujus, ad omnem secuturam ætatem commemorabilis, *Tomum primum*, Hagæ Comitum Gallice factum, jam hisce in *Actis A. 1733 Mens. Majo pag. 195* pro merito commendavimus. In præsens explicatiorem Operis summam exponemus, de Cl. *Westerbanii* Annotationibus differemus, ac ex *Parte II*, quam in recensione superiori vix attigimus, nonnulla delibabimus. Necessitatem operis, Anglis accommodatam, in dubium haud revocamus. *Walteri Raleich* & D. *Howelii* Opera Anglica mendis scatent, & emendationibus egent vix numerandis. Et quis æqui bonique consulere potest, Historicos populorum minorum rationem non habere, sed eos inserere, vel subdere, gentibus majoribus veluti devictos & triumpho insignitos. Societas Eruditorum Angliæ præstantissima, & nationi suæ solidam historiam totius terræ populorum, & orbi erudito reliquo documentum diligentiæ suæ immortale, datura, ex fontibus ipsis sitim restinguit, Geographiam & Chronologiam ubique maximi pendit, nihilque eorum omittit, quæ ad monumentum tam egregium & ære perennius illustrandum facere possunt. Ne quis vero operis mole deterreatur, *quatuor Tomis* formæ maximæ, quam vocamus in folio, *octo* in *Volumina* dissecandis, sese institutum suum esse complexuros, eruditi Viri pollicentur. Dabimus summam & synopsin Operis universi, quam Societas ipsa proposuit; sed qua libertati suæ, passim nonnulla emendandi, nihil derogatum iri existimavit.

Volu-

Volumen primum continebit 1) Introductionem, qua de origine mundi differitur; 2) historiam de diluvio; 3) multiplicationem generis humani ex *Noacho*; 4) historiam universalem ad erectionem primarum rerumpublicarum, seu regnorum antiquissimorum; 5) historiam Ægyptiorum usque ad id tempus, quo a Babyloniis & Persis fuerunt devicti; 6) de Cananitis, Ammonitis, Moabitis, aliisque, donec ipsi ditioni Judæorum accesserunt; 7) de Philistæis, Phœnicibus, & Syris. Huc usque & Autores & Translatores fuerunt progressi. Futurus labor exponet 8) de Judæis usque ad transmigrationem Babylonicam; 9) de Assyriorum regno; 10) de Babyloniorum imperio, & 11) Medorum dominatu; 12) de Persarum imperio usque ad exitum *Darii Codomanni*; 13) de rebus Persicis antiquissimis ex Scriptoribus orientalibus; 14) de Scythis, eorumque posteris ac progenie, Cimmeriis, Celtis, & Gallis; 15) de Trojanis usque ad Trojæ excidium; 16) de Lydiorum, Cilicum, & aliorum, dominatu, usque ad Persarum dominatum. *Volumen secundum* complectetur historiam Græcorum & Asianorum inde ab *Alexandri M.* ætate usque ad *Muhammedem*, nominatim 1) mythologicam & heroum; 2) Sicyonis, Argolidis, Atticæ, Bœotiæ, Thessaliæ, Thebaidis, Corinthi, Laconicæ, &c. 3) urbis Athenarum usque ad fœdus Achaicum; 4) Spartæ urbis a *Lycurgo* usque ad *Philopœmenem*; 5) Græciæ inde a fœdere Achaico usque ad excidium & Romanorum dominationem, inserta Græciæ descriptione ad ætatem usque nostram; 6) Græcarum rerumpublicarum in Asia minori, in Sicilia, Creta, Samo, Rhodo, &c. 7) regni Macedoniæ usque ad *Alexandrum Magnum*; 8) dominationis *Alexandri Magni*; 9) successorum ejus ad *Persea* usque; 10) regni *Antigoni*, filiique *Demetrii*, in Asia; 11) Seleucidarum in Syria; 12) Lagidarum in Ægypto; 13) regnorum Armeniæ, Ponti, Cappadociæ, Cariæ, Pergami, Thraciæ, Epiri, &c. 14) Judæorum inde a reditu ex exilio usque ad excidium templi secundi; 15) Arsacidarum seu Parthorum usque ad *Artaxerxem* Persam; 16) Persarum usque ad Arabum dominationem in Perside. *Volumen tertium* continebit histo-

riam Romanam, 1) ante Romam conditam; 2) a *Romulo* usque ad *Arcadium* & *Honorium*; 3) occidentalem usque ad *Odoacrum*; 4) orientalem usque ad Latinos, Constantinopolin occupantes; 5) & inde usque ad annum 1453; 6) sigillatim imperii Trapezuntii; 7) reipublicæ Carthaginensium, & 8) regni Numidiæ ac Mauritaniæ. *Volumen quartum* comprehendet historiam Muhammedanam, *quintum* complectetur occidentales & septentrionales Europæ populos, eorumque in imperium Romanum irruptiones, Hispanos, Gallos, Britannos, Hunnos, Wandalos, Visigothos, Suevos, Francos, Ostrogothos, Exarchos Ravennenses, & Longobardos. *Volumen sextum* continebit historiam Hispaniæ, Portugalliæ, Galliæ inde a *Pharamundo*, Normanniæ, Italiæ a *Berengario* ad *Ottonem I*, Pontificum Romanorum, Venetiarum, Genuæ, Luccæ, & Ragusæ, Neapolis & Siciliæ inde ab ætate *Tancredi*, Sardiniæ, Corsicæ, Mediolani, Florentiæ, Ferraræ, Mutinæ, *Urbini*, Mantuæ, Parmæ, Sabaudiæ, Cantonum seu Pagorum Helvetiæ, Grisonum, reipublicæ Genevensium, &c. Hæc unico *Volumine* posse coerceri, quis credibile existimabit, nisi amphora cœperit institui, urceusque exeat. *Volumen septimum* complectetur historiam Westrasiæ, circulorum Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Angliæ ac Walliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Hollandiæ, seu Belgii fœderati, Burgundiæ, Lotharingiæ, Daniæ & Norwegiæ, Sueciæ, Prussiæ, Poloniæ, Russiæ, Slavonicarum terrarum, e. g. Moldaviæ, Walachiæ, &c. *Volumini octavo* destinata est historia Abassinorum, Algeriæ, Tuneti, Tripolis, Melitæ insulæ, Principum Fezzæ & Maroccii, coloniarum Europæarum in Africa, detectionis Americæ, regni Mexicani, & Peruani, nec non coloniarum Europæarum per Americam. Quantum ad Notas, recens adjectas, attinet, eæ sunt initio admodum paucæ. Communicabimus nonnullas cum Lectore. Significatur *pag. 20*, Societatem eruditorum Britanniæ vocasse *Amalricum*, qui vocandus fuerit *Almaricus*, hæreticum Seculo XIII combustum, Theologum Parisiensem. Quam Annotationem firmo insistere talo, existimamus. Laudat

dat Cl. Translator mappam geographicam Domini *de L'isle*, qua paradiſum Armeniæ attributum delineavit; *pag. 159 Selandivo* reputat pro inſula *Ceylon pag. 162*, ſiquidem inſulam Malabares appellant *Div*, ac *Joannem Clericum* notat, qui per illam intelligit inſulam Madagaſcar *Comment. in Geneſ. VIII pag. 72.* Interpres novus ad *pag. 170 Joſephi*, Hiſtoriographi Judaici, ſententiam de ſerpente ſeductore proponit, eum olim facultate loquendi inſtructum, poſthæc vero ea vi multatum, arbitrati. *Aben Eſra* & alii idem ſentiunt. Arabes, *Muhammede* antiquiores, credidere, diabolos in ſerpentes fuiſſe converſos. Serpentes diabolum callide in paradiſum introduxiſſe, reliquis beſtiis recuſantibus, commemorant Mahometani, teſte *Maraccio* ad *Alcor. pag. 22.* Ad *pag. 173* notat, nonnullos veterum crediſſe, *Evam* ſerpentem pro filio habuiſſe Dei, laudans nominatim *Tertullianum de Præſcript. Hæretic. pag. 221. Abrabbanel* putat, ſerpentem cum *Eva* haud fuiſſe locutam, ſed hanc imitatam fuiſſe illam, cibos ex arbore citra noxam carpentem. Idem ad *pag. 177* annotavit, *Goropium Becanum* arborem vetitam habuiſſe pro ficu Indica, Barcepham vero pro ficu. Muhammedani fructum vetitum habent alii pro ariſta, alii pro ficu, alii pro vite. Rei venereæ amatores obſcœnam excogitarunt interpretationem, quam Cl. Translator refellit. Ad *pag. 180* voces תפר & עלה exponit, illam de conjunctione rei unius ad alteram, ob *Job. XVI, 15, Ezech. XIII, 18*, hanc de frondibus, tentorio componendo aptis, ob *Neh. VIII, 15*, capiens. Voces להט החרב המתהפכת ex *Geneſ. III, 24*, de flamma diviſionis, ſeu flamma dividente, exponit *pag. 181.* Ad *pag. 185* annotat, *Paracelſi* ex ſententia primos homines genitalibus membris caruiſſe, eaque poſtea demum protuberaſſe. Ad *pag. 188 ſeq.* commemorat nonnulla de terræ mutatione aſtronomica. Ad *pag. 203* refert, Orientales, *Adamum* in Indiam migraſſe, credere: Arabes filium *Adamo*, ſeniorem *Caino*, tribuiſſe: *Cainum* & *Habelem* Judæos pro geminis reputaſſe. Deinde autem Cl. Interpres annotationes non parca manu ſerit, ſed effuſe adjungit, largeque diſſeminat. De ſigno *Caini* varia *pag. 210 ſeq.* cumulat, additque

ditque nonnulla ad mortem *Caini* illustrandam *pag. 214 seq.* *Lamechi* digami verba cum interprete Arabe capit per modum interrogationis *pag. 216.* De extremis *Enochi* fatis congessit varia, & ea admodum jucunda, *pag. 219 seq.* nec non de sepulchro & morte *Adami pag. 224 seq.* De terra Siriade seu Siriadica, in qua columnæ *Sethi* exstitisse dicuntur, afferuntur haud tralatitia *pag. 227 seq.* &, dum eam ad Nilum in Ægypto quærit, oblitus fuit *Hadriani Relandi*, qui in *Palæstina Lib. I Cap. 53 pag. 343*, eam esse regionem Serum in India, credidit. De filiis Dei, *Sethi* progenie, a *Lactantio* aliisque Patribus in angelos, amore mulierum captos, conversis, quibus *Egregoris* cognomen fuit, copiose commentatur ad *pag. 230 seq.* Varias de נפילים sententias idem exposuit ad *pag. 235 seq.* negans, gentes integras olim fuisse e gigantibus compositas, licet, gigantes ante diluvium exstitisse fre-
Pag. 238. quentiores, affirmet. De voce ידון *Gen. VI, 3*, ita sentit, ut per eam intelligat Dei *μακροθυμίαν*, ob *1 Petr. III, 20.* Ter-
243 seq. ram antediluvianam idololatria fuisse fœdatam, non ex *Mo-*
244 seq. *se*, sed ex *Sanchoniathone*, elucet. Ad *Sanchoniathonis* narrationes illustrandas varia afferuntur jucunda. Videtur tamen *Dodwellus* nobis satis superque ostendisse, *Herennium Philonem* exstitisse impostorem, *Sanchoniathonis* sub nomine sua
257 seq. effingentem. Exponuntur nonnulla, ad *Berosi* Reges Chaldææ antiquissimos referenda, qui decem Patriarchæ antediluviani exstitisse videntur. Urbem Sippharam, Pantibiblam,
259. & Sepharvaim, fuisse unam eandemque, conjicit. Liceat in-
271 seq. telligere *Palæobiblon Syriæ.* Monumenta diluvii universalis, nec Americanis ignota, ipse passim conquisivit & attulit. Conchilia petrefacta pro ruderibus diluvii habet; de cani-
279. bus carchariæ, ossibus piscium, arboribusque petrefactis, quid sentiat, est incertus. Per תהום רבה, *abyssum magnam*, designatam credit aquarum subterranearum multitudinem.
287. Diluvia maxima ex motibus terræ oriri posse, imo orta fuis-
294. se, indicat. Montes altissimos non excedere 5 milliaria An-
297 seq. glicana, docet. De voce צהר, instrumento, quo arca *Noachi* fuit illustrata, optima quævis congessit. De urbe Ciboto

&

& *Celeneis* Syriæ commentatur succincte. De *Gordiæis* Pag. 326.
montibus nonnulla addit, memoratu digna. De monte 328.
Ararat plura transscribit. Per *Fo-Hi*, Tzinensium Imperatorem primum, designari *Noachum*, suspicatur. Ad 338 seq. 358 seq.
historiam *Chami* illustrandam selectissima adjecit, nihilque 366 seq.
eorum omisit, quæ ad varias de singulis rebus gestis sententias facere, & aliquid subsidii afferre, poterant. De *Adado* 424 seq.
Justini copiose commentatur: nec minus fuse de reliquiis 451 seq.
turris Babel disserit. Ac, ut intelligatur, quo modo e mortalibus diluvio defunctis intra trecentos circiter annos orbis terrarum receperit incolas, computationum *Petavii*, *Cumberlandi*, ac *Whistoni*, tabulas Operi inseruit, addita tabula, 496 seq.
e qua brevitas vitæ humanæ in dies contractior dilucet, a *Semo* ad *Davidem* usque protracta. Ad mensuras pyramidum 502.
adjecit nonnulla *pag. 578 seq.* De Ægyptiorum arte, producendi pullos ex ovis interventu fornacium, accurate disseruit *pag. 620 seq.* De literis Copticis erudite egit *pag. 687 seq.* De primo Ægypti Rege, *Mene*, haud tralatitia exposuit, 740 seq.
nec non de *Sisaco* ac *Sesostre pag. 749 seq.* Idolum *Dagon* Tom. II.
illustrat *pag. 169 seq.* De *Colchorum* origine disquirit *pag. 173 seq.* Gigantas Philistæorum illustrat *pag. 207 seq.* Ad Syriæ geographiam, quæ commemoratur *pag. 215 seq.* varia adjecit, commemoratu haud indigna. De origine vocis *Palmiræ* commentatur *pag. 233 seq.* De Rege *Adado*, *unum* notante, egregia collecta videbis *pag. 246 seq.* monumenta. Eruditissimi Societatis historicæ in Anglia Sodales nihil fecerunt reliqui, ut & copiose, & solide, quicquid destinationi ipsorum adjumento esse poterat, enarrarent. Interpres vero Belga, sese multijugæ lectionis esse Virum, judicioque præditum critico, in Accessionibus satis superque demonstravit. Constitueramus plura ex thesauro Societatis decerpere. Sed fuimus jam longi, &, ut fruantur cœna, a Sodalibus apposita, invitandi sunt Lectores. Licet vero, quantum ad Geographiam veteris Ægypti & Syriæ attinet, paululum ab Autoribus dissentiamus nonnunquam, non tamen possumus, quin suspicemur, fore, ut proxime Operis tam egregii & in

officina Phidiæ nati interpretem adſpiciamus Latinum, qui monumentum hoc immortalitate digniſſimum uſibus omnium gentium, in quibus aliquid valent literæ, ac Seculi futuri cujuscunque, conſecrare fuerit conatus.

CORPUS JURIS ROMANI, IN DUOS TOmos diſtinctum, ſingulari cura recuſum. Præfationem præmiſit JO. GOTTL. HEINECCIUS, JCtus.

Tomi II.

Lipſiæ, apud Chriſt. Sam. Crugium, 1735, 8 maj.
Tom. I Alph. 6 plag. 13, Tom. II Alph. 5 plag. 15.

Non dubitamus, fore pleroſque, quibus mirum videatur Bibliopolæ Lipſienſis, *Crugii*, varias & fere innumerabiles Corporis Juris Romani editiones nova adaugendi, conſilium. Nos ergo, inſtitutum viri optimi omni dignum commendatione judicantes, operam nunc dabimus, ut, quæ ſit hujus editionis præſtantia, quod præ reliquis decus, omnibus conſtare poſſit. Si verum eſt, quod nemo dubitat, typi elegantiam & accurationem libris eximio, imo prorſus maximo, eſſe ornamento, certe non exiguas laudes hæc merebitur editio, quæ legum civilium collectionem, minori forma, characteribus nitidiſſimis, deſcriptam, &, quoad per humanam imbecillitatem licuit, ab omnibus vitiis purgatam, exhibet. Id unicum dolemus, omiſſa in hac editione illa Jurisprudentiæ Romanæ ſcita, quæ ſtudioſe contulerunt antiquiores JCti, *Cajus*, *Paulus*, & *Ulpianus*. Interea, ſi nullum aliud haberet, certe illud foret maximum ac plane ſingulare decus, quod ei attulit Illuſtris Viri, *Jo. Gottl. Heineccii*, copioſa, erudita, atque elegans Præfatio. Compeſcit hic Vir Celeberrimus miram illorum hominum audaciam, qui Juris Romani compilationem graviſſimis proſcindunt calumniis, omnibusque diris devovent. Quanquam vero non eadem omnes

omnes ratione in illam invadunt, ad tres tamen classes eosdem commode referri posse, arbitratur. Alii enim diffamant *Justinianum*, alii flagitia *Triboniani* & sociorum detegunt, alii ipsius operis nævos exaggerant. Qui famæ *Justiniani* minuendæ operam impendunt, sex in ipso reprehendunt crimina, quorum ea est ratio, ut, etiamsi concedamus omnia, inde tamen nihil in Collectionem, ipsius auspiciis adornatam, redundare possit detrimenti. Sed nec ita liberalis est Ill. *Heineccius*, qui a singulis pios Imperatoris sacratissimi manes liberat. Primo *divinos honores* notant, quos sibi tribuisse immodestius videtur Imperator. Negari nequit, voluisse eum in *l. 2 C. de Fabric. adorari æternitatem suam*; qua in re hostes ejus bina deprehendunt usurpatæ divinitatis argumenta. Frustra. Nam & antiquiores *Justiniano* Cæsares æternitatem sibi tribuunt, quod patet ex *l. 160 C. Th. de Decur.* & *l. 3 C. Th. de Fabric.* ut adeo more receptum & in stilo curiæ solenne dicendi genus esse videatur. *Adorare*, id est, submissa corporis inclinatione venerari Reges, jam inter Hebræos nota res fuit, ceu *Hugo Grotius* ad *Exodi XX* evicit. Græci, si *Zonaræ* fides, diu ante *Justinianum* eandem custodiverunt consuetudinem, imo *Constantii* ætate homines ἐπὶ τὴν ἀλουργίδα βασιλέως πετομένους commemorat *Themistius*. Secundo *amor Theodoræ, mulieris scenicæ*, in *Justiniani* numeratur vitiis, quanquam illa de uxore Cæsaris narratio ad calumnias *Procopii* pertineat, quippe qui ipse alibi eam γυναῖκα σοφωτάτην nominat. Tertio damnatur *avaritia*, qua non totum solum orbem Romanorum exhausisse, sed cui in legibus etiam ferendis lenocinatus Imperator, dicitur. At male egit *Procopius*, qui ex hoc uno, quod Emesenæ ecclesiæ procuratores argento dato præscriptionem actionum ecclesiæ centum annis finiendam obtinuissent, regulam ducere generalem ausus est. Certe, si huic pravæ mentis concitationi ultra modum tribuisset *Justinianus*, retinuisset, quas abrogavit, vigesimam hæreditatis, & pœnæ servitutem. Quarto *vanæ gloriæ* accusant *cupidinem*, ὅπως δὴ νεώτερά τε καὶ αὐτοῦ ἐπώνυμα εἴη

Pag. 10 seq.

12 seq.

15 seq.

 ἅπαντα.

Pag. 18. ἅπαντα. Quis vero eam ob caufam alios derifit Principes, quod urbes, pontes, portus, codices, fuo decoraffent nomine?
19. Quinto *imperitiam literarum* objiciunt. At enim vero errorem *Suidæ*, vel, fi mavis, fcribarum, *Procopius* ipfe dudum
20. difpulit. Sexto rident, quod *metaphyficis fubtilitatibus* magis, quam folidæ eruditioni, ftuduerit. Nos vero facrilegii eos poftulandos arbitramur, qui fanctioris Theologiæ placita ad fomnia Metaphyficorum amandare non erubefcunt. Sic, falvo *Juftiniano*, patrocinium *Triboniani* in fe recipit Vir illuftris. Iis, qui *vanitatem* & *adulationes* ei objiciunt, refpondet,
21. narrationem *Procopii* de fublimi ad cœlos raptu vel plane effe confictam, vel eodem modo interpretandam, quo illud Venufini ad *Auguftum* Carmen: *Serus in cœlum redeas*, &c. *Leges habere venales* Quæftor facri palatii facili potuit nego-
22 feq. tio. At, ubi Juris Corpus concinnare inciperet, munus hoc dudum depofuerat. *Paganifmo* favere non potuit, cum ita,
24 feq. tefte *Cedreno*, nullus ipfi patuiffet ad rempublicam adminiftrandam aditus. *Interpolationes* legum veterum ultra modum augeri notat, nec tamen eas penitus vocat in dubium, Ill. *Heineccius*. Sed hic nihil egit *Tribonianus*, nifi quod in Con-
30. ftitutione *de Concept. J. §. 7* ipfi permiferat Imperator. Quæ
36. in ipfum Juris Corpus evomuntur criminationes, notæ funt, & faciliori opera removendæ, ut adeo in iftas excurrere fupervacaneum videatur.

JO. GOTTL. HEINECCII, JCTI, CONfil. intimi Pruffici, Juris & Philof. in Academia Fridericiana Antecefforis, Opufculorum variorum Sylloge, olim feorfim editorum, jam in hunc Fafciculum collectorum.

Halæ Magdeburgicæ, fumtibus Orphanotrophei, 1735, 4. Alph. 5 plag. 23.

Cum omnium, quæ ab ingenio Ill. *Heineccii* proficifcuntur, fcriptionum ea fit indoles, ut felicem memoriam, ingenium

nium fœcundum, limatumque prodant judicium; nullum eſt dubium, quin & hæc Opuſculorum variorum Sylloge communem plauſum orbis eruditi, dudum in tanti Viri admirationem converſi, promereatur. Splendet in præmiſſa ad Lectorem Epiſtola inſignis, quam Celeberrimus ille Jurium Antiſtes ſibi familiarem reddidit, modeſtia. Ea ſtudioſiſſimis famæ *Heineccianæ*, & novam minorum, non ingenio, ſed mole, Opuſculorum editionem flagitantibus, Bibliopolis moram injecit, nec prius moveri potuit, quam ubi exteros rem eandem meditari, & Opuſculis illis conjunctim edendis operam impendere, ſat certo conſtaret. Tum vero Ill. Vir, bene putans, natura ita eſſe comparatum, ut dominus plurimum videat in rebus ſuis, ſcripta, quæ aut ipſe compoſuerat, aut compilata ab aliis ſub ſeveriorem cenſuram vocaverat, in unum colligendi volumen, conſilium cepit. Habemus ergo *Exercitationes Academicas XXVII*, Indice auctas, quem, etſi non ipſe compoſuit *Heineccius*, talibus tamen ingeniis commiſit, de quorum induſtria optima quævis ſperare diuturnum docuerat contubernium. Diſſertatio *prima, de Habitu Apoſtolorum ſacerdotali, Baronii* compeſcit audaciam, qui ſanctis Soſpitatoris optimi legatis eundem affingere, quo hodie clerici Papæ faventes utuntur, corporis habitum, nullus dubitavit. Dedit elaborandæ Exercitationi anſam inſtitutum ab Ill. Autore ſanctæ Theologiæ ſtudium, cui ab ephebis a matre veneranda deſtinatus fuerat. Hoc & *ſecundam* peperit *de genuina nativitatis Chriſti æra* Diſſertationem, e numis & Inſcriptionibus illuſtratam, ornandæ & confirmandæ *Ant. Pagii & Henr. Noriſii* ſententiæ mire inſervientem. Nihil additum ab Ill. Viro, nihil mutatum, ſi, quæ de *Dionyſii Periegeta* & miſſi in orientem Præſidis ætate ac differentia præclare diſſerit, excipias: qua in re magnos ſuperioris ætatis Criticos, *Salmaſium, Voſſium, Barthium*, alioſque, habere videtur conſentientes. Exercitatio *tertia, de veræ falſæque ſapientiæ characteribus*, ad Philoſophiam reconditam; *quarta, de inceſſu, animi indice*, ad Phyſices ſubtilioris ſcita, pertinet: utraque ſimul antiquitates & literariam, quam vocant, Hiſtoriam mirifice illuſtrat. Pag. 110 ſeq. §. 28.

 Sequi-

Sequitur Exercitatio *quinta, de Philosophis semichristianis* inscripta: post *sexto* loco succedit inauguralis, *de origine ac indole Jurisdictionis patrimonialis*, festinanti, ut ait Ill. Autor, conscripta calamo, & intra paucos dies absoluta; quod argumentum resumsit, auxit, & emendavit, in *Germanici Juris Elementis. Septima, de levis notæ macula, l. 27 C. de inoffic. test.* explicat; *octava de navibus ob vecturam vetitarum mercium commissis* dispicit; *nona de origine & jure Collegiorum & corporum apud Romanos* agit, remque a nemine antea tractatam plene persequitur. Locum *decimum* occupat aditialis Ill. *Heineccii* Oratio, *de Jurisprudentia veterum Romanorum formularia*, qua munus Professoris in Academia Franequerana auspicatus est. Exercitatio *undecima* est *de vitiis negotiationis collybisticæ vel cambialis; duodecima de P. Juventio Celso; decima tertia de JCtis semidoctis; decima quarta de Mercatorum, qui foro cesserunt, rationibus & codicibus; decima quinta de Ususfructu materno Juris Germanici, & maxime Hamburgensis; decima sexta de lubricitate jurisjurandi suppletorii; decima septima de Religione judicantium circa reorum confessiones; decima octava de Ulpiani JCti hebraismis; undevigesima de suprema Principum magistratuumque tutela; vigesima de JCtis reformationi ecclesiæ præludentibus; vigesima prima de eminentioribus Ducatus & Ducum Lotharingiæ prærogativis; vigesima secunda de C. Aquilio Gallo.* Varia hic, quæ ad *gentem Aquiliam* pertinent, reperiuntur capita. Mentio fit *M. Aquilii M. F. Galli*, ad cujus vitam illud recens adjiciendum arbitratur Vir Celeberrimus, quod repetundarum accusatus, cicatricum ostentatione evaserit periculum, legatusque in Asiam Mitylenæis A. U. C. 664 *Mithridati* traditus, morte perierit dirissima, testibus *Appiano* in *Mithridaticis pag. 184, Plinio Hist. Nat. XXXIII, 1, Cicerone pro Lege Manil. Cap. 5, Arnobio adv. gent. I pag. 23. Vigesima tertia historiam Salvii Juliani* exponit; *vigesima quarta de Marito tutore & curatore uxoris legitimo* agit; *vigesima quinta de Præscriptione annali Juris Lubecensis a Jure communi diversa; vigesima sexta de Testamenti factione Jure Germanico arctissimis limitibus passim* circum-

circumscripta; vigesima septima de origine testamenti factionis, & ritu testandi antiquo. Ipsi harum Exercitationum indices loquuntur, non trita in illis tractari aut vulgaria Jurisprudentiæ ac Historiarum capita: contra vero, omnia sic esse comparata, ut *Heineccium*, id est, doctrinæ omnis promum condum referant, divinarumque & humanarum rerum thesauros recludant præstantissimos.

JO. DAN. GRUBERI, CONSIL. AUL. ET Histor. Regii Hanover. de Constitutionibus Friderici II Imperatoris, Moguntiæ A. 1235 Germanice editis, vel non editis, sententia, excerpta ex literis ejus ad F. O. M.

Godefridus Coloniensis, Seculi XIII locuples inprimis & fide dignissimus Scriptor, de Comitiis Moguntinis ad A. 1235 hæc habet: *Curia celeberrima — apud Maguntiam indicitur, ubi, fere omnibus Principibus regni Teutonici convenientibus, pax juratur, vetera jura stabiliuntur, nova statuuntur, & Teutonico sermone in membrana scripta omnibus publicantur.* Quæ verba disquirendi ansam dederunt, num recte asseratur, Constitutiones illas Moguntinas *idiomate Germanico* fuisse consignatas. Ajentibus succurrit non solum Speculum Saxonicum, sub id ipsum tempus lingua vernacula conscriptum, sed & exemplum harum Constitutionum Germanicum, a *Goldasto* primum in Statutis & Rescriptis Imperialibus anno 1607 *pag. 80*, ac deinceps parte altera Operis, quod *Reichs-Satzung* inscripsit, *pag. 17*, exhibitum: idque non e cerebro confictum, sed ex Corpore quodam Constitutionum Imperialium, jussu *Friderici III* Imperatoris Venetiis A. 1476 a *Nicolao Jensonio* typis excuso, productum. Negantibus illud præsidio est, quod, licet in monumentis hujus & anterioris Seculi formulæ passim integræ Germanicæ deprehendantur, veluti in Constitutione judiciaria Coloniensi A. 1169, ipsa tamen Acta publica non nisi Latino sermone perte-

xeban-

xebantur. Speculum Saxonicum frustra ad partes vocatur; privati quippe hominis opus, & autoritate publica destitutum. Qui *Friderico III* Imperatori exemplum Germanicum Constitutionum *Fridericianarum* in manus dederunt, optimo Principi fumum vendidisse videntur. Dialectus enim illa Germanica, quam hoc exemplum prae se fert, adeo aevum *Friderici II* non redolet, ut partus idem non *Rudolpho* solum Regi, sed & filio *Alberto*, licet utroque posterior, haud paulo aequiore Minerva fuerit suppositus apud *Schilterum* in Appendice *Tomi II* Thesauri Antiquitatum Germanicarum, & ad calcem Juris Feudalis Saxonici, editi Budissinae A. 1557. Maxima difficultas est a verbis & fide *Godefridi*, Coloniensis. E qua tamen eluctabimur, si ductu monumentorum medii aevi indagemus, quomodo inter acta publica, quae omnia Latinis literis consignata novimus, subventum fuerit laicis, Latinam linguam ignorantibus. Ubi primum observamus, Legatos sedis Apostolicae, Crucisque & Indulgentiarum praedicatores Transalpinos, quoties in Germania ad populum verba fecerunt, praesto habuisse sacerdotem indigenam, qui fungeretur vice interpretis sacri. Eadem necessitas suasit, ut in Comitiis & judiciis, quae acta, quaeve stilo Latino in commentarios relata erant, laicis sermone vernaculo praelegerentur, ut iis innotesceret, quid decretum atque constitutum esset. Usus enim linguae Latinae tam sanctus perpetuusque viris Clericis erat, ut ipsa dicta testium literis Latinis consignarent; quae tamen, ubi publicanda erant, lingua vernacula recitabantur. Cujus rei documentum sub anno 1228 habes in *Becmanni* Historia Anhaltina *Part. III pag. 185* verbis: *Unde dicta testium publicata sunt, & propter Tidericum & laicos adstantes lingua materna per dilectum in Christo filium, Archidiaconum orientalem, publice recitata.* Similiter, cum Rex *Rudolphus* A. 1274 per *Fridericum*, Burggravium Noribergensem, & *Henricum*, Comitem Saynensem, cum Pontifice de confirmandis privilegiis ageret, quae refert *Raynaldus* ad A. 1274 *n. 7*, instrumento ita subscriptum legimus: *Haec privilegia lecta, &, propter nos, supradictum Burcravium*

vium & Comitem, qui nec literas, nec linguam Latinam, novimus, fideliter fuerunt exposita. Unde patet, verba *Godefridi*, ne quid absurdi nobis, & ab usu temporis abhorrens, dixisse videatur, ita interpungenda esse, ut verba *Teutonico sermone*, ope adjecti commatis, non ad *scripta*, sed ad *publicantur*, referantur, hoc ordine: *Jura nova statuuntur, & Teutonico sermone, in membrana scripta, omnibus publicantur;* atque hoc sensu: *Jura nova statuuntur, & in membrana scripta, Teutonico sermone omnibus publicantur.* Sic in documento Anhaltino dicta testium, stilo consueto consignata, propter laicos adstantes *lingua materna* publice fuerunt recitata. Quam interpunctionem atque interpretationem adjuvat quoque Chronicon vetustum, regnante *Carolo IV* Imperatore ab *Henrico ab Hervordia*, ut puto, scriptum: quod de his Comitiis hæc habet: *Ibi, Imperatore sedente pro tribunali, inventum est, quod, quando filius frivole & palam certaret contra patrem, perderet omnia jura sua in hæreditate patris: & quamplura* jura *ibidem* pronuntiata *sunt.* Quæ verba satis docent, publicæ recitationis & pronuntiationis solum rationem habuisse Historicos nostros, non literariæ consignationis, quæ semper una erat eademque. Id vero animadversione dignum visum, quod, quæ more consueto in literas relata, ac membranis commendata essent, patrio *sermone*, non solum inter acta, ut plerumque, explicabantur, sed & omnibus publicabantur, hoc est, publice recitabantur ac pronuntiabantur. Nam & tabulas clientelares, iisdem in Comitiis *Ottoni*, Duci Brunsuicensi, traditas, quod Latinis verbis scriptæ essent, *Ottoni* & amicis inter acta *Germanice* expositas fuisse, necesse est; licet publice omnibus *Germanice* prælectæ haud dicantur. Ut adeo non *scripturæ genus* singulare, sed eorum, quæ stilo scribis sacri palatii familiari atque ordinario in membrana scripta erant, *singularem promulgandi modum*, recitationem videlicet publicam, *sermone Teutonico* peractam, respexisse videatur *Godefridus.*

DEMONSTRATIO MEDICO-PRACTICA

Prognosticorum Hippocratis, ea conferendi cum aegrorum historiis, in Libro primo & tertio Epidemicorum descriptis, ab HENRICO COPE, Medico Regio ad statum in Hibernia.

Dublini, typis Academiae, sumtibus Jo. Smith & G. Bruce, 1736, 8.

Alph. 1 plag. 18.

Antiquam *Hippocraticae* Medicinae famam instaurare annisus est clare doctus Autor, sub examen revocatis & ad rationalem Medicinam studiose exactis dogmatibus, quae Senex ille de signis eventuum eruendis in arte salutari condidit. Consilium istius rei cepit, partim intellectis neotericorum insufficientibus ad curam pertinacissimorum malorum sententiis, quae elegantius haud raro, quam verius, dicuntur, partim instinctu Praeceptoris Clarissimi, *Boerhavii*, qui, antiquae Graeciae studiosissimus, ad rimandos majorum fontes exstimulare Auditores solet. Egregie admodum de praedictionum *Hippocraticarum* valore & in significando efficacia sentit, non illarum, si forte perperam judicetur, errore, sed praedicentis Medici fallaci in exponendis *Hippocraticis* oraculis dexteritate, crimen committi. Revocatur ergo *Hippocrates*, &, qui a bonis omnibus, pro seculi sui more, & auxiliorum, sapientiam sustinentium, quibus maximam partem caruit, conditione, prudens & ab ingenio minime alienus judicatur, talis sistitur, qualis fortasse ipse esse nollet, veridicus, errore vacuus, quem piaculum sit, sequi nolle, errare potuisse arbitrari. In historia morborum acutorum cum versatissimus exstiterit *Hippocrates*, hanc potissimum Medicinae ejus partem selegit Cl. Autor, quam illustraret, & aequalibus suis ad excitandum aemulationis studium proponeret. Majori equidem felicitate, quam nostri salutis moderatores, usus non est *Hippocrates*: nam ex duobus & quadraginta aegris, quorum historiam divino de Epidemicis libro condidit, quinque & viginti, adeoque πλέον ἥμισυ παντὸς, Plutonia regna viderunt; princeps tamen artis hoc ipso esse non desinit, quod pessima praedicere, ut de meliori successu gauderet,

deret, quam secura omnia pronuntiare, maluerit. In eo reponendam unice gloriam esse negat Autor, quod aliquis de vita & morte præsagire ausit, sed illam prognosticorum efficaciam esse asserit, quo scire aliquis possit, quantæ morbus durationis futurus sit, ne evacuationibus exerceatur miser cum dispendio virium, quibus ipse ad superandos mali insultus quammaxime indiget, nec petulantiæ humorum prorsus relinquatur, si forte brevior, sed & eo ferocior, morbus futurus sit, nisi educantur, qui vasa sua male habebunt, humores. A ratione non prorsus abest, quæ Græcis prædixerat *Hippocrates*, Borealibus etiam populis evenire posse. Nam Libyæ, Delo, & Scythiæ, accommodata divinus Senex sua effecerat oracula, unde locorum discrepantia ad mutandum morborum genium, utpote qui humani corporis communibus respondent conditionibus, parum facit. Certe haud difficulter intelligent, qui prædictiones *Hippocraticas* legunt, tales prædici eventus, qui ex natura rei aliter succedere haud potuerint, unde gratia Seni, quod sua nobis vestigia relinquere voluerit, referenda est haud mediocris. Ita enim ille dixit fecitque, ut, quisquis nostrum est ingenio præstantissimus, si deberet adeo tenui, quam ille, principio vastum systema condere, plura, aut tanta etiam, de se sperare vix posset. Unde maximam ab omnibus antiquioris meriti studiosis gratiam inivit Cl. Autor, quod Epidemicorum, seu morborum popularium, libros suis commentationibus illustrare voluerit, habiturus eruditionis adjutæ plurimam, utilitatis publicæ promotæ aliquam, famam. Nam, quod salva *Hippocratis* autoritate profitemur, nisi ex conditione & natura morbi, rerum mechanicarum recte conscius Medicus, statum ægri judicare didicerit, & efficacissima attulerit remedia, parum a Sene Coo adjuvabitur. Habentur tamen meditationes *Hippocraticæ*, quæ insignem arti lucem affundunt, si analogia & comparandi artificium accesserit. Majorum certe experientia non nisi in tantum nostra est, in quantum status præsentes cum præteritis exacte conferre, & perfectam utrinque similitudinem invenire, valemus. Metuendum certe, ne durius dicta esse quis reputet, quæ in Præ-

fatione habentur: *Hisce & hujusmodi vel ignotis vel spretis observationibus, quæ ex penu Hippocratica unice depromendæ sunt, Medicina, in solamen, miserorum divinitus instituta, in perniciem ægrorum pervertitur.* Eleganter ceteroquin ad *Lindenii* exemplar concinnavit *Hippocratis* oracula, mendas, si quæ sensum invertere videbantur, ad mentem Commentatorum correxit, *Galenum* & *Hippocratem* sedulo comparavit, illum haud raro, quod hunc male intellexerit, castigavit, suaque de efficaci *Hippocratis* prædictione cogitata peroravit, dierum criticorum studiosus observator, eo usque, ut ægre ferre videatur *pag. 55*, quod æger *Hippocratis* prædictionem eluserit: *Nec, quanquam ægrotus ultra hos limites vitam produxit, falsi itaque incusanda est doctrina Hippocratica, - - parum abfuit, (tanta est dierum criticorum vis,) quin prædictio compleretur.* Optat tamen, pro sua in patriam pietate, quod & optare bonum quemque decet, sic cum *Hippocrate* omnes errare posse Medicos.

PARERGA MEDICA, CONSCRIPTA A DAMIANO SINOPEO, Medico ordinario Marini Nosocomii Cronstadiensis.

Petropoli, typis Academiæ Scientiarum Petropolitanæ, 1734, 8. Plag. 18.

De frequentioribus nautarum Russicorum morbis primo agitur, quorum primarii sunt pulmonum affectiones, tussis æque ac asthma, cum ulceribus vel vomicis ruptis, quibus correpti, etsi convaluerunt, paulo post, annuo circiter spatio, interiere. Diarrhœa eosdem haud parum affligit cum colicis affectibus, qui dolorificam musculorum abdominis spinam versus contractionem conjunctam habuerunt. Viscerum scirrhi & indurationes genti maximopere infestæ sunt; unde cum levamine oboriuntur hæmorrhoides internæ. Interea haud pauci hydropici intereunt, anasarca vel ascite oppressi, quam scroti penisque enormis concomitatur

tur tumor, exſtillante ſero acri, cuticulamque erodente. Saluti paucis cedit, vel paracenteſin adornaſſe, vel incidiſſe penis ſcrotive integumenta, ſicut diarrhœa oborta breve ſolatium affert. Impuris morbis haud carent, lueque venerea miſere exercentur; niſi enim recens fuerit, ægre ſanatur. Tophi concomitantur, oſſiumque caries,& dolorum cruciatus. Salivatio prodeſt, cujus methodus adducitur; ſed pluribus ſuccedit ſcorbutus cum partium eroſione, ſepti narium ſubſidentis, & gingivarum carie, aliisque diris ſymtomatibus. Anatomica cadaverum conſideratio pectoris & pulmonum vitia frequentiſſima detexit, coalitos cum pleura vel diaphragmate pulmones, vel hydrope oppreſſum alterutra cavitate thoracem. Hepar & pancreas plurimis labe multa infectum, ſcirrhoſum, putridum, nullo quamvis apparente inflammationis ſigno, ſolenne glandularum meſenterii vitium, induratio, rigiditas, ſteatoſis, inteſtinorumque inſignis anguſtia, & ſphacelus. Specialiores inde cadaverum ſectiones, præmiſſa uniuscujusque, quo morbo interierit, hiſtoria, recenſentur, & prava viſcerum conditio prudenter cum phænomenis prægreſſis comparatur. De conſtitutione ſana corporum nauticæ gentis proximo loco agitur, qua fiat, ut tot tantisque morbis illi fortiter reſiſtere, nec citius iſtis interire poſſint. Adducuntur inter cauſas vitæ genus, laboribus ſuſtinendis intenta ab ineunte ætate educationis ratio, vegetus appetitus, & digeſtio ciborum duriuſculorum non diſpar, balnea & exercitia corporis, hæreditarius etiam vigor, cum plerique humili loco nati campeſtrem vitam egerint. De ſanguinis ſtatu phyſico naturali, deque fibræ motu tonico & vitali, ſecundum doctrinam de elatere differit, & leges motuum exinde explicat, univerſam vero Phyſiologiam breviter & ſuccincte exponit, quo de militum ſuorum ſtatu curatius ferre judicium poſſit. Omnibus iſtis actionibus vitalibus æque ac naturalibus Ruſſi utuntur vegetis; ſed & cauſis externe eosdem ambientibus ad motus ſanguinis robuſtos diſponuntur; frigoris æque ac caloris patientes ſunt. Aer ſcilicet æſtivus illis intenſe calet, ſed

eundem ferre didicerunt durante bruma in stationibus suis, magno igne æstuantibus; nam fornacibus & culinis superstruuntur tabulata, pro curandis corporibus. Frigus fuga calidi definit, obstipatos eorundem cutaneos poros ita non afficit, ut consueti horroris effectus tenerioribus infesti exinde subsequi possint, sed ob suppressam transspirationem spiritus fovetur. Secretiones & excretiones reliquæ augentur, appetitus multo vegetior fit, & digestio plurimum aucta. Aere patrio, etsi satis inclemens videri possit, parum afficiuntur, qui temperate vivunt; verum pessime mulctantur nautæ, quibus, cum vitæ genere minus ordinato, ab aere frigido humidoque, & exin plurimum aggravante, sanitas quovis modo depravata redditur. Maxime metuendus genti est frigidus in balneis potus, cui indulget. Inde enim cardialgiæ, pleuritis, colica, aliaque mortifera mala. Conferunt aliquid abstinentia a carnibus, ac diuturna & frequentius celebrata jejunia, quamvis secalino hordeaceoque pani, leguminibus, oleribusque, insignis insit nutriendi virtus. Spirituosorum, maxime spiritus frumenti, vel aliorum, abusus, genti familiaris, bilem excitat, irritat, & chylificationis organa lædit, multo magis, quod pluribus familiare sit, ingurgitata frigida obortos exinde æstus restinguere. Sanguis hinc tum ex omni causarum harum concursu spissior factus, suam in motu tarditatem passim, maxime in hepate, prodit, cujus scirrhi, si quis alius, morbus epidemicus est, quamvis non omnes eodem duritiei hujus visceris gradu laborare deprehendantur. Paria fata experiri solet pancreas, suo proprio humore spissescente, eandemque ob causam infarctum, & lien cum glandulis mesarrhaicis in mali communionem trahens. Polypos cordis frequentiores observari affirmat, cujus natales partim a carptis cordis, & vasorum fibris, partim a pinguedine cordis, spissitate sanguinis, partibusque tophaceis, derivat, siquidem & haud raro crusta tartarea in pericardio enata fuisse observetur. Egregie adjicit signum pathognomonicum polypi cognoscendi in vivo, nempe arteriam carotidem in regione colli, & subclavia vasa intensius pulsantia, quo tempore uberior venæ sectio profuit.

Febris

Febris catharralis epidemice grassata isthoc ineunte anni vere, æstu ægros afflixit, sudoribus purpura etiam scorbutica solvi consueta, pluribus etiam ariditas faucium, hæmorrhagia narium, sputumve cruentum, successit, haud pauci delirio correpti ea passi sunt, quæ febrem ardentem utplurimum comitantur. Pleuritis paulo post invasit, quæ immanem militum stragem edidit, quibusdam, cum excubias agerent, vel consueta munia exercerent, repente exstinctis. Venæ sectio, mature administrata, saluti fuit. Simili industria reliquarum anni stationum epidemici morbi recensentur, gratamque hoc ipso operam omnibus doctissimus Autor præstitit.

PROJET DE LA MESURE DE LA TERRE en Russie, &c.

h. e.

PROPOSITIONES DE MENSURA TERRÆ, in Imperio Russiæ peragenda; prælectæ in Conventu Academiæ Scientiarum Petropolitanæ, die 21 Januarii A. 1737, a DE L'ISLE, Astronomiæ Professore primario.

Petropoli, ex Typographeo Academiæ Scientiarum, 1737, 4. Plag. 2½.

Apicem Geographiæ in eo positum esse, ut accuratissima, quam fieri potest, Telluris mensura perficiatur, diu animadversum est intelligentibus. Exinde enim, uti facile patet, exactissima Mapparum constructio pendet, quæ magnis adhuc defectibus laborant, comparatio inter magnitudines quorumcunque terræ tractuum, Regnorum, Imperiorum, & quæ plura sunt hujusmodi, magni profecto omnia momenti. Primi equidem labores in mensura terræ collocati, tantum abest, ut fuerint exacti, ut potius ii, qui ambitum terræ stadiis aut milliaribus Arabicis æstimare principio conati sunt, in eo acquiescendum sibi duxerint, quod numeris rotundis dimensiones enuntiassent. Ubi vero majori studio excoli

coli Geographia, arsque navigandi, cœpit, illico fuit perſpectum, ambitum Telluris, & quemvis ejus gradum, non exprimendum eſſe craſſioribus iſtis menſuris; veluti milliaribus aut leucis, &c. duntaxat, ſed ſubtilioribus quoque, uti perticis, hexapedis, pedibusque. Tales autem menſuras obtinere non licet absque operationibus Geometrico-Aſtronomicis, ſumma cum cura inſtituendis. Hinc herculei iſti labores, quos ſubierunt Mathematici recentiores, & cumprimis Academici Pariſienſes, qui vaſtum iſtud & vere regium celebratiſſimæ Meridianæ, quæ Galliam univerſam trajicit, opus perfecerunt. Præter eos eminent *Fernellius*, *Snellius*, *Norwoodus*, *Blavius*, *Ricciolus*, *Blanchinus*, *Muſſchenbrœckius*, qui *Snellii* Eratoſthenem Batavum correxit & ornavit in peculiari Diſſertatione de magnitudine terræ. Itaque, cum tanto ſtudio menſuram gradus circuli maximi exquiſiverint Viri inſignes, ſupervacaneum videri poterat, moliri nova hanc in rem tentamina, aliis in regionibus facienda; quicquid enim ſupereſt laboris, in eo poni videtur, ut menſuræ, Viris, quos diximus, adhibitæ, comparentur cum menſuris regionis cujusvis, cujus Geographia eſt pertexenda. E. g. cum menſura geographica Ruſſici Imperii ſint Leucæ illæ, quas *Werſts* vocant, & quælibet ſubdividatur in 500 ſic dictas *Sagenas*, quarum unaquæque continet 7 pedes Anglicanos; cumque ratio pedis Anglicani ad Francicum ſit cognita, & Aſtronomi Pariſienſes invenerint, gradum circuli maximi conſtare 57060 hexapedis (*Toiſes*); levi opera confit, gradum circuli maximi continere 104½ *Werſtas* Ruſſicas. Itaque in conſtituenda Imperii hujusce vaſtiſſimi, aut provinciæ ſaltem cujusdam inſignioris, Geographia, id agendum duntaxat videtur, ut in operationibus menſoriis adhibeantur *Werſtæ*, *Sagenæ*, & pedes Anglicani, & ſic methodis geometricis texantur Mappæ, quoad ejus fieri poteſt, exactæ, ac per Aſtronomicas longitudinum latitudinumque obſervationes rectificandæ. At vero Celeberrimus ſcripti præſentis Autor longe ab eo abeſt, ut credat, hac ratione rem confectum iri; imo monſtrare ſatagit, opus hocce, tantopere deſideratum, ad umbi-

umbilicum perduci non poſſe, quin tanti labores ſuſcipiantur, ut non exæquent, ſed omnino ſuperent, quicquid moliminis in dimetienda tellure huc usque eſt factum. Quo minus enim Geographia Ruſſiæ eo, quem indicavimus, modo abſolvatur, id præcipue obſtat, quod figura telluris non prorſus eſt ſphærica, adeoque gradus circulorum majorum inæquales, & minorum, qui paralleli ſunt majoribus, non eandem ſequuntur proportionem, quam ſequerentur in hypotheſi ſphæricitatis. Cumque quæſtio de vera Telluris figura nondum ſit plene definita, maximum ei lumen affundi poſſe judicat Cel. Autor, ſi per tot regiones vaſtiſſimas, quæ Ruſſico Imperio parent, obſervationes quam diligentiſſimæ inſtituantur. Tantum vero opus, præterquam quod Geographiæ Ruſſicæ utiliſſimum exiſtat, non poterit non in gloriam Academiæ vergere; id quod facile crediderit, qui difficultatem quæſtionis de vera terræ figura, quæ eruditiſſimos hactenus viros in partes diſtraxit, animo penſitaverit. Conſtat, *Newtonum* primo, deinceps *Hugenium* quoque & *Hermannum*, Geometras celeberrimos, figuram terræ attribuiſſe ſphæroidicam, qualis exiſtit, dum Ellipſis circa axem minorem ſuum rotatur. Figuram hancce deduxerunt ex rotatione telluris circa axem, qua fit, ut partes Æquatori viciniores majorem acquirant conatum centrifugum, quam partes circa polos. Confirmari ipſis viſa eſt ſua ſententia per decantatum illud experimentum, quo, pendula tardius moveri ſub Æquatore, quam quidem in terris borealioribus, deprehenſum eſt. Globum Planetæ Jovis eſſe tale Sphæroides latum, patet ex obſervatione *Caſſiniana*, qua innotuit, axem revolutionis in Jove minorem eſſe diametro Æquatoris ſui. Forſan id obtinet in reliquis planetis, circa axem gyrantibus, quibus merito noſtram accenſemus tellurem. Non itaque ſpecie deſtituitur hoc argumentum, ab analogia petitum, quo utitur *Poundius*. At vero, cum A. 1691 *Eiſenſchmidius*, Mathematicus Argentoratenſis, varias terræ menſuras inter ſe compararet, deprehendit, gradus circuli maximi verſus polos decreſcere; quo ipſo adductus eſt, ut figuram terræ ſtatueret

tueret Sphæroides oblongum, quale exiſtit, Ellipſi circa axem ſuum majorem converſa. In hypotheſi enim Sphæroidis *Newtoniani* gradus circuli maximi verſus polos creſcere debent, hoc eſt, duo loca ſub eodem meridiano, quorum latitudo differt uno gradu, eo longius a ſe invicem ſunt diſſita, quo propiora ſunt polis. Contrarium accidit, ut patet, in hypotheſi Sphæroidis oblongi. Poſtquam Meridiana a Septentrionalibus Galliæ oris ad auſtrales usque, per intervallum 8 graduum circuli maximi fuiſſet determinata, *Caſſinus*, præcipue junior, diminutionem illam graduum verſus polos denuo reperit, & exinde figuram Telluris ſphæroidico-oblongam confidenter adſtruxit. Hiſce tamen omnibus adduci ſe non paſſus eſt *Newtonus*, ſententiam ſuam ut dessereret. Anno 1720 Cel. *Mairanus*, duo hæcce ſyſtemata conciliaturus, ſtatuit, terram in creatione ſua motus fuiſſe expertem, & figuram ſphæroidicam, *Caſſiniana* multo adhuc protractiorem, habuiſſe; motu deinceps rotatorio ei impreſſo, ad hodiernam ſeſe figuram, qualem nempe *Caſſinus* defendit, compoſuiſſe. Objecit vero Cel. *Deſagulierius*, ſyſtema *Mairani* adverſum eſſe legibus motus; & contra obſervationes *Caſſinianas*, & ſuppoſitiones, quibus in terminanda terræ figura uſus eſt Vir inclytus, dubia quædam produxit. Cel. *de l'Isle*, Schediaſmatis hujus Autor, ſtatim poſt abſolutam Meridianam in aliam quandam viam incidit, cujus ope de figura terræ conſtare poſſit. Suaſit nempe, ut menſuretur parallelus Pariſienſis, uti fuit Meridiana; in hypotheſi enim Sphæroidis *Caſſiniani* paralleli minores eſſe debent, quam in hypotheſi ſphæricitatis perfectæ ſunt paralleli cognomines; contrarium eſt in Sphæroide *Newtoniano*. Conſilium hoc executioni datum eſſe, perſpeximus ex Hiſtoria Academiæ Scientiarum Pariſienſis A. 1733. Conſtitit exinde, terram eſſe ſphæroides oblongum, & protractius adhuc, quam fuerat definitum per Meridianam A. 1718. Ut vero quæſtio hæc, adeo agitata, expediatur tandem absque omni hypotheſis alicujus ſubſidio, miſſi ſunt ab Ill. Scientiarum Academia Aſtronomi tres, *Godinus*, *Bouguerus*, *de la Condamine*, in regiones Ame-

Americæ prope Æquatorem ſitas, qualis eſt provincia *Quito* in boreali *Peruviæ* parte, eo conſilio, ut magnitudinem graduum quorundam Meridiani ac Æquatoris accurate inveſtigarent. Eo conceſſerunt Viri Celeberrimi A. 1735 menſe Aprili. Inſuper alii tres oras polo ſeptentrionali vicinas adire juſſi ſunt A. 1736, videlicet Viri inſignes, *de Maupertuis*, *Camus*, *Clairaut*, junior, & *le Monnier*, junior; qui, in regionem Laponiæ, quæ Sueciæ ſubeſt, profecti, itineris ſocium nacti ſunt Cl. *Celſium*, Aſtronomiæ Profeſſorem Upſalienſem, ibique gradum circuli meridiani, qua Polaris Arcticus tranſit, dimenſi. Hos exinde reverſos, non ita pridem eſt nuntiatum. Antea, quam finiviſſent operationes ſuas, Noſtro Petropolin ſignificarunt, ſe reperiſſe longitudinem penduli ſimplicis, prout exigit ſyſtema *Newtoni*, ſcilicet majorem in regionibus polaribus, quam Æquatori vicinioribus, id quod ipſum quoque Archangelopoli reperit Cl. *de l'Isle de la Croyere*, Noſtri frater, A. 1728, prout videre eſt ſub finem *Tomi IV Comment. Academiæ Scientiarum Petropolitanæ*. Pariter Aſtronomi, in Americam miſſi, in Inſula S. *Dominici* latitudinis 18° 37′ invenerunt pendulum ſecunda vibrans 2 lineis brevius ac Pariſiis; iterum juxta ſyſtema *Newtoni*. Itaque, cum circa figuram terræ adhuc ſub judice lis ſit, ad plenam ejus deciſionem, inſimulque ad Geographiæ Ruſſicæ perfectionem, requiri contendit Cel. *de l'Isle*, ut ejusmodi dimenſiones per ampliſſimum Ruſſiæ Imperium inſtituantur; monſtratque, plurimas Ruſſiæ hanc ad rem opportunitates & prærogativas eſſe, quas vix offendere alibi liceat. Amplitudo Imperii Ruſſici una eſt ex præcipuis; etenim meridianus, qui per obſervatorium Petropoli tranſit, protendi ad 22 – 23 usque gradus poſſet, qui quadrans ſunt diſtantiæ Poli ab Æquatore. Eadem ratione poſſent Meridiani Moſcuenſis & Aſtracanenſis produci, adeoque graduum inæqualitas obſervari exactius, ac huc usque; id quod jam in votis habuit *Caſſinus*. Comparari porro gradus inventi cum iis poſſent, quos in Gallia dimenſi ſunt Aſtronomi, & in borealioribus Sueciæ tractibus; ratio graduum in parallelis ad gradus meridia-

ridiani in tanta regionum vaſtitate exactiſſime innoteſceret, & quæ alia ſunt hujusmodi. Fundamentum omnium operationum ita jaciendum ait Cel. Autor, ut baſis, quam fieri poteſt, maxima ſeligatur, & ſumma cum cura menſuretur; ei enim ſequentia triangula omnia inædificari deberent. Hanc baſin in ſuperficie glaciei tempore hyberno peropportune conſtitui poſſe, ab ora ſcilicet Ingriæ verſus Palatium *Peterhoff* dictum, usque ad oram Finniæ verſus Syſterbeckam. Diſtantia hæcce non eſt minor *20 Werſtis* ſive Leucis Ruſſicis, atque ob glaciei planitiem optime poteſt menſurari. Porro ope menſuræ angulorum, qui ſunt in extremitatibus hujus baſeos, concludi poterit diſtantia inter medium obſervatorii Imperialis & turrem eccleſiæ novæ Cronſtadienſis, quæ ad minimum 30 *Werſtas* exæquabit, & fundamentum præbebit triangulis ſubſequentibus, per provincias continuandis. Quod ad inſtrumentorum ſupellectilem attinet, quorum eſt in tanto opere neceſſitas, Cel. Autor requirit Quadrantem ordinarium, cujus radius ſit 2 – 3 pedum, ad capiendos triangulorum angulos: pro obſervandis vero arcubus cœleſtibus portionem circuli, 30 graduum circiter, ſed cujus radius ſit 12 – 15 pedum; optatque, ut hæc organa conſtruantur a Mechanico Londinenſi dexterrimo, *Grahamo*, pariter ac duo Quadrantes teleſcopici in plano meridiani obſervatorii Imperialis firmandi, quorum radius ſit 7 pedum circiter, quibusque obſervationes ſubtiliſſimæ, quales præſens exigit Aſtronomiæ facies, inſtitui poſſunt. Ut altitudines montium, per quorum vertices triangula quandoque tranſeunt, determinentur, eadem methodo procedendum judicat Cel. Autor, qua uſus eſt *Caſſinus*, per varias ſcilicet altitudines Mercurii, in Baroſcopio obſervatas. Ut vero proportio inter eas & montium altitudines juſta exiſtat, novis obſervationibus, iisque diligentiſſimis, eſt allaborandum, quas fieri poſſe Cel. Autor dicit inter ipſas dimenſionum operationes. Quem in finem ſibi conſtructa refert Barometra compoſita, perquam ſenſibilia, in uſum identidem vocanda, promittitque, omni ſtudio ſe evitaturum mutationes iſtas, quas in Barometris pro-

producere ſolent varii caloris gradus, obſervationes non parum turbaturas. Alium deinceps modum proponit, altitudines haſce ſupra libellam maris determinandi, ſed minus expeditum, ſi cum priore conferatur. Ceterum eadem quoque opera poſſunt ubique & ſæpius obſervari acus magneticæ declinatio & inclinatio, præcipue longitudo penduli ſimplicis, cujus maxima vis eſt, uti vidimus, in quæſtione de figura Telluris. Novas pro illa accuratiſſime determinanda methodos, Academiæ Scientiarum Pariſienſi detectas, & mox Aſtronomis, qui in Americam abierunt, transmiſſas, refert Cel. Autor, quas ipſemet ſecum communicatum iri ſperat. Et hæc quidem ſunt, quæ de ſuo inſtituto propoſuit Vir Eruditiſſimus, de quibus ut hic loci paulo copioſius diceremus, nos permovit rei dignitas. Non diffitendum, immenſos pæne labores ſuſtinendos fore, priusquam, quicquid hujus eſt conſilii, totum effectui detur. Quodſi vero ſub auſpiciis *Annæ* Auguſtæ, ad exemplum *Petri Magni* ſcientias mirifice foventis ac protegentis, manum operi admoveri contingat; nihil fore tam difficile, tamque arduum, quin ſuperari feliciter queat, nobis cum Academicis perſuademus; unde ſpes affulget, Mappam vaſtiſſimi Imperii Ruſſici Geographicam tandem prodituram, in qua nihil poſſit jure deſiderari.

HENRICI SCHARBAU, PASTORIS ÆGIdiani Lubecenſis, Obſervationes ſacræ, quibus varia ſacri Codicis utriusque Fœderis loca illuſtrantur & exponuntur, multaque ſanctioris & elegantioris doctrinæ capita illuſtrantur. Pars tertia. Accedunt Indices neceſſarii.

Lubecæ, ſumtibus Jonæ Schmidii, 1737, 4.
Alph. 2 plag. 1.

Ex eis, quæ inter meditandum & evolvendum ſubnata fuerunt Cel. Autori memorabiliora Exegeſeos ſacræ, ad Biblia applicatæ, capita, jam *Pars tertia* inſtituto laudabili ſuccrevit.

crevit. In Præfatione monet paucula ad ea, quæ *Bernhardus Eibenius*, Paſtor Eccleſiæ Reformatæ Blombergenſis, in *Elia fugiente* ad examen revocare ſtuduerat, nec non ad diſſenſum D. *Chriſtoph. Aug. Heumanni*, in *Parergis Gottingenſibus Tom. I Lib. I pag. 213 ſeq.* exſtantem. Obſervationes ipſæ numero ſunt XVII. Ipſarum haſce accipe ſummas: 1) *Barnabas non Apoſtolus*; 2) *Oeconomia judiciorum Apoſtolicorum*; 3) *Noachus, exemplum eminens de rebus mundi abnegandis*; 4) *de ſacrificio grati odoris Noachico, ad Gen. VIII, 21*; 5) *de lucerna moribunda, afflictorum, non impiorum, ſymbolo, ad Matth. XII, 20*; 6) *de oculis rubicundis & dentibus albis Meſſiæ, ad Gen. XLIX, 12*; 7) *de luxu Sabbatario, ad illuſtranda quædam loca Scripturæ ſacræ, Miſchnæ, & Patrum*; 8) & 9) *de Epocha initii Apoſtolatus Paulini, Pars I & II*, decerpta ex Angli cujusdam Miſcellaneis ſacris, qui inter converſionem & Apoſtolatum *Pauli* ratione temporis admodum diſtinguit. Succedit *Diſſertatio* ſeu *Obſervatio* 10) *de Chriſto oculis præſcripto, ad Gal. III, 1*; porro 11) *de criterio temporis Meſſiæ, ab objectionibus quorundam libero*. Tum 12) *de elegantiſſimo alarum columbæ ſymbolo curſus & ſplendoris Evangelici, ad Pſ. LXVIII, 14*, diſſeritur. Adjecta eſt *Pentas Obſervationum, pri-*
Pag. 621 *ma* ad *Pſ. LXXXIV, 12, de Domino ſole & clypeo*, ubi putamus ad
ſeq. columnam ignis ac nubis, tegentem Iſraelitas, fuiſſe alluſum:
624 ſeq. *ſecunda* ad *2 Cor. IV, 6*, ubi comma ponit Autor ante voces Ιησȣ Χριςȣ, ac per Θεȣ πρόσωπον intelligit *Chriſtum*, qua interpunctione haud adeo opus eſſe exiſtimamus: *tertia de mi-*
626. *ra & proxima ſucceſſione myſteriorum Novi Fœderis in locum*
629. *antiquorum: quarta de ſcrutinio myſteriorum templi Davidici, ad Pſ. XXVII, 4: quinta ad Pſ. LXXVIII, 57*, ubi homi-
630. nes, promiſſis Deo datis non ſtantes, comparantur cum arcu
633 ſeq. non ſatis adducto, nec ſcopum certum feriente. Agit deinceps Pl. Rev. Autor *de ſacrificio fracti ſpiritus, ad Pſ. LI, 19*, ubi quoque legem de non recipiendis בקהל יהוה, ad *Devt.*
644. *XXIII, 1, 2, 3*, exponit. Poſtea diſſerit contra *Hoadleyum*, An-
659. glum, *de uſu ſacræ cœnæ non mere μνημονικῶ habendo*, ſubjungens catalogum ſcriptorum, adverſus Anglum ab Anglis editorum.

torum. Inde agit *de lustris vulpium, & volucrium nidis, non metaphoricis, ad Matth. VIII, 20.*, confirmans sententiam vulgo receptam. Accedit *Fasciculus Observationum*, nempe Pag. 660.
1) *Idea systematis Jobi, de spiritibus tam bonis, quam malis;* 672.
2) *Beneplacitum Dei non in equitatu, sed timentibus Dominum, ad Ps. CXLVII, 10;* 3) *Consensus parabolicarum phrasium Matth. XXII, 1–14, cum verbis Zephaniæ Cap. I;* 4) *Christus crucifixus a quatuor militibus, ad Jo. XIX, 23;* 5) *de tropæis crucis Christi super Pharisæos;* 6) *Separatio cœtus Christiani a Judaico, per interitum urbis promota;* 7) *de lapsibus Apostolorum, testimonio illorum nihil derogantibus;* 8) *Amissa longævitas Vet. Testamenti in Novo per liberationem a mortis metu;* 9) *de Salute ex Judæis, ad Jo. IV, 22.* Subjuncta est Dissertatio *de Fatis studii moralis inter Ebræos.* *Pythagoram* & *Socratem* doctrinis Ebræorum dogmata sua rigasse, 693 seq.
credit Doctiss. Autor. Nævos Judaicorum doctorum candide detexit, solideque exposuit. Dissertatio *de serpentis ænei significatione mystica*, jam A. 1713 Lubecæ excusa, succedit. De figura serpentis Mosaici speciatim addemus nonnulla. Expressit illa indolem & modum serpentis ejusmodi, qualis in solitudine Arabica, ex Ægypto quotannis accedens, erat incommoda & molesta. Fit ejusmodi serpentum mentio *Deut. VIII, 15, Es. XIV, 29.* Pinnata agmina anguium, qui ex Arabicis emergunt paludibus, venena malignantes, ab ibibus comedi debellarique solita, commemorat *Ammianus Marcellinus XXII, 15. Horatius* eorundem meminit. Egregie de eorum volatu & figura commentatus fuit nuperrime Doctiss. *de Maillet* in libro, *Description de l'Egypte, Tom. II pag. 22 seq.* & *36.* Plura habent *Herodotus II, 75, IV, 107, Strabo Lib. VII, Pomponius Mela, Ælianus de natura animalium II, 38,* S. Rev. *Salomo Deylingius in Obs. sacr. Part. I Obs. XV pag. 156 seq. Eusebius Præp. Evang. Lib. IX, 27, pag. 432,* atque *Hadrianus Relandus in Palæstina Lib. II Cap 7 pag. 436.* Ex variis locis elucet, serpentem ejusmodi suspensum repræsentasse crucis formam. Non tamen serpens ipse, venenatus 721 seq.
quippe,

quippe, ſed ejus erectio, erecti figura ac virtus, in typum ceſſit. Sed e diverticulo in viam. Progredimur cum Pl. Rev. Autore ad Diſſertationem *de Caipha, ejusque vaticinio*, ex *Jo. XI, 49, 50, 51*, quæ jam A. 1715 Lubecæ prodiit, demorſos ſapiens un-
Pag. 744 ſeq. gues. De dono prophetandi ac prophetiis inibi egregie exponit Noſter. Agmen tot Tractationum claudit Epiſtola gratulatoria, Rev. Miniſterii Lubecenſis nomine A. 1734
780 ſeq. ſcripta, ac oblata Presbytero Seniori, M. *Jacobo a Melle*, muneris ſacri Jubilæum agenti; in qua agitur de macrobiis ac presbyteris, Deique benignitate, qui nonnullis viris piis, & doctrinæ cœleſti addictis, ſanctiſſimas ob rationes vitam prorogavit ſubinde. Gratulamur nos quoque Autori Pl. Rev. tot tantosque labores eruditos, catenatis ipſius muniis junctos, ſumma cum laude exantlatos, victricemque ei auguramur coronam, vita cum diuturna connexam.

CHRISTIANI LUDOVICI SCHLICHTERI de Panibus facierum, eorumque myſterio, Liber ſingularis.

Halæ, ſumtibus Baueri, 1737, 4.

Plag. 15.

Doctiſſimus Autor, editis jam aliis ſcriptis, quorum Indicem huic Operi præmiſit, celebre nomen conſecutus, poſt *Ludovicum Wolterſium*, quem in Præfatione cum laude allegavit, argumentum hoc plenius pertractandum ſuſcepit, ac ampliſſima Diſſertatione iſthac, ſive libello ſingulari, in *duas Partes* diviſo, majori in luce ut collocetur, dignum cenſuit. Prima *quinque Capita* complectitur, atque in *primo* eorum de appellationibus panium facierum diſſerit. Hic varia nomina, quæ panes iſti acceperunt, Hebraice לחם פנים, *panis facierum*, קודש, *ſanctum*, & קודש קודשים, *ſanctum ſanctorum*, לחם תמיד, *panes juges*, לחם מערכה, *panes ordinis*, ſeu *diſpoſitionis*, Græce *ἄρτοι προθέσεως*, *panes propoſitionis*, vocati, erudite illuſtrat. *Capite ſecundo* materiam illorum panium exponit, ubi de locis ob triticum celebribus, de farina puriſſima, quæ סולת vocatur, & e lingua Arabica derivatur, ex eo per שיפה & כעינה, (qua-

(quarum vocum ſenſum controverſum dijudicat,) præparata, de cribratione ejus, ac cribro, per נפה denotato, de menſura ſimilaginis, עומר dicta, ex qua conficiebantur, agit. *Capite tertio* formam ac numerum panium declarat, ibique vaſa, ad panes formandos adhibita, & eorum nomina, formam quadratam, altitudinibus ab utroque latere eminentibus, quæ קרנות, ſeu cornua, appellantur, illorum unctionem cruciformem, loca, in quibus parabantur, ſcilicet atrium magnum & Betphage, prope Hieroſolymnum ſitum, furnos, in quibus coquebantur, tempus parandis panibus deſtinatum, & numerum duodenarium, conſiderat. *Capite quarto* de oblationibus panium commentatur, & vocem אולם, id eſt, anteriorem ædis ſeu partem ſeu pronaum, in quo refrigeſcere debebant, ex furno extracti, atque ex eo in ſanctuarium ſingulis ſabbathis illati, duobus ordinibus in menſa coram facie Dei disponebantur, inſtrumenta, quæ panibus ſuſtentandis inſerviebant, מנקיות & קשות dicta, menſæ ſitum & altitudinem copioſe & accurate explicat. *Capite quinto* comeſtionem panium, perſonas, de illa participantes, ejus tempus ac locum, expendit, ſimulque disquirit, qua ratione *David* & ejus ſocii, homines laici, panes ſacros ſolis ſacerdotibus privos, comedere potuerint, quod *1 Sam. XXI, 5, 6,* narratur. *Secunda Parte* myſterium ſingulorum & typicam ſignificationem oſtendere totidem *Capitibus* conatur; in qua quidem plus ſæpe ingenii, quam certitudinis, eſſe, attamen pium hunc & ſanctum laborem non prorſus improbari, ſed commendari potius, debere, quidam judicant. Sentit igitur acutiſſimus Autor noſter, panem facierum & farinam triticeam eſſe Meſſiæ ſymbolum, figuram panium quadratam, & numerum duodenarium, eſſe emblema ac typum quatuor Evangeliſtarum & duodecim Apoſtolorum, calamos & perticas doctorum Eccleſiæ, quibus fuſius recenſendis immorari nolumus. Adjecti ſunt huic lectiſſimo Opuſculo quatuor Indices, locorum Scripturæ Sacræ, quæ allegantur, vocum Hebraicarum, & Græcarum, quæ illuſtrantur, & rerum præcipuarum, quæ explicantur. Ejus continuatio per Diſſertationem de Menſa ſacra juſto tempore ſequetur.

Das jetzt lebende gelehrte Europa, &c.
h. e.
LITERATA NOSTRI TEMPORIS EURO-pa, sive Liber de vita & scriptis eorum, qui nunc vivunt, Eruditorum, Autore GABR. WILH. GOETTENIO, *Pastore Hildesiensi.*

Pars II.

Brunsuigæ, apud Lud. Schrœterum, 1736, 8.
Alph. 2 plag. 6.

Pl. Rev. Autori, qui *primo* in *Tomo*, a nobis *A. 1735 M. Nov. pag. 524 seq.* recensito, ordinem secutus est Geographicum, justis de causis ordo nunc placet alphabeticus. Quo plura de unoquoque in ipsius venerunt notitiam, eo & vitæ & catalogi librorum libellorumque sunt pleniores: ut proinde rogandi videantur Viri docti, ut ipsi suppetias ferre Autori nostro ne graventur. Ac spatiosissimum hic locum occupant *Fridericus Hoffmannus*, Medicus, *Valentinus Ernestus Læscherus*, Theologus, & *Christianus Wolfius*, Philosophus & Mathematicus. De illo enim impletæ sunt 54 paginæ, de isto 65, de hoc 73. Ceteros, hic laudatos, nominabimus ordine alphabetico, sed ita, ut scientias sejungamus, quas profitentur, sive, ut veterum scholarum stilo utamur, Facultates. Theologi hic occurrunt *Jo. David Baierus, Jo. Balthasar Bernholdus, Jo. Frid. Bertramus, Frid. Jac. Beyschlagius, Jo. Frid. Burgius, Ern. Sal. Cyprianus, Salomo Deylingius, Carolus Frid. Engelschallius, Jac. Wilh. Feuerlinus, Jo. Frickius, Jo. Lud. Hockerus, Hermannus Klausingius, Gothofr. Kohlreifius, Frid. Christianus Lesserus, Jo. Georg. Liebknechtius, Christianus Læberus, Bernhardus Waltherus Marpergerus, Jo. Gerh. Meuschenius, Jo. Christoph. Olearius, Georg. Mich. Preu, Reinh. Henr. Rollius, Jo. Reinh. Rusius, Jo. Martinus Schamelius, Benjamin Schmolckius*, nuper demortuus, *Urbanus Godofredus Siberus, Jac. Staalkopfius, Alb. Menno Verpoortenius, Jo. Georg. Walchius, Jesaias Frid. Weissenbornius, Jo. Caspar Wezelius, Maurit. Carol. Christianus Woogius, Christoph. Henr. Zeibichius.* Jureconsulti, quorum plerique etiam in Germaniæ historia

exco-

excolenda maximam navarunt operam, hic se offerunt *Wilh. Henr. Brucknerus*, haud ita pridem e vita egressus, *Christianus Gottlieb Buderus*, *Henricus de Bünau*, *Carolus Wilh. Gartnerus*, *Adamus Frid. Glafey*, *Joach. Andr. Helvigius*, ante aliquod tempus defunctus, *Jo. Frid. Hertelius*, *Gothofr. Aug. Hoffmannus*, *Diet. Herm. Kemmerichius*, *Jo. Jacobus Mascovius*, *Christoph. Frid. Plathnerus*, *Henr. Christianus Senckenbergius*, *Burc. Gotth. Struvius*, & ejus frater, *Fridericus Gottlieb Struvius*. Medicos hic, præter *Hoffmannum*, offendimus *Sim. Paulum Hilscherum*, *Jo. Jac. Jantkium*, *Herm. Frid. Teichmeyerum*, & *Paulum Gottl. Werlhofium*. Philosophi denique ac Philologi hic prodeunt *Jo. Frid. Cotta*, *Jo. Christoph. Gottschedius*, *Casp. Gottschlingius*, *Frid. Andr. Hallbauerus*, *Leonh. Hoffmannus*, nunc in divis; *Christ. Gottl. Jœcherus*, *Christianus Kortholtus*, *Adamus Henr. Lackmannus*, *Car. Henr. Langius*, *Jo. Jac. Lehmannus*, *Justus Christoph. Motschmannus*, *Ern. Frid. Neubauerus*, *Jo. Christoph. Ortlobius*, *Georg. Frid. Richterus*, *Christianus Schœttgenius*, *Gottlieb Stollius*, *Jo. Jac. Syrbius*, & *Jo. Bernh. Wideburgius*. Miscetur *pag. 93* Viris his doctissimis docta mulier, & poeticæ artis laude conspicua, *Luisa Adelgunda Victoria Kulmusia*, Cl. nostri *Gottschedii* uxor, ita Lipsiæ nostræ, sicut Charitum, delicium. Exhibetur etiam *pag. 771 seq.* Appendix, repræsentans lectoribus hodiernos Professores Academiarum Altorfinæ, Duisburgensis, Giessensis, Jenensis, Lipsiensis, Marpurgensis, Rinteliensis, & Wittebergensis; Collegas item Societatis Germanicæ Lipsiensis, & Collegas Ecclesiarum & Scholarum Lipsiensium. Ceterum, cum doctissimus Autor ipse desideret monita justa & modesta, si quid forte ab ipso peccatum fuerit, unum notabimus ejus peccatum commissionis, unum omissionis. Scilicet, cum *pag. 14* controversiæ cujusdam facit mentionem inter S. R. *Cyprianum* & *Kochium*, Professorem Helmstadiensem, observamus, alium *Kochium* nominandum fuisse, *Christianum Gottliebium*, Theologum Holsatiæ, A. 1736 exstinctum: adversus cujus de *Dialogo cum Tryphone* sententiam etiam duo *Alberti Feldenii* libelli publicati fuerunt, alter A. 1700, alter A. 1707 emissus. Deinde ingratum multis futurum videtur, quod hic non legitur relatum, quo patre usus fuerit *Cyprianus*, quo

Deylingius, quo *Mascovius*, quo *Kemmerichius*, *Leonh. Hoffmannus*, *Lehmannus*, *Stollius*, & *Christianus Wolfius*. Certe non est dedecori Viris doctrina illustribus, humiles atque indoctos habuisse genitores. Imo majorem arguit animum & generosius ingenium, carentem parentum stimulo tamen eniti ad aliquod Heliconis fastigium. Jure igitur hoc ipso in libro fatentur *Schœttgenius* & *Wezelius*, sutore se usos esse patre; nec *Rusius* taceri voluit, patrem sibi fuisse pagani ludi magistrum.

JO. GODOFREDI SCHAUMBURG, IN Acad.Rintel.Jurium Prof.Publ.Ordinarii,de Constitutionibus Imperatorum antiquis, iis speciatim, quæ in Institutionibus citantur, & in Codice repetitæ prælectionis omissæ sunt, Liber Commentarius, qui Autores & sensum Constitutionum ex Antiquitatibus eruit, variisque legibus veterum & fragmentis JCtorum lucem fœneratur, atque ad meliorem antiquitatis Romanæ, in Institutionibus Justinianeis sparsim exhibitæ, intelligentiam confert. Accedunt in calce Autoris Oratio, & duo ejusdem Programmata, ad Jurisprudentiam pertinentia, cum Indice Observationum & rerum.

Lemgoviæ, ex officina Meyeriana, 1735, 4.
Alph. 1 plag. 7.

Quodsi immensos eruditorum labores, quos in conquirendis deperditis Jurisprudentiæ veteris ruderibus adhibuerunt, paulo curatius cogitamus, non possumus mirari satis, hoc, quod tanta nunc elegantia, tantaque dexteritate, excoluit *Jo. Godofredus Schaumburgius*, Jenensis nunc Academiæ Antecessor, argumentum ad nostra usque tempora intactum & fere derelictum permansisse. Diu est, ex quo eruditi operam dederunt, ut *Tribonianum*, eminentem Sacri Palatii Comitem, scelerum gravissimorum turpissimorumque facinorum reum postularent; plerique tamen hanc, quam Cl. *Schaumburgii* libellus notat, oscitantiam omiserunt, certe pro merito coercuerunt nunquam. Collegit Vir Doctiss.
qua-

quatuor Constitutionum, in Justinianeis omnis legitimæ scientiæ elementis excitatarum, Manipulos, quas si in repetitæ prælectionis Codice requiras, videbis, te laborem operamque perdere. Manipulus I *Leges Justiniani correctorias ad varia legis Æliæ Sentiæ capita:* Antonini Pii *aliorumque Augustorum de potestate herorum in servos Edicta: Leges D.* Marci *de administrationibus fisci, iisque, qui potestatem habent, a tutela excusandis: Divorum Fratrum Constitutiones de paupere a tutela libero, & de ignoto patri pupilli, hanc ob rationem non excusando:* Antonini Pii *Legem de excusatione eorum, qui literas nesciunt:* Severi & Antonini *Constitutiones de tutore ad curam continuandam non cogendo; de marito ad curam uxoris gerendam non admittendo; de tutore, qui alimenta pupillo negat;* eorundemque *Rescripta de mulieribus ad suspecti tutoris postulationem indistincte non admittendis; & de postulatione suspecti tutoris, ab impubere pubereve facta*, desiderat. Manipulus II *D.* Marci *Edictum de præscriptione rei a fisco alienatæ:* Antonini Pii *Constitutionem de substitutione hæredibus ex partibus disparibus scriptis facta:* Severi & Antonini *Rescripta de usucapione bonorum vacantium; de conjungendis ab emtore venditoreque præscriptionum temporibus; de testium in testamento solenni adhibendorum habilitate dijudicanda; de substitutione cohæredum; de hærede vi posterioris testamenti in certa solum re instituto; de Principe litis causa hærede scripto:* Justiniani *Legem de testimonio legatarii vel fideicommissarii in testamento: varia variorum Principum placita de testamento militis privilegiato, & de testamento eorum, qui in potestate sunt*, requirit. Manipulus III Antonini Pii *Edictum de legato rei alienæ:* Severi & Antonini *Rescripta de pignore legato; de legato per subsequentem alienationem ademto; de dote prælegata; de peculio servi manumissi; de validitate codicillorum testamento non confirmatorum:* Gordiani *privilegium, militibus concessum, ne ultra vires hæreditatis obligentur:* Justiniani *Constitutiones de institutione hæredis incerti; & de legato inter medias hæredum institutiones relicto: varias plurimorum Principum Constitutiones de legato pœnæ nomine relicto*, expetit. Manipulus

IV Hadriani *Epistolam de beneficio divisionis confidejussoribus concesso*: Marci *Edictum de eo, cui libertatis causa bona addicuntur*: Anastasii *Legem de fratribus emancipatis, eorumque liberis, ad fratrum successionem admittendis*: Zenonis & Justiniani *Constitutiones de plus & minus petitione*: Justiniani *Constitutiones de legitima agnatorum successione; de servili cognatione; de successione libertorum; de bonorum possessionibus; de sublato SCto Claudiano; de actionibus tripli & quadrupli contra actorem & executores litium; de compensatione in actionibus stricti juris*, inter deperdita antiquitatis monumenta locum obtinere, dolet. Variam & elegantem omnium divinarum humanarumque rerum notitiam in hoc exiguæ molis libello prodit Autor Juris legumque peritissimus. Singula recensere, instituti vetat ratio. Biga exemplorum assertionis constabit veritas. Diu jam diversam bonorum *vacantium* & *caducorum* indolem neglexerunt, imo utraque pudendo errore confuderunt, Viri clarissimi. Cons. *Schaumburgius* binas, easque dignissimas notatu, indicat differentias, alteram a successore petitam: nam in vacantibus respublica succedit, caduca ad hæredes legitimos devolvuntur; alteram in oneribus successionum ferendis conspicuam: immunis enim est, qui vacantia bona occupat, non qui caduca capit. Alio loco illos in ratiocinandi artificio pronuntiat hospites, qui, quando in Digestis *Hadrianum* nonnunquam D. *Pii* venire elogio deprehenderunt, perpetuo *Hadrianum* cum *Antonino* confundi, certissimæ instar supponunt regulæ. Ita vero Cons. *Schaumburgius* veterum manes JCtorum ab invidia malevolorum & obtrectatorum calumniis docte vindicat.

Man. II Obs. I.

Man. III Obs. I.

NOVA LITERARIA.

Florentiæ, initio mensis Septembris anni superioris, e Typographia *Cajetani Albizinii*, in ædes *Gorianas* translata, prodiit in *folio majore*, charta valde magnifica, atque ad id ipsum diligenter parata, characteribus novis atque elegantibus, (*Aldi Textum* vocant,) Opus insigne, *duobus Voluminibus* comprehensum, cum hoc titulo: *Museum Etruscum, exhibens insigniora veterum Etruscorum monumenta, æreis Tabulis* 200 *nunc*

pri-

primum edita, & illuſtrata Obſervationibus Antonii Franciſci Gorii, *publici Hiſtoriarum Profeſſoris.* Dedicatum eſt *Joſepho Averanio,* in Piſana Academia Anteceſſori celeberrimo, cujus effigies prorſus ad naturam expreſſa exhibetur. Editæ Obſervationes & Notæ occupant folia 146. His accedunt, totidem foliis accurate impreſſæ, Tabulæ ducentæ, inciſæ a Chalcographis, qui Florentiæ ſunt, omnium excellentiſſimis. Etruſca monumenta genuina ac ſincera ex omnibus Etruriæ Muſeis, præſertim e Mediceo Theſauro, depromta, ſunt fere quadringenta, quæ luculenter illuſtrantur, in *quinque Claſſes* diſtincta ac diſtributa, præmiſſis totidem Diſſertationibus. Agitur in *prima,* quæ Deos proprios, ſelectos, & communes, exhibet, *de Tyrrhenorum origine, eorumque in Italiam adventu & idololatria:* in *ſecunda, de Mythologia veterum Etruſcorum,* in qua fabulæ ex antiquis monumentis declarantur: in *tertia de Thyſiologia, ſeu religione, veterum Etruſcorum,* quorum ſacra, feſta, miniſtri ſacrorum, & donaria, afferuntur & illuſtrantur: in *quarta, de moribus inſtitutiſque Tuſcorum,* quorum militia, fœdera, triumphi, ludi, venationes, nuptiæ, convivia, muſica, & poeſis, ac funera, ex antiquis anaglyphis & pictis vaſculis declarantur: in *quinta, de priſca Etruſcorum ſcriptura, lingua, artibus, & inventis;* ubi proponitur alphabetum Etruſcum, 16 literis conſtans, ſingularumque literarum identitas & poteſtas ex nominibus, quæ Deorum Etruſcorum imaginibus adſcripta ſunt, probatur; adeoque poſtrema hæc *Claſſis* literas, monetam, gemmas, artes, & inventa inſigniora, hujus inclytæ nationis, complectitur. Singulis *Claſſibus* parerga Etruſca, in literis initialibus & in fine etiam, (vulgo *fregi, e finali,*) præponuntur, & accurate omnia explicantur. Complures Etruſcæ Inſcriptiones, Deorumque cognomina, ſignis & pateris inſcripta, omnia denique, quæ Operi *Thomæ Dempſteri* de Etruria regali addita ſunt, rurſus luculenter, aliisque curis, explicantur. Accedit *Mantiſſa* ærumnoſi Operis, quam in Prodromo, olim edito, nec promiſerat, nec ſe tunc aſſecuturum ſperaverat Cel. *Gorius,* quæ continet *Interpretationem Etruſcæ Tabulæ,* triginta quinque verſibus ſcriptæ, quæ apud *Eugubinos* exſtat, cui etiam obſervationes & notas adjecit; quibus ſin-

ſingularum vocum originem explicat, & ſuæ interpretationis rationem reddit idem *Gorius*, qui primus omnium eam interpretatus eſt, & inſcripſit *Orthium Carmen antiquorum Etruſcorum*: edito nunc primum antigrapho, ejusdem Tabulæ Etruſcæ archetypo fideliſſime reſpondente. His lucubrationibus depromtis, omnes Etruſcæ Inſcriptiones non ſolum legi, verum etiam a doctis Viris, adhibito ſtudio, facile intelligi poſſunt, quod ipſum fieri vix poſſe, olim literati homines judicarunt. Bibliopolæ, qui hoc Opus *Muſei Etruſci, duobus Voluminibus* comprehenſum, & *ducentis Tabulis*, ut diximus, ornatum, vel ſibi, vel literatis viris, comparare voluerint, ſi *duodecim* hujusce Operis exemplaria emerint, & pecuniam, absque ullo alio Typographi *Albizinii* onere, Florentiæ enumerandam curaverint, duo exemplaria ejusdem Operis ab ipſo, ultra illa *duodecim*, gratis & pro dono accipient; adeoque ſolventes *centum quadraginta quatuor* ſcutata monetæ Romanæ, (quodlibet ſcutatum Romanum conſtat decem *Paulis*,) lucrabuntur *duo* exemplaria ejusdem *Muſei Etruſci*, nimirum *quatuor Volumina*; ac proinde lucrabuntur ſibi ſcutata *viginti quatuor* ejusdem monetæ. Qui vero *ſex* tantum exemplaria ejusdem Operis emerint, pari ratione Florentiæ enumerantes *ſeptuaginta duo* ſcutata, unum exemplar gratis, & pro lucro, accipient. Hoc vero lucrum & donum non accipient, qui *quinque* tantum, vel *quatuor*, & multo minus, qui *tria*, vel *duo*, aut *unum* exemplar, emere voluerint. Neque ullam accipiet propoſitionem *Albizinius*, ſi qui cum libris ſuis hoc Opus commutare voluerint, niſi agatur de emendis ſaltem 24 exemplaribus ejusdem Operis: tunc ſolummodo tot libros, qui in tota ſumma conficiant pretium *centum* ſcutatorum, pro commutatione accipiet: & tunc, traditis ipſi ſuis libris, reliquum pecuniæ Florentiæ annumerari curabunt; qui libri commutandi, ſint optimæ notæ, integri, perfecti, & juſtiſſimo pretio, quod in ſua civitate habent, & æquis paribusque rationibus & commodis, ad ipſum mittantur. Quare prius indicem eorundem librorum, adjuncto ſingulis pretio, ad ipſum mittent, & amice hac de re per literas cum ipſo agent. Omnibus gratiam pro gratia rependet.

Tomi tertii Supplementorum ad *Nova* hæc *Acta* publicavimus haud ita pridem *Sectionem I, II & III.*

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXXVIII.

Pars I.

THE HISTORY OF THE GROWTH AND decay of the Othman Empire, &c.

h. e.

DE OTHOMANNICI IMPERII AMPLIFIcatione & decrementis historia. Partes II, quarum prior amplificationem ab Othmane, fundatore, usque ad Mahometem IV, sive ab A. 1300 usque ad obsidionem Viennæ A. 1683: altera decrementa, a Mahomete IV usque ad Achmedem III, adeoque spatium temporis, quo vixit Autor, complectitur. Primum Latino sermone conscripsit DEMETRIUS CANTEMIR, Moldaviæ quondam Princeps, & ex Autoris Autographo Anglice vertit N. TINDAL, M. A. Operi additæ sunt Icones Imperatorum Turcicorum, æri incisæ, ad exempla tabularum pictarum, in Seraglio suspensarum, facta per Pictorem aulicum superioris Imperatoris.

Londini, impensis Jac. Jo. & Pauli Knapton, 1734, fol. Alph. 5 pl. 1.

Contigit nostra ætate Moldaviæ, quod nescimus an alii cultioris Europæ regioni, ut duo ipsi Principes, sibi invicem succedentes, a Turcis imponerentur, literarum amore

æque capti, & ob insignia in ornandis pariter atque juvandis bonis artibus merita dignissimi, quorum nomini ac memoriæ e doctioribus nemo non lubens assurgat, beneque precetur. Atque unus quidem horum, dubium non est, quin designari intelligatur *Nic. Maurocordatus*, *Alexandri Maurocordati*, Viri πολιτικωτάτȣ, & cum permultis amplissimis in aula Othomanica honoribus, tum maxime Legati ad pacem Carolivici ineundam munere functi, filius, Princeps incomparabilis: de cujus doctrina, & erga literarum studia affectu, testis, opinamur, satis idoneus est perelegans *de Officiis* libellus, primum Græce tantum ab ipso editus, deinde una cum Latina Cl. *Bergleri* versione hic Lipsiæ iterum typis excusus: testes etiam sunt complures Epistolæ, quas haud ita pridem uni Sociorum nostrorum oculis usurpare licuit, Principis jussu ab eo, qui ipsi a scriniorum cura erat, ad *Jo. Clericum* de rebus ad literarium statum pertinentibus scriptæ, in quarum perlustratione illud præterea ab eo, qui inspexit, observatum esse memoratu non indignum judicamus, XI veteres Inscriptiones, quæ a Cl. *Hesselio* in Appendice Præfationis, Operi Inscriptionum *Gudiano* præfixæ, *pag. 22* publicantur, non aliunde ad Cl. *Duckerum*, cui acceptas refert *Hesselius*, pervenisse videri, quam ex *Clerici* concessione, utpote quocum communicavit idem ille, cujus paulo ante mentionem fecimus, Illustrissimi *Maurocordati*, Valachiam tunc gubernantis, scriniorum præfectus, sua ipsius manu in separata a literis schedula descriptas, facto simul indicio, ipsos lapides Carolinæ A. 1715 erutos fuisse, atque in Transsylvania adhucdum exstare spectandos. Enimvero *Maurocordato*, propterea, quod in otio literario vitam omnem traducens, ad belli negotia gerenda nec animi, nec corporis, virium satis habere credebatur, principatu sese abdicare coacto, alium, quod mireris, Principem in ejus locum suffecerunt Turci, itidem in omni eruditionis genere versatissimum, alterique, si militiæ administrandæ artes usumque, quo hic præstabat, excipias, ex asse parem, Serenissimum scilicet *Demetrium Cantemir*, Operis eximii de Othomannici Imperii fatis Autorem. Cujus cum parum adhuc Occidentem versus

verſus percrebuerit fama, abſque impietatis in defuncti manes nota fieri nequit, quin ex ſubjecta libro vitæ illius delineatione paucula, pleniori de eo notitiæ comparandæ inſervitura, hic repeteremus. Natus eſt anno æræ Chriſtianæ 1673, patremque habuit *Conſtantinum Cantemir*, primum parti ſaltem Moldaviæ præfectum, ſucceſſu temporis totius, qua patet, Principem. Inter conditiones collatæ in eum dignitatis hæc erat, ut unum aliquem ex his filiis Conſtantinopolin mitteret, paternæ fidei futurum obſidem. Quo pacto cum filius natu major, *Antiochus Cantemir*, per triennium ibidem ſubſtitiſſet, hoc domum revocato, Noſter A. 1687 illuc ſe conferre juſſus eſt. Ab eo inde tempore usque ad annum 1710, præterquam quod nonnunquam in breve unius aut duorum annorum ſpatium patriam reviſeret, etiam ſemel Magnum Viſirium ad caſtra proficiſcentem comitaretur, Turcicique exercitus apud Zentam cladis ex altera fluminis ripa teſtis eſſet oculatus, perpetuum Conſtantinopoli domicilium conſtituens, in hoc totus fuit, ut Turcorum linguam, inſtituta, & mores ſibi redderet quam familiariſſimos. Ad hæc Muſicam attingens, proſperrimo in illa tractanda verſatus eſt ſucceſſu. Cantuum enim, ab eo numeris muſicis aptatorum, modulationi non modo ſumma cum voluptate aures præbebant Turci, & hodieque præbent, ſed & primus notarum muſicarum inter ipſos introduxit uſum. Circiter annum 1710 Moldaviæ Princeps creatus, nec multo poſt a Magno Viſirio gravi affectus injuria, jugum Turcicum excutere, ſeque cum univerſa Moldavia in libertatem vindicare, clam meditabatur. His conſiliis agitato, ſponte ſupervenit miſſus a *Petro I*, Ruſſo-Græcorum Monarcha, expertæ fidei homo, opem pollicitus præſidiumque validiſſimum, modo Ruſſis in poſterum fidem ac obſequia, a clientibus præſtari ſolita, exhiberet, armaque contra Turcos cum ipſis ſociaret. Icto his legibus fœdere, junctisque cum exercitu Ruſſorum copiis, ipſe in extremum vitæ pervenit diſcrimen. Obſeſſo quippe ad flumen Pruth cum omni milite Monarcha Moſcovitarum, tantasque in anguſtias redacto, ut in pacis impetratione, quali-

 bus-

buscunque ſub conditionibus datæ, ſalus unice poſita videretur, Moldaviæ Principem atrociſſimis comminationibus ſibi dedi poſtulabant Turci, nec ſervari fortaſſis potuiſſet, niſi, diſſimulata ejus in caſtris præſentia, in carpento Imperatricis tam diu occuliſſent, donec, peracto pacis negotio, tuto evadendi ſeſe offerret occaſio. Spe igitur Moldaviam retinendi excluſus, accepto diplomate, quo damni reparationem, liberumque in terris ſuis receptaculum, largiebatur Ruſſorum Imperator, A. 1711 una cum mille aut pluribus Nobilibus Moldavis aſſignatas ſibi in Ruſſia ſedes ivit occupatum. Porro, ut ne minimam quidem dignitatis jacturam feciſſe videretur, in Ruſſici Imperii Principes lectus, atque titulo Sereniſſimæ Celſitudinis cohoneſtatus eſt. Succeſſu temporis, poſteaquam Petropolim commigraverat, aulæ admoveri cœptus, ſummam inſignis in conſiliis dandis dexteritatis retulit laudem. Tandem Imperatorem, in Perſas iter facientem, ſequi juſſus, graviſſimoque in via morbo correptus, A. 1723 diem obiit ſupremum. Excelluit, ut quam maxime, plurimarum linguarum cognitione: præter Græcam enim veterum, Sclavonicam, & Gallicam, quibus mirum in modum eruditus erat, Turcorum, Arabum, Perſarum, Græcorum hodiernorum, Latinorum, Italorum, Moſcovitarum, & Moldavorum, literis atque ſermoni adeo ſe aſſuefecerat, ut in unoquoque commode verba facere valeret. In Philoſophiam ac Matheſin haud proletaria quidem opera incubuit, Architecturæ inprimis ſtudio delectatus, potiſſimum tamen Hiſtoriæ utilitate pariter ac voluptate inflammatus, ad eam excolendam perpoliendamve curas omnes cogitationesque convertit. Libros reliquit bene multos, partim hiſtorici, partim philoſophici, argumenti. Præſentis publicationem debemus Sereniſſimo Excellentiſſimoque Principi *Antiocho*, *Demetrii* filio, *Cantemir*, qui, ab Imperatrice Ruſſorum cum majori, quam Legatis alias tribui ſolet, autoritate (*en caractere de Miniſtre plenipotentiaire*) in Angliam miſſus, allatum ſecum MStum Codicem Cl. *Tindalio* vertendum atque prelo ſubjiciendum conceſſit. Propius igitur ad Operis ipſius perluſtrationem

ac-

accedentibus memorandum est, frontem ornari effigie Autoris, affabre æri insculpta, eamque excipere titulum, nec minus catalogum, nomina eorum, qui ad editionem maturandam pro uno aut pluribus exemplaribus vel in antecessum exsolverant, vel exsolutoros se esse, scripto fidem fecerant, exhibentem. Sequuntur binæ Præfationes, altera Metaphrastæ brevior, de orthographia ac pronuntiatione vocum nonnullarum Turcicarum paucula præmonentis. Majoris momenti res complectitur altera, quippe in qua Autor, præparationis in ipsam Historiam loco, tres vexatissimas quæstiones, in quarum solutione multum gravissimeque peccasse arguit Scriptores Christianos, de æræ scilicet Turcicæ, quam Hegiram vocant, cum Christiana comparandæ ratione, de nomine ac gente Turcorum, denique de Imperialis Othomannidarum familiæ origine, data opera excussit. Ad primam quod attinet, recte a *Ricciolo* animadversum esse statuit, initium Hegiræ cadere in annum Domini 622. Sed, cum duo computandi modos memorat, alterum astronomicum, ex die 15 Julii, ceu proprio & naturali exorientis novilunii termino, alterum politicum, a die 16 Julii conjunctim cum antecedenti nocte, qua Meccam fugit *Mahomet*, quave recurrentis lunæ nitor primum apparere cœpit, posteriorem Arabes inter atque Turcos receptum esse, variis argumentis confirmat. Quorum validissimum est, e Diplomate Sultanis *Murad III*, ad Imperatorem *Rudolphum II* misso, petitum, ubi utriusque æræ annus & dies expressus legitur. *Ricciolo* deinceps causas, cur ita computare libitum fuerit, vel non habente, vel suppeditare oblito, Autor certiores nos reddidit, olim de novilunio generatim sic sanxisse *Mahometem*, ut, quantocyus lunam conspicerent, festorum solennia auspicarentur. Quandoquidem vero dubio caret, lunam non statim primo die, sed interdum altero, nonnunquam tertio demum, conspici, mirum haud magnopere videri ait, vel *Mahometem* ipsum Astronomiæ expertem, vel populum, e Prophetæ & legislatoris autoritate unice pendentem, diem, quo primum visa est luna, pro ipso novilunio accepisse, atque ad hanc veluti nor-

mam menses festosque dies ordinasse. Probabile igitur est, a *Mahometis* fuga auspicari Hegiram, successores autem *Mahometis* vel ex superstitione, vel ex negligentia, æræ initium esse voluisse, non diem Jovis, seu 15 Julii, sed diem Veneris, seu 16. His præsuppositis, atque ope Tabulæ parallelo-Astronomicæ, asseverat, facili negotio comparari posse utriusque æræ annos. Cujusmodi tamen schema, quantumvis ab Autore promissum, cum, quod merito dolemus, in MSto Codice non comparuerit, aliud quoddam cum erudito orbe communicavit Metaphrastes. Præsentem denique disputationem concludit Autor confutatione errorum, a *Leunclavio* aliisque circa annum primum imperii *Othmanis I*, item annum mortis *Erdogrulis*, patris *Othmanis*, & circa expeditionum, a *Solimane* & *Jenghizchane* susceptarum, tempus, commissorum. Circa alteram quæstionem ex fide dignissimis Historicis, Turcicis pariter ac Persicis, ostendit, jam multo ante *Othmanis I* tempora innotuisse nomen Turcorum, ac præcipue tribui consuevisse populis quibusdam Scythicis, *Jenghizchanem*, Asiæ bellum inferentem, secutis, & post ejus expeditionem in Persia & Asia minori dispersis, similiter, qua ratione contigerit, ut *Othmanidæ* successu temporis eo insigniti fuerint, fuse docteque enarrat. Asia nimirum universa per *Jenghizchanis* invasionem misere devastata ac perturbata, e Præsidibus Persicis haud pauci, maxime illi, qui provinciis inter Pontum Euxinum, mare Caspium, atque Euphratem, sitis præerant, tempori inserviendum rati, dominatum occupaverant. Adhæc potentissimus horum, *Aladin*, Iconii Princeps, reliquias copiarum *Jenghizchanis*, quæ provincias suas quotidianis fere incursionibus infestabant, justo bello aggredi, ac funditus delere, constituerat. Quod secus accidit. Victus enim ipse, regnoque pulsus, Constantinopolin ad Imperatorem Græcum, *Michaelem Palæologum*, confugit. Ubi haud ita multo post vita functus, filium reliquit *Melec Schah*, postea *Aladinum II* dictum, qui, verba tantum ab Imperatore Græcorum sibi dari cernens, venia proficiscendi frustra rogata, clam excessit, patriamque repetiit. Nec successu caruit

res;

res; namque, conciliatis ſibi paterni dominii primoribus, Scythisque, qui hactenus poſſederant, devictis, ut horum animos ab armis ad pacis ſtudia converteret, vicatim diſtributis, agros colendos tradidit, ac commune Turcorum impoſuit nomen. Amplius *Erdogrulem*, *Solimanis*, ſub idem tempus aquis ſuffocati, filium, &, poſt obitum hujus, *Othmanem*, nepotem, exercitui præfecit *Aladin. Othmanes* deinceps in *Aladini*, absque hæredibus defuncti, locum ſurrogatus, nomen Turcorum ut ignominioſum aboluit, eoque non niſi ruſticos vocari, reliquos *Othmanli* ſeu *Othmanidas* appellari juſſit. Sufficiunt hæc ad indicandam gentis atque appellationis Turcorum originem. Ultimo loco dubitationi, quæ ex eo oriri poſſet, quoniam in Turkiſtan Turcorum & Turcomannorum priſtinas ſedes quærunt antiqui pariter & recentiores Geographi, occurrit Autor, id urgens ac præ ſe ferens, fraudi fuiſſe Europæis hominibus ignorantiam orientalium linguarum, unde factum, ut voces, ſono a ſe invicem haud multum diſcrepantes, pro iisdem acceperint. Tertia demum quæſtio erat de regia *Othmanidarum* ſtirpe. Enumeratis plurimis Hiſtoricorum opinionibus, in eo cum ceteris conſentit Autor, a *Solimane Nera* Principe deſcendere regiam Imperatorum Turcicorum ſtirpem. Illud præterea in Annalibus Turcicis pro certo affirmari teſtatur, e nobiliſſima inter Scythas Ogyziorum familia ortum *Solimanem*, tribui Tartarorum, prope mare Caſpium habitantium, præfuiſſe. Quam tamen poteſtatem utrum hæreditario jure, an propriis meritis, populique ſuffragio, conſecutus fuerit, minus conſtat. Interim, quo obſcuriora ſunt omnia, ſi ſupra *Solimanis* tempora adſcendas, eo facilius judicatu eſt, quo fundamento nitatur genealogia hujus ſtirpis, ad *Noa* usque ætatem prolata. Hæc hactenus de Præfatione. Opus ipſum in *duas Partes*, *prior* in *tres* rurſus *Libros*, diſpeſcitur, quibus decem & novem Imperatorum vitæ enarrantur. *Primus* ſpatium ab *Othmane I* usque ad interregnum ſub *Solimane Chelebi* A. 1401 complectitur. *Secundus* ſub *Mahomete II* A. 1451, *tertius* vero ſub *Mahomete IV* A. 1672, ſubſiſtit. Ab eo enim inde tempore opes Imperii

rii

rii *Othmanici* quam maxime infringi cœperunt & diminui. *Altera Pars uno Libro* abſolvitur, rerumque ſub *Mahomete IV*, *Solimane II*, *Achmede II*, *Muſtapha II*, *Achmede III*, geſtarum hiſtoriam exponit. Vitis Imperatorum Icones præmiſſæ ſunt, ad tabularum pictarum, in arce Conſtantinopolitana, cui *Seraglio* nomen, ſuſpenſarum, exempla, quæ Autor, Conſtantinopoli degens, non minori periculo, quam impenſa, per pictorem aulicum delineari curavit, æri inciſæ. In hiſtoria conficienda non optimæ ſolum inter Turcos & Perſas notæ ſcriptoribus uſus eſt, ſed & ex relatu virorum uſu & experientia præditorum, item ex chartis & monumentis avthenticis, quorum haud exiguum numerum comparaverat, plurima intexuit. A Chriſtianis contra Hiſtoricis proficere, aut quidquam in Commentarios ſuos transſumere, conſultò noluiſſe arbitramur, nec ullius facile mentionem fieri, ſcriptaque citari, reperias, niſi ubi rem vel obſcurius, vel absque idoneis argumentis, vel prorſus falſo, commemoratam in majorem lucem collocandi, novis firmamentis fulciendi, aut, errore patefacto, in veritatem revocandi, ſuppetebat copia. Rectius quippe viſum fuit, aquam, uti ex fontibus manat, limpidiſſimam, quam, admiſta alia, e rivis hauſta, turbidam propinare. Dici igitur vix poteſt, quantopere ceterorum doctorum hominum, qui in eodem argumento illuſtrando Noſtrum præiverunt, laboribus antecellat præſens Opus. Præterquam enim, quod plurima nomina propria, ob orientalium linguarum ignorationem miſere depravata, emendatius legantur; in factis enumerandis temporum ordo melius ſervetur; de conſiliorum arcanis, rerumque actarum cauſis, certiora ſuppeditentur; dignitatum atque officiorum, cum militarium, tum civilium, clarior notitia præbeatur, & quæ ſunt plura hujusmodi: tum innumera alia proferuntur prorſus nova, & quorum antea non magis conſcii eramus, ac myſteriorum Societatis in Anglia Galliaque, a multo inde tempore longe florentiſſimæ. Generatim iſta quidem perſequi libuit, cum neminem futurum arbitremur, qui, ſingula adductis exemplis operoſius probatum iri, ſibi perſuadeat, quod fieri non

non posset, nisi melior libri pars transscriberetur. Inter illius autem, vitia nescimus, an laudes, referendum sit, a continenti & perpetua lectione tam crebro avocari lectorem, atque ad subjectas textui annotationes remitti: cujus tamen interpellationis molestiam abunde compensant digressiones, quanto prolixiores, tanto plerumque lectu digniores atque jucundiores. Quæ cum ita sint, non defore auguramur, qui doleant, *N. Tindalio*, popularium suorum rationem unice habenti, librum Anglice vertendi consilium arrisisse. Ac dubium non est, quin, si Latino potius, quo primum compositus erat, sermone evulgare eum maluisset, multo majorem ab universo eruditorum ordine gratiam fuisset relaturus.

DIONYSII CATONIS DISTICHA DE MORIBUS ad Filium, cum Scholiis ERASMI, Notis SCALIGERI, OPITII, BARTHII, DAUMII, WACHII, & Metaphrasi Græca PLANUDIS, SCALIGERI, ZUBERI, & MYLII. Accedunt M.Z. BOXHORNII Dissertatio, & H. CANNEGIETERI Rescripta Boxhornio, de Catone. Curante OTTONE ARNTZENIO, qui suas Annotationes adjecit.

Trajecti ad Rhenum, apud Jurianum a Paddenburg, 1735, 8.
Alph. 1 plag. 20.

Feruntur procul dubio manibus omnium *Catonis* Disticha, nec quisquam adeo in republica literaria hospes, aut Scriptorum veterum ignarus est, ut nesciat, quam salutaria contineant præcepta, quam præclare effingant mores, quantaque cura excitent animos juvenum ad virtutis stadium cum successu decurrendum. Satis etiam cognita est eorum industria, qui in illustrandis incerti illius Autoris sententiis mire desudarunt, Codices manu exaratos in consilium adhibuerunt, & nævos, si qui forte irrepserant, ut fieri solet, e medio sustulerunt, Scimus enim, quam præclare promerita sit

O de

de *Catonis* Diſtichis muſa *Eraſmi*, *Scaligeri*, *Barthii*, *Daumii*, *Wachii*, ne quid nunc dicamus de interpretationibus, Græco idiomate a *Max. Planude*, *Scaligero*, *Zubero*, & *Mylio*, concinnatis, quorum eo omnis tendit induſtria, ut velut eſca tenellos animos ad virtutis ſtudium alliciant. Ea igitur, quæ omnibus nota ſunt, jam de induſtria prætermittentes, id nobis relictum negotii videmus, ut, quid præſtiterit Cl. *Arntzenius* hac ipſa editione, ſatis nitide typis exſcripta, commemoremus. Collegit is omnes Virorum eruditiſſimorum in hunc libellum lucubrationes, nec ex propria penu aliquid addere dubitans, omnia textui ſubjecit, quibus lumen ipſis *Dionyſii* verbis affundi poſſe judicavit. Notas variorum ordine ſuo ſequuntur Græcæ verſiones; *Opitii* vero Germanica omiſſa eſt, quia parum hæc facere ad rem ipſam videbatur. Ut autem terſam efficeret hanc editionem Cl. *Arntzenius*, multos in conſilium adhibuit Codices MStos, Collationem *Voſſii*, Codicem MStum veterem chartaceum, Codices MStos Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, nec excuſas alibi editiones flocci habuit, ſed, quod ipſe in Præfatione libere eſt profeſſus, ſedulo eas inſpexit, ut, quae ſparſim exſtarent utilia, in unum cogeret volumen. Solet ſæpenumero accidere, ſi componamus diverſimodas editiones, & Codices manu exaratos, ut ad rerum ſatis curioſarum, & animos hominum dedectantium, disquiſitionem delabamur. Id ipſum ſolers Codicum perſcrutatio in Cl. *Arntzenio*, ſanandis Scriptoris ſui vulneribus non infelicem operam navante, effecit. Ita, cum *pag. 56* Cl. Editor illuſtrare conatur verba: *Cum animadverterem, quam plurimos homines errare graviter in via morum*, ait, in Pariſienſi & Lugdunenſi Codice *homines* plane exulare; ex quo nobis perſuadere annititur, Præfationem non a *Dionyſio* noſtro, ſed ab alio, profectam eſſe. Nam, ſi ſcribendi rationem & ſcopum noſtri *Dionyſii* ſatis perſpectum habuiſſet, quisquis fuit Procemii Autor, non ſuccurrrendum eſſe cenſuiſſet opinioni plurimorum hominum, ſed ſolius filii, utpote cujus cauſa pater ſcribere ſuſceperat. *Pag. 63* reſecat princeps verbum *Itaque*, ab homine, qui Præfationem conſarcinaverat, profectum, in cujus locum,

cum, autoritate Codicis *Chouetiani* permotus, ſurrogare mavult *Inprimis*, ad exemplar *Pythagorei* Carminis, quod ita auſpicatur: Ἀθανάτους μὲν πρῶτα Θεὸς &c. *Pag. 64* monet, verba, *Magiſtratum metue*, in Lugdunenſi demum Codice collocari numero 16, ſed eam tranſpoſitionem nihil nos curare jubet, cum, quot fuerint ſcribæ & editores, tot ingenium ſuum ſecutos eſſe pateat. *Pag. 67* putat, per ſalutationem non poſſe tantum levem illam pietatis & amoris teſtificationem intelligi, qua publice occurrentium gratiam captare ſolemus, ſed etiam ſolennem illam ſalutationem, cum tenuioris fortunæ homines hora diei prima ſalutandi cauſa ſuperiores adierunt, ſecundum *Martialem Lib. IV Epigr. 8 v. 1:*

Prima ſalutantes atque altera continet hora.

Pag. 100 ad verba, *cum labor in damno eſt*, ſatis erudite commentatur. Nam, quamvis multum ſudoris & operæ impenderint *Dionyſio* noſtro illuſtrando *Barthius* & *Daumius*, non tamen hic verum Autoris ſenſum perſpexerunt. Illis felicior Cl. *Arntzenius*, aliter ſumi vocem *laboris* in priori, aliter in altero verſu, nos docet. Illic *laborem* nihil aliud innuere, quam induſtriam, ait, hic rem labore acquiſitam, præeunte claſſicorum Latii Scriptorum autoritate. Provocat enim ad ea loca, quæ ipſe collegit *Cannegieterus* ad *Avian. Fab. XXXIV v. 5:*

Solibus obreptos hiemi formica labores
Diſtulit — — — —

Pag. 104 refutat ſententiam *Scaligeri*, qui verba: *Cum fueris felix*, ita commutanda eſſe cenſuit: *Cum fueris dando*, h. e. cum, dando multa amicis, dapſilis audiveris & liberalis. Præterquam enim, quod nusquam in Codicibus diſcrimen aliquod inveniat, ipſi etiam commutatio illa a ductu literarum recedere videtur, &, quod maximum, ſenſum verborum, qui alias apertiſſimus erat, obſcurum fieri, rectiſſime judicat. *Pag. 132 Eſto animo forti* in Lugdunenſi ſecundo Codice, inverſo verborum ordine, legebatur *forti animo eſto*. Quæ quidem ſcriptura Cl. Editori prorſus rejicien-

da videtur, quod ſæpius ſynalæpham neglexerint Poetæ veteres, librarii autem, quia falſo judicaverint, fieri haud ita poſſe, ſæpe glandes pro frugibus dederint. Hujus autem hiatus triginta & amplius exempla dediſſe annotat *Taubmannum* ad *Virg. Lib. I Æneid. v. 16.* Pauca hæc, quæ attulimus, ſpecimina ſatis ad id, opinamur, valent, ut, quanto ingenii acumine, quantis veterum Scriptorum præſidiis, inſtructus, ad illuſtrandum hunc Autorem acceſſerit Doctiſſ. *Arntzenius*, omnibus conſtare poſſit. Illud etiam exinde diſcimus, quam male ſibi & rectioribus ſtudiis proſpiciant literarum elegantiorum contemtores, qui Codices manu deſcriptos ex orbe literario proſcribendos eſſe cenſent. Dum enim ſumma ope niti ſolent, ne horum aliqua habeatur ratio, ſupinam produnt ignorantiam, & inſignibus ſe privant commodis, quibus deſtitutos in tenebris verſari & cœcutire nos oportet. A quonam proficiſcantur illa *Catonis* Diſticha, & qua ætate ſint confecta, acutiſſima latet ingenia, & dubiæ plenum opus aleæ ſuſcipiet, qui incertam hanc extricare rem ſtudebit. Interim tamen Clariſſ. *Henrico Cannegietero* ex ſententia ceſſit controverſia, quam cum *M. Z. Boxhornio*, claſſicum canente, inſtituit. Nam hic *pag. 398 ſeq.* tam acerbe dixerat in eruditos, qui inepta illa, ut ait ipſe, & ex meris ſolœciſmis conflata Diſticha pro antiquo ingenii fœtu jactitant, ut conviciis magis, quam argumentis, colorem ſententiæ ſuæ conciliaverit. Legens hanc Diſſertationem atque relegens Cl. *Cannegieterus*, non potuit, quin curatius perpenderet eruditorum de *Catone* ſententiam, & peculiari eam Commentatione a *Boxhornii* calumniis atque obtrectationibus ſtrenue vindicaret. Elucet ſatis ſuperque ex hac diſceptatione, neque cor, neque animum, defuiſſe Cl. *Cannegietero*, nec levi armatura eruditiſſimum Virum in arenam proceſſiſſe. Nam, quæ protulit, modeſte pronuntiavit, pronuntiata teſtimoniis veterum aptis & ſelectis munivit, munita ſatis eleganti ſtilo expreſſit, adeo, ut nobiſmet ipſis facile perſuadeat, vetus eſſe ſcriptum, & quod nulla ratione ad Seculum barbarum

remitti

remitti possit. Nos eam rem hoc minus in dubium vocamus, quo major eam sub calce Dissertationis numerus confirmat testium, quorum effata in re historica nobis pro ratione esse debent. Agmen denique claudit locupletissimus notarum, rerum, & verborum, Index, totusque adeo liber, multa eruditione refertus, sine remora & expedite a juventute poterit evolvi. Quantum itaque Cl. *Arntzenio* debeat orbis eruditus, nemo non intelligit Lectorum, eorum inprimis, quibus satis est cognitum, quantis curis & vigiliis opus sit ei, qui scriptorem veterem, lima sua politum, luci publicæ exponere, & dispersas alibi res, velut scopas dissolutas, uno fasciculo includere, secum constituit. Quapropter vovemus ex animo, ut Cl. Autoris industria, vinci nescia, alios Latii aut Græciæ Scriptores eadem cura, eademque lima, expolire strenue pergat.

JO. FRID. REITZIUS DE AMBIGUIS, mediis, & contrariis: sive de significatione verborum & phrasium ambigua.

Trajecti ad Rhenum, typis Melch. Leonhardi Charlois, 1736, 8.

Alph. 1 plag. 20.

Producimus jam in scenam novum, ast elegantis doctrinæ & optimæ spei, Eruditum, qui, sub pulvere scholastico huc usque delitescens, lucemque veritus publicam, tandem scripto quodam, non abortivo, sed satis eleganti & polito, se nobis conspiciendum dedit. Provinciam, quantum ex Præfatione ejus colligere licet, erudiendæ juventutis in Belgio sibi demandatam habet, qua eum laudabiliter defungi, nulli dubitamus, præsertim cum amorem erga literas elegantiores publice testatus sit, nec tenuia laboris strenui specimina vel hoc unico ingenii fœtu dederit. Totum se quidem antehac, patris autoritate, arti medicæ consecraverat, propterea que de *Cornelio*

Celſo olim edendo conſilium inierat, ſed, deliciis atque illecebris literarum humanitatis unice captus, omne ſtudium, omnesque ingenii nervos, poliendis juvenum ingeniis impendere cœpit, a quorum cura cum vacatio privata datur, concinnandis eam libris præclare dicatam eſſe cupit. Ejusmodi horarum ſubſecivarum opus præſens elucubratio eſt, tam concinne, tamque ſtudioſe, perſcripta, ut miremur, cur Cl. Autor adeo injurius ſit in animi ſui dotes, ut omnes fere laudes verecunde nimis ab ſe declinet, ne aliorum invidiam in ſe provocaſſe videatur. Nam nihil fere in Proœmio ſibi vindicat, iisdem, quibus *Hemſterhuſius* in Præfatione *Dialogis Luciani* præmiſſa, verbis utens: *Omnia perſcrutari, terminos humanæ vitæ multum ſuperat.* Laudibus inſuper mirificis extollit Virorum celeberrimorum, *Everardi Ottonis*, *Arnoldi Drakenborchii*, & Fratris ſui, liberalitatem, a quibus, ſi quid obveniret, quod inſeri mereretur, id humaniſſime indicatum refert. Hæc ipſius modeſtia, princeps eruditorum virtus, nobis, quod ſerio profitemur, ſe quam maxime probavit. Deteſtamur plerorumque mores, qui, alta omnia ſpirantes, in caſtra Muſarum neſcio quibus phaleratis & ſeſquipedalibus verbis involare audent, &, levi velitatione contenti, ad editiora eniti, cœco fortunæ impetu, contendunt. At Noſtro voces plerumque deſunt, quibus obſervantiam ſuam erga viros doctos & præclare de literis meritos declaret, vitiaque, ſi quæ forte irrepſerint, purget. Chorum harum egregiarum obſervationum ducit

Pag. 1. Diſſertatio, non vilior ipſa de Ambiguis tractatione. Nam primo erudite diſcuſſit quæſtionem, num ambigua dentur, contrariasque *Chryſippi* & *Diodori* ſententias conciliare ſtuduit, quorum alter, *omne verbum ambiguum eſſe natura*, alter,

2. *nullum verbum eſſe ambiguum*, dixit. Deinceps probe monet, dari omnino æquivoca, ut nomina propria, quæ di-

4. verſos denotent vel homines, vel urbes, idque autoritate veterum & exemplis confirmat. Sic *Gellium N. A. Lib. IX Cap. 12* verba quædam enumeraſſe ait, quæ in utramque partem dicuntur, hoc eſt, quæ ſunt ancipiti ſignificatione, quæque ad ſuos titulos Cl. Autor deinceps retulit. Excurrit porro in

ene-

enodationem vocis *Ambigui*, &, ſuppeditata illius vocabuli deſcriptione, hoc diſcriminis inter *obſcurum* & *ambiguum* ſtatuit, quod *obſcurum* proprie ſit, ubi nihil videmus, adeoque nihil intelligere poſſumus, *ambiguum* vero, ubi aliquid, imo plura, videmus, plura intelligimus, ſed vel neſcimus, quidnam ex ambobus aut pluribus ſit eligendum, vel duo ſimul comprehendimus. Ad cauſas hujus verborum ambiguitatis refert primo *egeſtatem ſermonis*, de qua queritur *Seneca Lib. II de Benefic. Cap. 34: Ingens eſt copia rerum ſine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, ſed alienis commodatisque.* Altera cauſa ipſi a rerum natura derivanda eſſe videtur, ſive a qualitatibus, in re una variis ac diverſis, uti ex vocabulo *Purpureus* Lector cognoſcet, quod & pro albo & nigro uſurpatur, nec non ex voce *Lentus*, quam reſpondere ait, præeunte *Voſſio* ad *Catullum*, Græco γλισχρὸν, denotanti res viſcoſas, ut gluten, adeoque habenti proprietatem tenacitatis, firmitatis, ac tarditatis, ſed & facilitatis ac ductilitatis, quod viſcoſa facile extenduntur ſine ruptura. Reliquas, a *diverſo reſpectu*, ab *accidenti* & *tempore*, petitas, non attingemus cauſas, paucis, quid Cl. Autor de ambiguorum ſcriptoribus in medium attulerit, indicaturi. Inter præcipuos refert *Ciceronem*, *Gellium*, *Macrobium*, *Gellii* compilatorem, *Salvium Julianum*, & pleroſque poſterioris ævi JCtos, inprimis *Manticam*, *Caſ. Coſtam*, & *Gilbertum Regium* in libris Ἐναντιοφανῶν. Denique velut per lancem ſaturam exhibet ambigua quædam Belgica, v. c. *Hy is van eene hoge geboorte*, (*dat is, op eene berg geboren*,) *hy is van doorluchtigen Huize*, quod *Sixtum V* dixiſſe ferunt, quia per foramina caſæ paternæ ſol ac luna perlucebant. Quod vero ad ipſum Librum attinet, inſtitutum ipſius ex cujusvis vocabuli inſcriptione patet, eaque eſt Operis ratio, ut ſecundum literarum ſeriem omnia verba, quæ in utramque partem trahi poſſunt, enucleentur, exempliſque Autorum, quos vocare ſolemus, Claſſicorum, larga manu adductis, illuſtrentur. Utiliſſimam hoc ipſo operam ſuſcepit, &, conſpectui juvenum ſiſtens, quæ fugienda, quæ caute uſurpanda ſint, ſimul juventutis gratia para-

phra-

Pag. 8. 14. 16. 23.

phraſticam interpretationem verborum, ex veteribus Scripto-
ribus excerptorum, ſæpe adjunxit, propterea, quod abrupta &
e ſede ſua dimota verba alioquin intelligi nequeant. Hinc
vel elegantia ſtili, quo velut ſtellulis diſtincta ejus oratio eſt,
nos jure ſuo pellicit, vel erudita illa ambiguorum collectio
a nobis exigere videtur, ut cominus & cum cura labores hos
contemplemur, ſpem alentes, fore, ut Cl. Editor accendi ſe ap-
probatione noſtra ad ſplendidiores ingenii partus aliquando
Pag. 19. edendos patiatur. Sub voce *Accendo* & *Incendo* leguntur obſerva-
tiones omnium calculo digniſſimæ. Huc illa pertinent: *Accende-
re aliquem, vel animum alicujus, non modo eſt ad iram concitare,
ut plerumque, ſed & ad bonas res ſtimulare. Prius vide apud*
Salluſt. *Jug. 34*: Multitudo, quæ in concione aderat, vehe-
menter *accenſa*, terrebat eum clamore, vultu, ſæpe impetu *&c.
Contra in bonam partem* Cicero *de Orat. Lib. I Cap. 21:* Cum
ab ineunte ætate *incenſus* eſſem ſtudio utriusque veſtrum.
Vocabulum *acceptus* in malam partem pro *decepto* accipi, nos
23. docet, velut Belgice dicitur: *Ik hebbe hem gehadt.* Inpri-
mis nobis arriſit ille *Lucilii* locus, ubi verba ita fluunt:
Sic inquam veteratorem illum vetulum lupum Annibalem *ac-
ceptum. Admirationis* vox pæne ab omnibus in bono ſenſu
40. ſumitur, & ſignificatio iſta tam frequens eſt, egregie ita
monente Cl. *Reitzio*, ut & Galli & Belgæ ea pro pulchro
& laudabili ſemper utantur, & credant, etiam *admiror il-
lum* ſemper laudantis eſſe. Verum Cl. Autor oſtendit,
etiam Latinis accipi in malam partem. Sic *Cornelius Nepos
Epam. XV, 6, 3: Admirari ſe dixit ſtultitiam Rhetoris* Attici.
Sub examen vocat *boni* & *optimi* notionem, ubi ait: Cicero
80. *in minus bonam partem, imo in contumeliam fere, accipit
appellationem* optimi, *non quidem ironice, (nam quod* bone
Vir *ironice in malam partem accipiatur, vix operæ eſt, huc
referre,) ſed ſerio, ad Att. XII Epiſt. 21:* Cato autem ſe etiam
tribuere multum mihi putat, quod ſcripſerit optimum Con-
ſulem. Quis enim jejunius dixit inimicus? *Beneficium* deli-
78. neaturus, *in malam partem*, inquit, *pro culpa* Ulpianus *in l.*
ex

ex damni 40 §. 1 ff. de Damno infect. Detrimentum hoc, quod beneficio *ejus contingit*, *ipsum sarcire debere.* Hanc illustrationem quamvis usu suo se commendare non negemus, rectius tamen, ut nobis quidem videtur, fecisset Cl. Autor, si ea prorsus omisisset, quæ vitiatam satis commaculatamque dictionem redolent. Tantam nos Jurisconsultorum veterum autoritatem non putamus, ut naturalem immutare vocum significatum potuerint, ant in vestiganda verborum vi ac potestate tuto nobis recurrere ad illorum exempla liceat. Amice hoc monemus, quibus alioqui satis est cognitum, quanti sudoris, quam diffusæ lectionis, quam venustæ elegantiæ, plenus ille, non adeo magnæ molis, liber sit. Etsi vero, hausta nonnulla ex *Fabri* Thesauro eruditionis scholasticæ, facile appareat; ubivis tamen selectissima observationum spicilegia instituit, id quod indicio est, Cl. *Reitzium* ad culturam elegantiorum literarum vere natum esse, ideoque dignum, qui ad poliendos Græcos Latinosque Scriptores publica solennique formula a nobis sollicitetur.

MECHANICA, SIVE MOTUS SCIENTIA, analytice exposita, Autore LEONHARDO EULERO, *Acad. Imperial. Scient. Membro, & Matheseos sublimioris Professore. Tomus primus, instar Supplementi ad Commentarios Academiæ Scientiarum Imperialis.*

Petropoli, ex Typographia Academiæ Scientiarum, 1736, 4 maj. Alph. 2 plag. 15, Tab. æn. 14.

Cum in *Actis* hisce *A. 1716 Mens. Januar. pag. 1* eximium *Phoronomiæ Hermannianæ* Opus recenseremus, paucos exstare libros diximus, in quibus tantum reconditæ Matheseos contineretur. Ubi vero ad Opus præsens *Eulerianum* perlustrandum accedimus, illico profitemur, non paucos, sed nullum omnino librum lucem adhuc vidisse, qui tanto rerum sublimium & abditarum apparatu, ex intimis

Matheſeos viſceribus depromto, abundet. Nullo partium ſtudio, quod procul habemus, ſed veritatis amore, ducti, hæc eloquimur. Sive enim ipſam materiarum, quæ in hoc Opere pertractantur, excellentiam & ſublimitatem, ſive concinnitatem & facilitatem ordinis & methodi, qua diſpoſitæ ſunt, reſpiciamus, facile patebit, Autorem Celeberrimum plura præſtitiſſe, quam quisquam ante ipſum alius, atque ſcientiæ nobiliſſimæ pomœria multum protuliſſe, quin imo, quod plus eſt, aditum ad difficillima quæque in Matheſi applicata patefeciſſe, aut expeditiorem ſaltem reddidiſſe. Nulli igitur dubitamus, quin avidiſſime amplexuri ſint novam hancce *Mechanicam*, quibuscunque id curæ eſt cordique, ut in hodierna analyſi, & quæſtionibus phyſico-mathematicis, ejus ope expediendis, progreſſus maxime præclaros faciant. Noſtrum vero eſt, brevem pulcherrimis Operis ſynopſin exhibere Lectoribus noſtris, paucaque exinde delibare, quæ ſufficere poſſint ad ferendum de eo judicium. Qua quidem in re ita verſabimur, ante omnia ut quædam dicamus de ſcopo, methodo, ordine, quo digeſtum eſt, deinceps autem Capita ſingula ſingulatim perluſtremus. Quod ad ſcopum attinet, ipſe Libri titulus, & Præfatio, ſatis oſtendunt, Cel. Autori non fuiſſe in animo, illam Mechanicæ tractationem exhibere, quæ in æquilibrio & comparatione potentiarum contemplanda ponitur, ſed ipſam motus actualis ſcientiam tradere, cui quidem ſoli nomen Mechanicæ relinquendum eſt. Illa enim ſcientia, quæ circa æquilibrium potentiarum definiendum verſatur, Statica rectius dicetur, & a motus ſcientia diſtinguenda eſt. Eam vero ampliſſime expoſuit in Opere ſuo poſthumo Cel. *Varignonius*, quod, licet novæ Mechanicæ titulum præ ſe ferat, totum tamen eſt in æquilibrio virium determinando, quod tamen munus eſſe Staticæ, modo diximus; nec aliud quidquam, quod ad motus realis cognitionem facere poſſit, continet. Cel. *Wolfius* in ſuis Matheſeos Elementis, noviſſimæ præſertim editionis, multa & præclara, ad Staticam non minus, quam ad Mechanicam, pertinentia, tradidit, iisque unum Mechanicæ titulum præfixit; quæ quidem ſeparatim pertra-

ctare,

ctare, ipsa operis ratio, & præstituti limites, prohibuerunt. Quamobrem, si a Principiis Philosophiæ *Newtonianis*, & *Hermanni* præsertim *Phoronomia*, discesseris, vix alius est liber, in quo scientia motus unice, dataque opera, fuerit exposita, tantisque accessionibus aucta. At vero nimis contracta sunt pulcherrima hæc Opera, nec materiis omnibus sat ample explicandis, & plene percipiendis, sufficiunt. Præterea, quod permolestum accidit, conscripta sunt juxta syntheticam, qua veteres utebantur, & geometricam demonstrandi methodum, suppressa analysi, qua ipsi inventorum fontes aperiuntur, & legentibus via ad ulteriora, proprio marte eruenda, sternitur. Præcipua igitur Cel. *Eulero* cura fuit, malo huic ut remedium afferret, hæcque impedimenta, quæ discentium progressus valde sufflaminant, prorsus tolleret & removeret. Quam ob causam non solum ea, quæ cum in istis voluminibus, tum in variis eruditorum Diariis, sparsim traduntur ad scientiam motus referenda, in unum quasi corpus & Systema compingere, inque concinnum ordinem digerere, annisus est; verum novas quoque propositiones permultas, easque eximias, Operi ipsi inseruit, adeoque præclaras scientiæ motus accessiones fecit. Hæc quidem de scopo Libri. Methodum quod attinet, ea per totum Opus analytica est, ita, ut nulla demonstrationum syntheticarum farrago Lectori nauseam pariat, aut dispendium temporis. Operam dedit Cel. Autor, omnia ut proponeret planissime, & simul copiose, eaque ex principiis genuinis deduceret, effecitque, ut quivis absque magna hæsitatione totum Opus perlegere, & in usus suos convertere, possit, modo in analysi tam finitorum, quam infinitorum, satis sit exercitatus. Ordinem denique & partitionem Operis Cel. Autor desumsit tum ab ipso corporum motorum discrimine, tum ab eorum statu, quem vocat, libero, vel non libero. Potest enim considerari vel motus corporis infinite parvi, seu puncti cujusdam physici, vel etiam motus corporum finitorum, quæ ex particulis infinite exiguis, seu punctis, quæ diximus, physicis, constantur. Nisi vero tractatio de motu puncti talis ante omnia solide tradatur,

tur, & fundamenti loco præstruatur, nihil quoque in ipso corporum finitorum motu considerando proficere licebit. Etenim motus corporis finiti est id, quod resultat ex motibus omnium punctorum, seu particularum infinite parvarum, ex quibus componitur. Hanc ob causam Cel. Autor destinavit duos hujus Operis *Tomos priores*, qui nunc prodierunt, explicando motui talis puncti physici, progressurus in sequentibus ad ipsum motum corporum, quæ finitæ sunt magnitudinis. Satis tamen late ea quoque patent, quæ de punctis solum in *duobus* hisce *Voluminibus* traduntur, nec sua destituuntur applicatione ad motum corporum finitorum, siquidem quæritur, quod bene notandum, de motu corporis *totali*, non autem de motu *partium inter se*; & hoc quidem respectu e. g. theoria de motu punctorum projectorum, & vi centripeta versus punctum aliquod sollicitatorum, ad corpora quælibet finita, e. g. ad planetas, cum *Newtono* recte transfertur. Porro, quod statum corporum motorum attinet, cujus in disponendo Opere suo rationem habuit Cel. *Eulerus*, ille aut liber est, aut non liber. Liberum est corpus, vel punctum, quando nihil impedit, quo minus ea celeritate, & secundum eam directionem, quam tum ratione motus jam insiti, tum ratione potentiarum sollicitantium, habere debet, progrediatur. Talis est motus corporum, recta cadentium, planetarum in trajectoriis suis delatorum, &c. Status corporis non liber est, ubi impedimentum aliquod corpori vel puncto moto objicitur, quo minus ea celeritate, & in ea via, ad quam cum a sua vi insita, tum a potentiis quibuscunque, determinatur, progredi queat. Exempla status hujusce præbent corpora, super planis inclinatis, vel curvis quibuscunque datis, mota, pendula item oscillantia, aliaque hujusmodi. *Primus* itaque hujus Operis *Tomus* in eo totus est, ut ea exponat, quæ statum puncti liberum respiciunt; *secundus* autem in eo versatur, ut statum puncti moti non liberum declaret. Hisce prælibatis, ad singula Capita penitius inspicienda nos conferamus. *Tomus primus* distribuitur in *Capita sex*. Et in *primo* quidem agitur de mo-

tu in genere, & ideæ fundamentales, a quibus reliqua pendent, explicantur, quales sunt notiones celeritatis, spatii, temporis, loci. Locum definit per partem spatii immensi & infiniti, in quo universus mundus consistit; & hæc quidem est notio loci absoluti. Cum vero spatium in infinitum protensum distincte non intelligatur, concipiendi sunt pro lubitu termini fixi hujus spatii, ad quos corpora referuntur. Hæc relatio est id, quod situs appellatur. Quæ eundem situm semper servant, id est, eandem relationem ad terminos spatii fixos, quiescere dicuntur *absolute*; moveri autem *absolute*, quæ non servant. Motum *relativum* Cel. Autor definit per mutationem situs, respectu cujusdam spatii pro lubitu assumti. Igitur quies *relativa* erit conservatio situs, respectu hujus spatii. Qui quidem conceptus, etsi notionibus metaphysicis, præcipue recentioribus, adversari videntur, ad scopum tamen operis, & ad inveniendas veritates mathematicas apprime sunt utiles, de cetero autem spectandi ut notiones pure mathematicæ, non metaphysicæ. Præstructo hoc fundamento, Cel. Autor ad ea tradenda progreditur, quæ de motu æquabili demonstrari solent. Quo facto, theoriæ motus inæquabilis, qui in tempusculo infinite parvo ut æquabilis spectari potest, principia exponit, docetque, corporis, vel puncti, motu utcunque inæquabili per lineam rectam aut curvam lati, tempus definire, quo arcum datum absolvit, posito, celeritatem corporis in quovis lineæ loco datam esse. Exinde conficit, celeritatis hypothesin nullam subsistere posse, nisi eam, qua celeritas, saltem in principio motus, statuatur ut spatiorum percursorum potestates, quarum exponentes sint unitate minores. Deinceps, quid scalæ temporum & celeritatum sint, explicat, earumque a se invicem dependentiam, & constructionem, monstrat. Quam cum generaliter absolvisset, in casu eo, ubi scala temporum est parabola Apolloniana, scalam quoque celeritatum fore parabolam talem, facillime invenit, id quod in Systemate *Galilei* de motu uniformiter accelerato obtinet. Quæ hactenus dixit Cel. Autor, motui relativo æque conve-

niunt, ac ei, qui vocatur abſolutus. Quare ad ea penitius evolvenda ſeſe confert, quæ motui abſoluto omnino ſunt propria, & ad demonſtrandas leges naturæ univerſales, quas corpus liberum, a nulla potentia ſollicitatum, obſervat. Evincit itaque, corpus omne perſeverare debere in ſtatu ſuo quietis, vel motus abſoluti & æquabilis, niſi a cauſa quadam externa ſtatum hunc mutare cogatur. Id quidem ab omnibus, qui de motu ſcripſerunt, tanquam lex naturæ aſſumitur, ſed ſine demonſtratione, quam dedit Noſter. Hæc igitur conſervatio ſtatus corporum eſt proprietas eſſentialis, & omnia corpora, qua talia, vim habent in ſtatu ſuo permanendi, quæ nihil eſt, niſi vis inertiæ. Licet enim *Keplerus*, qui primus, ea de re cogitans, hanc vocem formavit, eam tribuat vi ei, qua corpora mutationi ſtatus ſui reſiſtunt; facile tamen patet, duas haſce definitiones a ſe invicem non differre: una enim eademque vis eſt, quæ efficit, ut corpora in ſtatu ſuo perſeverent, & quæ ſtatus mutationi reluctatur. Maluit tamen Cel. Autor adoptare hanc definitionem, quam *Keplerianam*, quia nondum conſtat, quomodo corpora viribus ſollicitantibus reſiſtant. Quæ de motu & quiete abſoluta demonſtrata ſunt, valebunt quoque in motu & quiete relativa, modo ſpatium, ex quo motum vel quietem relativam determinari diximus, abſolute vel quieſcat, vel uniformiter moveatur in directum. Hiſce dimiſſis, ſequuntur aliqua Problemata, ad motus relativos ſpectantia, ſicque *Capitis primi* finis eſt.

Caput ſecundum verſatur in definiendo effectu potentiarum, in punctum liberum agentium, ſive punctum quieſcat, ſive moveatur. Hic ſtabiliuntur vera Mechanicæ principia, quorum ope explicari debet, quicquid ad motum, & varias ejus mutationes, ſpectat. Ea vero ita demonſtrare nititur Cel. Autor, non ſolum ut certa, ſed neceſſario quoque vera, eſſe intelligantur. Potentias dividit in abſolutas & relativas. Abſoluta potentia eſt, quæ in corpus, ſive motum, ſive quieſcens, æqualiter agit; qualis eſt vis gravitatis, quæ corpora deorſum pellit æqualiter, ſive quieſcant, ſive moveantur. Relativa

lativa autem eſt, quæ aliter in corpus motum agit, aliter in quieſcens, qualis eſt e. g. vis torrentis, qui corpus ſecum abripit. Ut enim velocius movetur corpus, ita minor eſt torrentis in illud impetus, eoque caſu prorſus evaneſcit, ubi torrentis & corporis delati velocitas ſibi invicem æquantur. Facile itaque intelligitur, tractationem de potentiis reſpectivis potiſſimum reſpicere motum corporum in fluidis latorum, ſive, quod eodem recidit, in mediis reſiſtentibus, præſertim quando fluida quieſcunt. Quodſi fluida quoque ſupponantur moveri uniformiter in directum, caſus hicce reduci poterit ad priorem, ſubſtituendo motum relativum loco abſoluti, & fluidum conſiderando ut quieſcens. In ſequentibus igitur Cl. Autor motus iſtos in vacuo fieri ponit, qui a ſolis potentiis abſolutis efficiuntur, & in locum potentiarum relativarum media reſiſtentia ſubſtituit. Medii verò reſiſtentiam non niſi ad motum punctorum accommodat, inſuperabilem calculi prolixitatem evitaturus, qui ſuſcipiendus foret, ſi corpora hic conſiderari deberent ut finitæ magnitudinis. Quo ipſo & id commodi lucratur, ut directio vis reſiſtentis congruat cum motus directione, ſiquidem ea a fluido quieſcente oriatur. Quæ cauſa eſt, cur potentiis relativis eam ſemper directionem tribuat, quam habet ipſum. Hiſce præſtructis, ſolvit problema: Dato effectu potentiæ abſolutæ in punctum quieſcens, invenire effectum ejusdem potentiæ in punctum idem quomodocunque motum. Quod cum expediviſſet, in eo eſt, ut rigide demonſtret principium Mechanicæ fundamentale, quo jam uſus eſt *Galilæus* in inveſtigando motu gravium uniformiter accelerato; ſcilicet, quod incrementa velocitatis momentanea exponi debeant per factum ex potentia abſoluta in elementum temporis; ſive in ſymbolis, ſi potentia ſit $= p$, elementum temporis $= dt$, elementum celeritatis $= dc$, quod ſemper, & neceſſario quidem, habeatur $dc = pdt$, ita, ut contradictionem involveret, ponere $dc = p^2dt$, vel $dc = p^3dt$, vel etiam $dc = qdt$, denotante q functionem quamlibet τῆς p, ſecus ac id quidem videtur Viro Cel. *Danieli Bernoullio* in *Comment. Acad. Petrop.*

Petrop. Tom. I pag. 127. Oſtendit autem Noſter in *Prop. 15*, principium hocce verum eſſe in ipſo motus initio; & in *Prop. 19*, illud itidem valere, exiſtentibus jam motu & celeritate finita, quæ a vi ſollicitante, ſeu potentia abſoluta, corpori impreſſa eſt. Porro *Propoſitione 16 & 17* ea traduntur, quæ inſerviunt metiendæ vi inertiæ, ex qua ratio fluit, quare maſſa corporum in æſtimationibus mechanicis ſub cenſum quoque venire debeat. Demonſtratur autem, vim inertiæ eſſe proportionalem numero punctorum, ex quibus corpus conſtat, ſive quantitati materiæ; quæ cum eadem ſit, ſive quieſcat corpus, ſive moveatur, liquet, vim inertiæ in motu & quiete eandem eſſe. *Propoſitione 18* oſtenditur, quomodo, dato effectu unius potentiæ in punctum aliquod, inveniendus ſit effectus cujusvis alius potentiæ in idem punctum. In ſolutione hujus quæſtionis hoc principio utitur Cel. Autor, ut punctum, ſeu corpus, a pluribus potentiis ſollicitatum, in totidem partes concipiatur diviſum, quarum quælibet ab una tantum potentia trahatur. Poſtquam deinde ſingulæ partes a ſuis potentiis momento temporis protractæ ſunt, cogitandum eſt, eas ſubito reſtitui, & congregari; quo facto, locus in quem convenerunt, erit is, ad quem integrum corpus vel punctum ab omnibus potentiis ſimul agentibus eodem tempore fuiſſet pertractum. His igitur in caſibus concipienda eſt vis quædam reſtituens, & infinita, ſeu, quod idem eſt, corporum partes cogitandæ ſunt quaſi junctæ elaſtris fortisſimis. Principium hoc, licet imaginarium, maximæ utilitatis eſſe in motu corporum finitorum determinando, ait Cel. Autor; demonſtratque *Propoſitione 22 & 23*, partes corporum ſeparatas a vi hac reſtituente ſemper congregari in communi ſuo centro gravitatis. Ceterum quoque *Propoſitione 21* docetur, quomodo potentiæ cujuscunque, in punctum motum oblique agentis, effectus determinari queat.

Caput tertium agit de motu rectilineo puncti liberi, a potentiis abſolutis ſollicitati, ſive, quod idem eſt, de motu puncti, a potentiis quibuscunque continuo ſollicitati, in vacuo, ſive medio, quod reſiſtentiæ eſt incapax. Orditur Autor Cel.

a motu

a motu rectilineo, tanquam determinatu facillimo; ad motus curvilineos progressurus in sequentibus. Et primo quidem motum puncti determinat, a potentia uniformi sollicitati, qualis est gravitas in distantiis a tellure non nimis magnis, & exinde theoriam *Galilæi* de motu uniformiter accelerato deducit, ac amplificat. subjuncta theoria motus retardati, quæ nihil est, nisi prioris inversa. Deinceps transit ad motum, ex potentiis difformibus, seu variabilibus, oriundum; ubi primo loco occurrit theoria virium, quas *Newtonus* generaliter dixit centripetas, & centrifugas. Igitur in *Propositione 32* generaliter docetur, quomodo puncti celeritas inveniri possit in quolibet loco rectæ, in qua movetur, si scilicet centrum virium attrahat in ratione quacunque multiplicata distantiarum. Suppositum fuit, punctum ab initio quievisse; igitur in *Propositione* sequenti monstratur, quomodo motus puncti determinari debeat, quando ab initio celeritatem datam jam habuit. Notandum est, Cel. Autorem celeritates semper exprimere per radices quadratas ex altitudinibus, per quas punctum motu uniformiter accelerato cadere deberet, ut has ipsas celeritates acquireret. Igitur, si celeritas c quærenda est, non quærit immediate c, sed altitudinem quandam v, ita, ut sit $c = v^{\frac{1}{2}}$; & celeritatem c vocat altitudini v debitam. In *Scholio* post *Propositionem 33* datur expressio generalis pro tempore, quo punctum, a vi centripeta sollicitatum, spatium aliquod emetitur. Cum elementum ejus tale sit, ut generaliter nec integrari, nec ad quadraturas curvarum notiorum reduci, possit, invenit tamen Cel. Autor, illud satis concinne exhiberi posse in casibus specialibus, e. g. quando vis centripeta est ut distantia a centro directe, vel etiam reciproce, ut quadratum, aut cubus distantiæ, vel etiam reciproce ut dignitas distantiæ, cujus index est $= \frac{2m+1}{2m-1}$, existente m numero integro affirmativo, vel adhuc reciproce ut dignitas distantiæ, cujus index est $= \frac{m-1}{m}$,

 posi-

posito m ut prius. In hisce duabus hypothesibus posteriori-bus expressio temporis prodit pure algebraica. Quæ dicta sunt de viribus centripetis, facile transferuntur ad centrifugas, modo expressio vis centripetæ ponatur negativa. Non tamen piguit Cel. Autorem casus quosdam notatu dignos afferre, ex quibus generales quædam regulæ, ad motus generationem pertinentes, cognosci possunt, quæ per calculum solum explorari nequeunt; idque præsertim fecit *Propositione 40.* Et sic quidem prima hujus *Capitis* pars absolvitur. Secundo igitur loco ostenditur, quomodo ex data motus conditione leges potentiarum sint definiendæ. Dari autem possunt vel celeritas, vel tempus, quorum utrumque duplici modo est pertractandum. Vel enim respicitur ad unicum descensum seu adscensum, in cujus singulis punctis datæ ponuntur vel celeritates, vel tempora, quibus quæsiti spatii portiones percurruntur; vel considerantur infiniti descensus ad punctum fixum ex diversis altitudinibus facti, in quibus dantur vel celeritates ultimæ, vel tempora, quibus singuli descensus integri absolvuntur. Hinc quatuor oriuntur Problemata primaria, quorum solutiones videre est in *Propositione 42–45. Propositio 46* est hæc: Si fuerint tempora, quibus corpus ex quibuscunque distantiis ad centrum virium pervenit, in ratione quacunque multiplicata distantiarum; definire legem vis centripetæ. Pro hoc Problemate solvendo peculiarem proponit methodum, in aliis egregios usus præstantem, & præsertim in investigando Tavtochronismo a priori. Reperit autem, si vis centripeta sit $= p$, distantia a centro virium $= x$, b quantitas constans, sitque tempus, quo punctum ex distantia x ad centrum virium perveniat, ut x^n; reperit, inquam, esse $p = (2 - 2n)\, b x^{1-2n}$, id est, vim centripetam esse in ratione tantuplicata distantiarum, quot sunt unitates in $1 - 2n$. Quando $n = 0$, quo casu descensus omnes ex quibuscunque distantiis ad centrum virium sunt tavtochroni, erit $p = 2bx$, id est, directe ut distantiæ a centro. Si $n = \frac{1}{2}$, sive tempora in ratione subduplicata distan-

ſtantiarum, erit $p = b$, ſeu vis centripeta conſtans, prout accidere conſtat in Syſtemate *Galilæi*. Sequuntur adhuc alia, ingenioſa & pulchra non minus, quam utilia; ſed nobis, quibus libare ſingula minime licet, eſt pergendum.

Caput quartum ea complectitur, quæ ſpectant ad motum rectilineum puncti liberi, in medio reſiſtente. Lex reſiſtentiæ eſt dignitas ſive functio celeritatis corporis moti, cui reſiſtentia eſt proportionalis. Exponens reſiſtentiæ a Noſtro vocatur altitudo debita celeritati ei, quam ſi corpus habet, reſiſtentiam patitur vi gravitatis æqualem. Hac igitur reſiſtentia corpus in motu ſuo tantundem retardatur, quantum a gravitate, ſi ſurſum fuiſſet projectum. Datis ergo lege & exponente reſiſtentiæ, poteſt determinari diminutio motus. Exponens autem reſiſtentiæ eſt vel conſtans, vel variabilis; conſtans quidem in medio uniformi; variabilis autem in difformi. Porro media, quæ reſiſtunt, vel ſimilia ſunt, vel diſſimilia; illa quidem, quæ eandem habent reſiſtentiæ legem, e. g. juxta quadratum velocitatis; hæc autem, quæ diverſas. Hiſce notionibus fundamenti loco præſtratis, ſequuntur Propoſitiones. Et primo quidem docetur, quomodo inveniri debeat decrementum celeritatis corporis, in medio quocunque reſiſtente moti juxta lineam rectam, data lege & exponente reſiſtentiæ. *Propoſitione 50* & *51* oſtenditur, qua ratione determinanda ſint velocitas corporis in quovis loco, & tempus, quo ſpatium abſolvit, ſuppoſito, medium uniforme eſſe, ac reſiſtere in ratione quacunque multiplicata celeritatum, ex quo caſus particulares facile deinceps eruuntur. Quodſi enim reſiſtentia eſt ut quadratum velocitatis, ex applicatione canonis generalis reperitur, quod celeritas corporis in quovis loco ſit $= \sqrt{c e^{\frac{x}{k}}}$, ſignificante x ſpatium percurſum, k exponentem reſiſtentiæ, c altitudinem, cujus radix quadrata dat celeritatem initialem corporis, & e numerum, cujus logarithmus eſt $= 1$. Tempus vero, quo ſpatium x in hac hypotheſi percurritur, eſt

Q 2 $=2ke$

$= \frac{2ke^{\frac{x}{2k}} - 2k}{c^{\frac{1}{2}}}$. *Propositione 52* solvitur Problema de determinando decremento velocitatis corporis vel puncti moti in medio quocunque resistenti, & a potentia quacunque absoluta sollicitati, dum spatiolum infinite parvum percurrit. Hanc Propositionem in sequentibus ad exempla applicat Cel. Autor, praecipue in hypothesi resistentiae, quae est ut quadratum velocitatis. Si potentia sollicitans uniformis sit $= g$, medium uniforme, & resistentia in dicta hypothesi, ceteraeque literae idem significent, quod prius, erit celeritas corporis in quolibet loco $= \surd\left(e^{\frac{-x}{k}}(c - gk) + gk\right)$, si quidem celeritas initialis fuerit $= c^{\frac{1}{2}}$; quodsi autem corpus ex quiete motum inchoet, erit $c = 0$, adeoque corporis celeritas $= \surd\,(1 - e^{\frac{-x}{k}})\,gk$. Tempus autem, quo spatium x percurritur, exprimetur per $\frac{x}{\surd gk} + \frac{2\surd\frac{k}{g}\, l\, \surd\left(e^{\frac{-x}{k}}(c - kg) + gk\right) + \surd gk}{\surd c + \surd gk}$, existente l nota logarithmi. Haec vero formula est integrale elementi $dx : \surd\left(gk + e^{\frac{-x}{k}}(c - gk)\right)$, quae exprimit elementum temporis. Constans in integratione addita est $- \surd\frac{k}{g}\, l\, \frac{\surd c + \surd gk}{\surd c - \surd gk}$. Quodsi autem celeritas initialis nulla est, sive $c = 0$, erit formula temporis simplicior, scilicet $= 2\surd\frac{k}{g}$

$= 2 \frac{rk}{g} l \left(r e^{\frac{x}{k}} + r (e^{\frac{x}{k}} - 1) \right)$. Deinceps Cel. Autor ad adſcenſum quoque corporum ſurſum projectorum theoriam ſuam accommodat, & plura eam in rem profert præclara. Quamvis autem ad hypotheſin reſiſtentiæ juxta duplicatam velocitatis rationem potiſſimum attendat Cel. Autor, eam tamen hypotheſin in medium quoque affert, qua reſiſtentiæ ponuntur ſimpliciter ut celeritates, quoniam a *Newtono* quoque & aliis ea pertractata fuit. De hac agitur *Propoſitione 59* & *60*. Tandem *Propoſitione 61* dat formulam, qua corporis in recta deſcendentis, & a potentia uniformi ſollicitati, motus definitur, ſi medium reſiſtat in ratione quavis multiplicata velocitatum. Huc usque contemplatus eſt media ut uniformia, & potentias ut conſtantes; jam vero aggreditur alia, conſiderans medium reſiſtens ut variabile, manente vero potentia abſoluta uniformi, & in variis hypotheſibus corporis motum determinare docet, e. g. ſupponendo, exponentem reſiſtentiæ eſſe proportionalem diſtantiis a puncto fixo, ut in *Propoſitione 62*, vel etiam poteſtati cuivis diſtantiarum, ut in *Propoſitione 64*. Porro varia deſcenſuum tempora inter ſe comparantur *Propoſitione 63*, in hypotheſi ſcilicet, quod exponens reſiſtentiæ ſit ſimpliciter ut diſtantia. Tandem *Propoſitio 65* generalius omnia complectitur, ſcilicet: Exiſtente vi centripeta quacunque, & medio reſiſtente ſecundum quadratum celeritatum, utcunque difformi, determinare motum corporis recta vel accedentis, vel recedentis a centro virium. Tandem vero inverſum quoque Problema ſolvitur; ſcilicet, data vis centripetæ lege, medioque reſiſtente juxta quadratum velocitatis, ſi dentur celeritates corporis, quas ex quibuscunque altitudinibus delapſum acquirit, determinare medii denſitatem, ſeu, quod idem eſt, exponentem reſiſtentiæ. *Propoſitio 69* inſervit generaliter comparandis deſcenſuum vel adſcenſuum temporibus. Ita autem habet: Si fuerit vis centripeta ut poteſtas diſtantiæ a centro, cujus exponens eſt

$= n$, & medium resistat in ratione $2m$ multiplicata celeritatum, exponens autem resistentiæ sit proportionalis potestati distantiæ a centro, cujus exponens sit $= \frac{mn + m - n}{m}$;
erunt plurium adscensuum descensuumve tempora in spatiorum totorum descriptorum ratione $\frac{1 - n}{2}$ multiplicata. Hæc quidem de *Capite quarto* indicasse sufficiat.


Caput quintum pertractat id, quod spectat motum puncti liberi curvilineum in vacuo. Hic non ea solum omnia reperias, quæ a *Newtono*, aliisque Geometris summis, sunt inventa de curvis, quæ describuntur a puncto, juxta directionem aliquam (quæ non transeat per centrum virium,) projecto, & interea a vi centripeta versus punctum fixum semper sollicitato, sed alias præterea, easque peregregias, propositiones, publice nondum cognitas. Primaria totius hujusce *Capitis* divisio hæc est, ut primo considerentur motus ii, quorum semitæ sunt in eodem plano, atque simul omnes potentiæ sollicitantes, in eodem ipso plano constitutæ. Secundo autem ii quoque motus sub examen vocantur, quorum semitæ non sunt in eodem plano cum potentiis sollicitantibus. Prima pars rursus subdividitur, ita quidem, ut primo directiones potentiarum, quæ sollicitant, ponantur inter se parallelæ, prout accidit in vi gravitatis, in nostris quidem regionibus; deinceps considerentur casus, in quibus directiones virium omnes in puncto aliquo coeunt; tandem vero potentiæ quæcunque, motusque, ex iis resultans, examini subjiciantur. In hisce singulis ita versatur Cel. Autor, primo ut proponat quæstiones directas, deinde inversas. Semper autem juxta leges bonæ methodi incipit a simplicioribus, & facillimis, gradatim procedens ad complicatiora. Igitur in *Propositione 72* & *73* definire docet semitam curvam, quam punctum describit projectum data velocitate, existente vi centripeta vel constante, vel ut functio quælibet distantiæ a recta, ad quam directiones vis centripetæ sunt normales. Deinceps *Propositione 74* idem Problema proponit, sed positis directio-


ctionibus convergentibus ad centrum virium. Quo facto, in eo eſt, ut naturam ſemitæ qualiscunque ſic deſcriptæ definire doceat æquatione inter coordinatas ad ſe invicem orthogonales. Sit in Figura adjecta C centrum virium; celeritas corporis projecti in $A, = c^{\frac{1}{2}}$, $CA = a$, perpendiculum ex C in tangentem in A demiſſum $= h$, perpendiculum CT in tangentem MB demiſſum $= p$, $CM = y$, $CP = x$, $PM = z$. Cel. Autor generaliter invenit pro curva AM, (poſita vi centripeta in $M = P$, quæ functio eſt τῆς y,) hanc æquationem: $\frac{du}{\sqrt{(1-u^2)}} = \frac{hdy\sqrt{c}}{y\sqrt{(cy^2 - cb^2 - y^2 Y)}}$; in qua æquatione eſt $u = x : y$, ſive $x = uy$, & $Y =$ integrali ipſius Pdy, quod etiam repertum fuit $= \frac{cp^2 - cb^2}{p^2}$. Jam, quoniam $y = \sqrt{(x^2 + z^2)}$, ſive $z = \sqrt{(y^2 - x^2)}$, poſt factam ſubſtitutionem ſemper habebitur æquatio differentialis inter x & z. Erit autem æquatio ad ſemitam algebraice, quoties $\frac{\int. hdy\sqrt{c}}{y\sqrt{(cy^2 - cb^2 - y^2 Y)}}$ reduci poteſt ad arcum circularem, qui ſit commenſurabilis cum $\frac{\int. du}{\sqrt{(1-uu)}}$:


TAB. II Fig. 1.


Conferantur *Commentar. Acad. Scient. Pariſ. ad A. 1710 p. m. 692.* In ſequentibus igitur, & præcipue inde a *Propoſitione 78*, formula hæc pro ſemitis vel trajectoriis corporum accommodatur ad hypotheſes diverſas, exiſtente ſcilicet vi centripeta directe ut diſtantiæ a centro, vel in ratione reciproca duplicata diſtantiarum, qui caſus maxime celebratur inter Geometras, vel adhuc in ratione reciproca triplicata earundem diſtantiarum. Atque ita Problema, quod dicebatur virium centralium inverſum, plene & fuſe ſolutum dedit Cel. Autor, cum


cum id alias jam ſolutiones nactum eſſet a Viris ſummis, *Jo. Bernoullio*, ac *Hermanno*. Etenim *Newtonus* ex contemplatione vis centripetæ trajectoriæ naturam non eruit, ſed inverſo ordine vim ex natura trajectoriæ, ut conſtat. Ceterum animadvertit Noſter, in ea hypotheſi, qua vis centripeta eſt ut cubus diſtantiæ reciproce, innumerabiles curvas algebraicas a corpore projecto deſcribi poſſe. *Propoſitio 83* ita habet: Exiſtente vi centripeta ut poteſtas diſtantiarum quæcunque, invenire caſus ſpeciales, quibus corpus certo quodam modo projectum in linea algebraica moveatur; quod cum ſolviſſet Cel. Autor, exemplis id illuſtrat. Porro notum eſt, Aſtronomos ſtatuere, quod planetæ deferantur in ellipſibus, quæ circa focum ſuum ipſæ ſint revolubiles, licet lente admodum, eo ſine, ut motus abſidum definiri poſſit. Noſter autem, ut veritatem propius aſſequatur, præter mobilitatem axeos, ellipſeos quoque ſpeciem tanquam variabilem conſiderat. Ponit autem, vim centripetam non multum diſcrepare a ratione reciproca duplicata diſtantiarum; idque agit, ut inveniat, cujusnam ellipſeos particula ſit quodlibet ſpatii elementum, quod corpus ita ſollicitatum transmittit; qua occaſione in novam aliquam de ellipſibus oſculantibus theoriam incidit, quæ ſimilitudinem aliquam habet cum theoria circulorum oſculantium. Ceterum hæc doctrina non eſt confundenda cum motu corporum in orbibus mobilibus, quem tractarunt *Newtonus* & alii. Hiſce miſſis, ad eos caſus accedit, ubi plura ſunt centra virium. Monet autem, eo in caſu duntaxat, ubi vires centripetæ ſunt ſimpliciter ut diſtantiæ reſpectivæ a centro, reductionem plurium centrorum ad unum ſuccedere, quod eſt commune eorum centrum gravitatis; in aliis non item, imo motum corporum calculo vix, re autem ipſa ne vix quidem, poſſe determinari. Hic igitur ad approximationes confugit, ad imitationem *Newtoni* in theoria lunari. In hoc negotio ita verſatur, ut ex data curva, quam corpus deſcribit, inquirat in vires centripetas, uti fecit ſummus *Newtonus*. Id autem efficit modo duplici: primo quidem, ut præter curvam deſcriptam


Fig. I.
m
M
r
T
B
A
P
C


Fig. II.
B
M
T
C
D
P
A


Fig. III.
1. 2. 3. m
Semita visa
4
5
linea verticalis
oc.
or.
Meridies


Fig. IV.
Sept.
ort. A
oc.
Discus Solis.
Merid.
Fig. V.
Sept.
ortus
7. 5 4
6
1
oc.
3 2
Discus Solis
Merid.


Fig. VI.
Sept.
B
ort.
oc.
Discus Solis
Merid.
Fig. VII.
A

ptam sumat directionem vis sollicitantis quæsitæ tanquam cognitam in singulis locis, exindeque inquirat in vim, & motum corporis; secundo autem, ut ex datis curva & motu corporis eruat vim centripetam. Deinceps ad motum corporum in orbibus mobilibus, quales adstruere Astronomos diximus, pedem promovet, ubi non ea tantum proponit, quæ de hoc argumento tradidere *Newtonus*, *Varignonius*, aliique, sed plura quoque addit, quæ cumprimis inserviunt motui lunæ, qui crucem Astronomis figit, rectius determinando, qua quidem in re strenue quoque desudavit *Newtonus*. Ut specimen aliquod habeant Lectores, unde, quid hic præstiterit Noster, cognosci possit, en *Propositionem 94*, quæ ita habet: Si moveatur corpus utcunque in curva AMB, ipsa vero curva interea revolvatur circa punctum fixum C; inveni- TAB. II Fig. 2.
re oportet duas vires, quarum altera perpetuo ad punctum fixum C, altera normaliter ad rectam positione datam PC, sit directa, quæ duæ vires efficiant, ut corpus in hac orbita mobili libere moveatur. Sit vis, corpus versus C sollicitans $= P$, vis secundum MP (quæ recta est ad PCD,) $= Q$, velocitas corporis in $M = v^{\frac{1}{2}}$, & celeritas angularis corporis in orbita ad celeritatem angularem ipsius orbitæ, dum corpus est in M, ut 1 ad $w - 1$; sit porro $CM = y$, perpendiculum $CT = p$, $MT = q = \sqrt{(y^2 - p^2)}$; $MP = Z$, $CP = x = \sqrt{(y^2 - z^2)}$; hisce positis, invenit Cel. Autor, $Q = (-wpqdv - 2wvqdp - 2vpqdw) : xydy$, atque $P = \left(qdv\,(wpz - qx)\right) : y^2xdy + \left(2vp^2\,(w^2 - 1)\right) : y^3 + \left(2vdp\,(wqz + px) + 2vpqzdw\right) : y^2xdy$. Angulus vero, quem linea absidum AB facit cum recta CP, erit $= \int . \frac{(w-1)\,pdy}{qy}$, unde ejus positio quovis tempore innotescet. Quomodo hæc applicanda sint ad motum lunæ synodicum pro quavis lineæ absidum positione, in *Scholio* paucis declaratur. Alii adhuc motus in medium afferuntur,

 qui

qui latius patere, & magis cum quæſtionibus phyſicis congruere, Noſtro dicuntur, quales ſunt motus orbitarum per quascunque curvas, manente orbita ſibi ſemper parallela. In hiſce motuum hypotheſibus vires facilius eruuntur, & ſimplicioribus formulis comprehenduntur. Quæ huc ſpectant, pertractantur in *Propoſitionibus 95 – 97*. Tandem *Caput* hocce abſolvitur *Propoſitionibus* quibusdam ingenioſiſſimis, quæ illum corporis motum reſpiciunt, qui non fit in eodem cum viribus ſollicitantibus plano. His in caſibus motus corporis ita debet conſiderari, quaſi fieret in ſuperficie aliqua convexa, ſeu concava, in eaque lineam quandam deſcriberet, eadem methodo, qua omnes ejusmodi curvæ duplicis curvaturæ determinantur, exquirendam. Porro in hoc negotio vires quævis debent ad tres alias reduci, quæ ſingulæ ſunt inter ſe normales. Earum una eſt tangentialis, reliquæ duæ normales ad eam, quarum altera directionem habet in dato plano, alterius vero directio eſt normalis ad hoc planum; harumque virium nulla reliquarum actiones immutare valet. Docet vero Cel. Autor non ſolum invenire motum corporum, hiſce viribus quomodocunque ſollicitatorum, ſed inclinationes quoque orbitarum ad planum fixum, earumque cum hoc interſectiones, & ſub finem *Capitis Propoſitionem* inſerit, cujus uſus poteſt eſſe eximius ad inclinationes nodosque planetarum inveſtigandos, & ad vim illam, qua luna ad planum eclipticæ perpetuo trahitur, a poſteriori cognoſcendam.

Caput denique *ſextum* occupatur in determinando motu puncti liberi, & quidem in medio reſiſtente. Eodem vero modo, quo *Caput* præcedens, dividitur in duas partes principes, quarum prima eos motus examinat, in quibus ſemita & vires ſollicitantes exiſtunt in eodem plano, altera eos, ubi vires & ſemita, ſeu trajectoria, exiſtunt in planis diverſis. Rurſus primo loco virium directiones ponuntur inter ſe parallelæ, ſeu ad punctum infinite diſtans convergentes, deinceps conſiderantur ut concurrentes in uno puncto, ſeu virium centro. Ex quibus facile patet, ampliſſimum hic campum

pum

pum Cel. Autori pandi rerum ſubtiliſſimarum & difficilium. Ordo ipſius tractationis idem eſt, qui *Capite quinto.* Igitur initium ſit ab eo, ut, datis potentiis abſolutis, & medii reſiſtentia, eruatur curva, ſeu ſemita, quam corpus trajecit. Id quidem efficere generaliter docetur; attamen, cum ea reſiſtentiæ hypotheſis, quæ ſequitur quadratum celeritatis corporis moti, in rerum natura primario locum habeat, eam præcipue in computum ducit Cel. Autor. Atque ſic ſolutum dedit Problema iſtud, quod Cel. *Jo. Bernoullio* propoſuerat *Keilius*, ipſe quidem ſolutionis haud compos, de trajectoria corporum projectorum in medio uniformi, quod reſiſtit in duplicata, vel, ſi mavis, in quacunque multiplicata, ratione celeritatum, cujus ſolutiones, a ſummo Viro, & a Cel. *Hermanno* quoque, datæ, comparuerunt in *Actis* noſtris *A. 1719 Menſ. Maj. pag. 216 ſeq.* & *Menſ. Aug. pag. 358 ſeq.* Quoniam denſitas aeris noſtri in diſtantiis non adeo magnis ſpectari poteſt ut uniformis, & reſiſtentia aeris pariter eſt ut quadratum celeritatis, ſequitur, ut hac ratione vera trajectoria, e. g. globi tormento exploſi, inventa ſit, quæ in vacuo eſſet parabola ordinaria, ut conſtat. Interim, quod maxime dolendum, æquatio pro vera trajectoria nimis eſt implicata, nec ad praxin commode adhiberi poteſt. Porro, quoniam *Hugenio* & *Newtono* conſideratæ ſunt ſemitæ, quas corpora in ea hypotheſi deſcribunt, qua reſiſtentia ponitur ut celeritas ſimpliciter, Noſter quoque illud Problema expedit. Ceterum hypotheſis pure eſt mathematica, nec ullus ipſi in rerum natura locus. Quo facto, progreditur ad Problemata quædam inverſa, quibus determinat reſiſtentiam, qua efficitur, ut corpus in hypotheſi vis uniformis & deorſum tendentis datam curvam deſcribat, qua in re jam olim occupati fuerunt *Newtonus*, & *Jo. Bernoullius* in his *Actis A. 1713 Menſ. Febr. pag. 77 ſeq.* Theoriam autem applicat maxime ad circulum & hyperbolam, cum eæ curvæ a dictis Geometris maxime fuerint examini ſubjectæ. Miſſa deinceps potentiæ uniformis hypotheſi, progreditur ad vires variabiles, quarum tamen directiones ſemper ſibi ſint parallelæ. In eo itaque eſt, ut, data potentia abſoluta utcunque

 varia-

variabili, inveſtiget legem reſiſtentiæ, requiſitam ad hoc, ut corpus in data curva moveatur; vel etiam, data curva, & reſiſtentia, inquirat in legem potentiæ ſollicitantis. Cum hoc Problema ad reſiſtentiæ hypotheſin juxta quadratum celeritatis applicaret, reperit, ſi in aere projiciatur ingenti vi globus valde gravis, pro projectoria ſeu ſemita hujusce corporis, vero quam proxime, aſſumi poſſe curvam, cujus æquatio algebraica hanc habet formam: $y = ax - \frac{g(1+a^2)x^2}{4b} - \frac{g(1+a^2)^{\frac{3}{2}}x^3}{12bc}$, ex qua deinceps omnia deduxit, quæ ad jactus ſpectant, ubi cumprimis notari debet, angulum inclinationis pro jactu longiſſimo non prorſus inveniri ſemirectum, ut in hypotheſi vacui, ſed aliquanto minorem. Hiſce expeditis, Cel. Autor ad eam hypotheſin progreditur, ubi directiones virium ſollicitantium non amplius ſibi ſunt parallelæ, ſed in centro aliquo concurrunt, & plura Problemata ſolvit, eo pertinentia. E. g. *Propoſitio 121* eſt hæc: Poſita vi centripeta, ut poteſtas quæcunque diſtantiarum a centro, & corpore moto in medio uniformi, quod reſiſtat in ratione duplicata celeritatum; determinare curvam, a corpore deſcriptam, motumque corporis in ea. In *Propoſitione 123* & *124* ex data curva, & reſiſtentiæ lege, inveſtigatur vis centripeta. Inprimis *pag. 448 — 450* leges virium exponuntur, ad id requiſitæ, ut corpus moveatur in ſpirali logarithmica in medio quocunque *reſiſtente*. Deinceps quoque ex data curva & lege reſiſtentiæ inquiritur in reſiſtentiam; item *Propoſitione 126* ex data curva, & velocitati angulari corporis circa centrum virium, invenire vim centripetam & reſiſtentiam in ſingulis locis. Plura vero centra virium in hoc *Capite* non conſiderantur, cum in vacuo quoque vix quidquam pro eo caſu ad motum determinandum deduci potuerit. Loco vero hujus in *Propoſitione 128* proponitur caſus latiſſime patens, in quo omnes motus,

qui

qui fiunt in eodem plano, comprehenduntur. Cum ſcilicet potentiæ quævis, in eodem plano diſpoſitæ, reſolvi poſſint in duas alias, quarum directiones ſibi invicem ſint normales, ſolvitur Problema ſequens: Si corpus a duabus viribus ſollicitatur, quarum directiones ſint ad ſe invicem rectæ, determinare curvam, quam corpus in medio quocunque reſiſtente ab his potentiis ſollicitatum deſcribet. Hac occaſione adhuc eximia quædam Noſtro obſervata ſunt, circa vires centripetas in vacuo, quæ quidem in præcedentibus difficulter patuiſſent. Tandem a *Propoſitione 130* usque ad finem *Capitis* examinantur motus a potentiis non in eodem plano factis, & quidem in medio reſiſtente. Quæ quidem materia quam ſit abſtruſæ indaginis, cuilibet patebit intelligenti. Hic vero nos ſubſiſtimus; quis enim ſingula attingat, aut enumeret, tanta rerum pulcherrimarum copia obrutus? Ceterum, quæ de *Tomo* Operis *ſecundo* dicenda nobis erunt, inſerentur *Menſi* proximo.

THE MODERN THEORY AND PRACTICE of Phyſik, &c.

h. e.

NOSTRI TEMPORIS THEORIA ET PRAXIS medica, qua antecedentes morborum cauſæ, cum ſolennium ſymptomatum, quæ his accidunt, ortu, & vera curandi methodus, explicantur ſecundum præſtabilitas naturæ & animalis œconomiæ leges, cum Chimica urinæ analyſi, & ſtatico ſanguinis examine, per omnes ſtatus morborum, in quibus ſanguis ſecure evacuari potuit; Autore BROWNE LANGRISH, Medicorum Londinenſium Collega, & Regiæ Societatis Socio.

Londini, typis A. Pettesworth & C. Hitch, 1735, 8.
Alph. 1 plag. 2.

Febrium hiſtoriam recenſet elegans libellus, eamque juxta hodiernam demonſtrandi methodum exequitur. A febribus

 acutis

acutis continuis dicendi fit initium, quarum ortus & progressus judicatur ad normam axiomatum, quæ pro declaratis habentur ab omnibus. Supponitur, corpus animale esse machinam, variæ directionis vasorum compage constructam, cujus errores vel a materia læsa, vel a motu vitiato, fiunt. Caussæ morbificæ vel texturam & figuram fluidorum, vel tonum partium solidarum, intendendo vel relaxando, invertunt, & suæ existentiæ vel effectus signa diagnostica exhibent. Tales febrium acutarum caussæ ex remotioribus sunt aer temporumque anni mutationes, neque saltem sua temperie, sed & heterogenearum partium luxurie, corporibus athmosphæricis nocet aer. Qui effectus si in barometris, thermometri, hygroscopis, clarus est, cur tubos chordasque corporum viventium intactas relinqueret? Acutas hinc febres æstatis sicca temperie oriri, & *Hippocrates* testatur, & quotidiana loquitur experientia. Perniciosa illa aeris temperies est, dum fibras corporum crispat, humoresque hoc ipso subigit, hinc eosdem inspissat & extenuat. Calor sanguinis naturalis nonaginta gradus æquat, adeoque, si hunc superaverit calor externus, cum corruptione humorum id sine dubio fieri debet. Frigidissima aeris conditio non leviores turbas movet, transspirationem insensibilem sufflaminando, & coagulum inducendo humoribus, unde febrium caussa, & frigus, esse solet. Nec venti generi humano parcunt, sed aerem variis teneris effluviis gravem appellunt corporibus, quorum cutis sat patula est, quo aliquid ex sulphureis aeris particulis subire, & morbificam vim inferre, possit. Aqua inter caussas febrium proximum agnoscit locum, cujus puritatis gradus a specifica ejus gravitate metiri solemus. Hinc, nisi levissima fuerit, pellucida, insipida, & inodora, si vitium passa fuerit a putredine, effluviis terrestribus, sanguinis massam miris perturbationibus movet. Tertia externarum febris caussarum allegatur cibi potusque intemperantia. Ex omnibus autem cibis, pravo selectu appetitis, illi febres maxime alunt, qui acidis, alcalinis, viscidisque cruditatibus occasionem præbent. Animales cibi potissimum sanguinem inflammabili sui parte com-

complent, & ad igneos motus diſponunt. Hinc inſtinctu quodam carnes ſalibus acidoque ſucco quodam vegetabili corrigimus figimusque. Multo magis nocent pocula & ebrietas. Motus corporis, ſi modum exceſſerit, humores ad violentos motus excitat, ſicut & ſolennium evacuationum errores id ipſum perficere ſolent. Symptomota febrium acutarum recenſentur ad menſuram proportionis inter ſolida & fluida læſæ. Quem in finem recenſentur experimenta, quibus cognitum fuit, quantum lymphæ in definita parte quadam animali inſit. Febres, calore aucto, fermentatitios ſanguinis motus augent, & humorum ſalia, quæ ſui generis & neutra ſecundum naturam eſſe debent, alcalino ſtatui propius admovent. Unde, perdurante æſtu ſanguinis, fluiditas in oppoſitum conſiſtentiæ vel lentoris ſtatum tranſit. Operoſus fuit Cl. Autor in inſtituendo ſanguinis examine, quemcunque in diverſo morbi ſtatu ſecure obtinere ſecta vena potuit. Iſtius ſanguinis ſerum & cruorem ſeorſim bilance æſtimavit; cohæſionem globulorum in ſanguine definivit tubo, in quo gradus denotati fuerunt, cui infuſum ſanguinis craſſamentum, prout ſubſidebat plus vel minus, deſignabat, quo gradus ejus eſſet cohæſio. Hinc in Tabulam conjecit ægri ætatem, diem morbi, ſymptomata, quantitatem ſanguinis evacuati, ſeri quantitatem, ſeri ſaporem & colorem, colorem & conſiſtentiam ſedimenti, quo die criſis facta fuerit:

Ætas.	Dies morbi.	Symptomata.	Sanguis.	Serum.	Color & Sapor Seri.	Col. & Conſiſtent. craſſamenti.	Criſis & Criſeos dies.
Vir An. 45.	2 d.	Calor, ſitis, vomitus, cephalalgia, urina limpida.	℥xIII,	℥iij ʒiij ℈j	Luteus, ſubſalſus.	Floridus, ſublividus, cohæſionis grad. 34.	Septimo die urina turbida & ſudoribus.
Mulier An. 32.	3	Pulſus magnus, cephalalgia, delirium.	℥xIv, ʒj	℥iij ʒv ℈ij	Inſipidus pallido colore.	Perquam floridus, cohæſionis 26 grad.	Nono die copioſo ſudore, & urina turbida.
Puer An. 10.	4	Pulſus celer, plenus, lingua fuſca, in ambitu alba, urina colorata.	℥vj ʒij gr. xII.	℥j ʒiij ℈j.	Color flammeus, ſapor ſalſuginoſus.	Vivus color, cohæſionis grad. 23.	Octavo & nono die ſudoribus, urina, & dejectionibus alvinis.

Cura

Cura febrium absolvitur tum aliis nobilissimis remediis, tum sanguinis evacuationibus. Examinatur potissimum venæ jugularis sectio, cujus & antiquitatem & securitatem jam demonstravit *Freindius*, & argumentis evicit, nullo alio remedio efficacius revelli abundantem in cerebro ejusdemque membranis sanguinem, quam isthac venæ sectione, unde in deliriis magno semper fuit auxilio. Febrium intermittentium historia eodem modo recensetur. Causarum antecedentium series constituitur secundum tabulam sex rerum non naturalium. Symptomata, vomitus, difficilis respiratio, sitis, pervigilium, delirium, recensentur & examinantur, &, quid intermittentes cum continuis quandoque commune habeant, exponitur, sanguis descripta methodo in tabulam conjicitur, cura adornatur, quæ, præter alia consueta, absolvi dicitur vesicatoriis. Corticis Peruviani usus cum cautela administratur, evacuantia cum alterantibus permutantur. Hecticæ febris ultimo loco examen instituitur. Hujus causæ procatarcticæ allegantur evacuationes solennes auctæ, sudores, hæmorrhagiæ, ulcera partium vitalium. Hinc phthisici vel tabe consumti potissimum dicuntur illi, qui ulcerum in pulmonibus labe tacti sunt. Commendantur post plura alia aquæ chalybeatæ. Distinguuntur ab hecticis malignæ, quas nervosas per Angliam Medici appellare solent. Harum causæ, symptomata, cura, eadem, qua cetera omnia, felicitate traduntur.

ESSAY PHYSIQUE SUR L'OECONOMIE animale, &c.

h. e.

TENTAMEN PHYSICUM DE OECONOMIA animali, Autore FRANCISCO QUESNAIO, Magistro Artis, Chirurgo in S. Cosmæ Nosocomio, Collega Academiæ Artium, atque item Academiæ Scientiarum & meliorum literarum Lugdunensis, Ducis de Villa regali Chirurgo.

Parisiis,

Parisiis, apud Guilielmum Cavalierum, 1736, 12.
Plag. 17.

Breviter quidem, sed concinne admodum & bono ordine, do ctissimus Autor doctrinam de oeconomia animali exposuit. Et, quamvis methodum eam sit secutus, quæ alias in *Galenicorum* Medicorum institutionibus observatur, non tamen, ipsorum more, de iis rebus, quæ ad corpus humanum pertinent, disputavit, atque obsoleta placita repetiit, sed, quicquid novissimis temporibus præclare inventum, & publice propositum, a Physiologis fuit, id omne usibus suis egregie accommodavit. In *tria* summa *Capita* libellum divisit, quorum *primum* de elementis, *alterum* de humoribus, *tertium* de partibus solidis, agit. *Capite primo*, elementorum nomen, præ aliis rebus quibuslibet, quatuor illis elementis, ab *Aristotele* definitis, tribuendum, iisdem vero oleum & sal addenda esse, contendit, ut adeo sex elementa numeret, ex iisque duo activa, aerem & ignem, & quatuor passiva, aquam, terram, oleum, & sal. Motus vero præcipuos, quibus elementa hæc in corporibus mixtis inter se agunt, quinque recenset, motum scilicet caloris, electricitatis, vasorum, fermentationis, & putrefactionis. Quo quidem loco per electricitatem, sive vim electricam, intelligit eam ipsorum indolem, qua particulæ elementi cujusdam cum particulis alterius cujusdam elementi lubentissime, & quasi selectu quodam habito, non itidem vero cum reliquorum elementorum particulis, unire se & conjungere conantur; quemadmodum id videmus in sale lixivioso, e cineribus extracto, quod semper attrahere videtur particulas aereas, in eodem conclavi per aerem dispersas. Postea singulorum sex elementorum naturam, proprietates, attributa, effectus, & quæ porro ad ea explicanda pertinere videbantur, fusius persequitur. *Alterum Caput*, quo naturam humorum corporis humani exponere constituit, doctrina de digestione exorditur, posthæc in lac & chylum inquirit, humores, ex quibus universa sanguinis massa constat, sub examen revocat, illosque in succos albuminosos,

pinguedinem, ſuccos gelatinoſos, ſuccos bilioſos, & humorem aquoſum, dividit, eosdem vero ſatis commode ad quatuor illos veterum humores reduci poſſe exiſtimat. Hos propterea nunc ſeorſim excutit, & de ſanguine ſtrictim ita dicto, de humore bilioſo, melancholico, & pituitoſo, agit. Porro lympham utriusque generis fibroſam & globuloſam, ut a *Bœrhaavio* vocatur, & denique ſuccum nutritium, perquirit. Hinc & quantitatem talium humorum in ratione ad partes ſolidas ad calculum revocat, eosque circiter $\frac{1}{8}$ maſſæ corporis efficere contendit. Ad extremum de recrementis atque excrementis diſſerit. *Capite tertio* partium ſolidarum ſtructuram ab initio ſiſtit, & non ſolum vaſa ſanguinea, ut arterias, venas, & fibras ſanguineas, verum etiam vaſa exſanguia, ut vaſa chyloſa, lymphatica, nervos, vaſa ſecretoria, & excretoria, pertractat. Ab his ad principium vitale progreditur, illudque cum de tono & elatere fibrarum, tum de ſpirituum animalium impulſu, explicat. Quibus vero functionibus partes ſolidæ deſtinentur, poſthæc disquirit, maxime tamen ſanguinis circulum, ſecretiones, atque nutritionem, explanans. Denique in deſcribendis & diſcernendis temperamentis varii generis, ſimplicibus æque, ac vario modo mixtis, multum diligenterque laborat; quæ diſcrimina utinam ſemper tam accurate ad corpus humanum applicare liceret! Fuit hæc ſumma libelli, quo omnem œconomiæ animalis ambitum comprehendi, doctiſſimus Autor ſibi perſuaſit In calce ejus ſermo de theoria atque praxi medica acceſſit.

ANONYMI MERCURIUS IN SOLE OBSERVAtus e Specula Aſtronomica Collegii Academici Societatis Jeſu Viennæ Auſtriæ d. 11 Novembris Anni 1736.

Ordo

Ordo observationum.	*Tempus verum.* H.	M.	S.	*OBSERVATIONES.*	*Altitudines & distantiæ visæ.* G.	M.	S.
	22	29	19	Ingressus notabilis ☿ in discum ☉.			
		30	58	Totus in ☉ conspicitur.			
1		48	1	Altitudo Limbi sup. ☉.	22	35	0
				Alt. ☿.	22	26	13
	23	6	42	Distantia ☿ a proximo Limbo ☉.		1	28
		9	28	Eadem.		1	32
2		16	36	Alt. Limb. sup. ☉.	23	47	0
				Alt. ☿.	23	40	38
		19	37	Dist. ☿ a Limbo ☉.		1	56
3		26	54	Alt. Limb. sup. ☉.	24	6	0
				Alt. ☿.	24	0	29
		31	42	Dist. ☿ a Limb. ☉.		2	10
		54	54	Eadem.		2	25
		58	51	Limbus occidentalis ☉ culminat.			
				Alt. Limb. sup. ☉.	24	28	52
4	0	0	19	☿ culminat.	24	25	44
		11	5	Dist. ☿ a Limb. ☉.		2	18
		30	49	Eadem.		1	41
5		35	25	Alt. Limb. sup. ☉.	24	1	0
				Alt. ☿.	23	59	25
				Dist. ☿ a Limbo proximo, qui fuit superior.		1	35
		48	59	Dist. ☿ a Limb. ☉.		1	10
	1	5	0	☿ postremum trans nebulas conspicuus.			
		14	15	Aliquæ maculæ solares apparebant sine ☿.			
		18	0	Maculæ Solares clare visæ; nullum tamen vestigium.			

Schema Mercurii in Sole visi *Tabulæ II*, huic *Mensi* additæ, *Figura 3* exhibet. TAB. II Fig. 3.

EJUSDEM TRANSITUS LUNÆ SUPRA γ♉, SEU PRIMAM sucularum in naribus Tauri, Viennæ observatus nocte sequente diem 18 Novembris A. 1736.

Ordo obſervationum.	*Tempus verum.* H.	M.	S.	*OBSERVATIONES.*	*Altitudines & diſtantiæ viſæ.* G.	M.	S.
1	11	24	1	Diſtantia ſtellæ γ ♉ a proximo Limbo ☽.		46	22
		41	36	Altitudo Limbi inferioris ☽.	55	52	57
				In linea perpendiculari fuerunt Manilius, & Ariſtoteles.			
				Alt. * γ ♉.	55	30	0
		51	43	Eadem.	56	0	0
		52	36	Alt. Limb. inf. ☽.	56	22	57
				Alt. * γ ♉.	56	2	10
2	12	4	36	Diſt. * γ ♉ a Limbo ☽.		35	57
3		18	31	Eadem.		32	32
		23	11	Limbus occidentalis ☽ culminat.			
				In linea perpendiculari fuerunt Promontorium acutum, & Poſſidonius.			
				Diameter ☽ apparens.		30	52
				Alt. Limbi inferioris ☽.	27	0	55
				Diſt. Tychonis } a limbo proximo ☽.		3	43
				Procli		3	27
				Platonis		4	41
		26	37	* γ ♉ culminat.	56	44	54
		42	34	Aldebaran culminat.	57	44	39
4	13	14	55	Diſt. * γ ♉ a Limb. ☽.		23	25
	14	30	56	— — —		27	55
6		35	8	— — —		28	47
7		40	58	— — —		30	2
8		44	57	— — —		30	48
9		52	10	— — —		32	32
	15	24	29	Alt. Limb. infer. ☽.	41	17	22
				In linea perpendiculari fuerunt Langrenus, & Ariſtillus.			
				Alt. * γ ♉.	40	36	35
				Diſt. * γ ♉ a proximo Limb. ☽ qui fuit inferior.		40	47

Ad

Ad Observationes adhibiti sunt tubi 6 & 12 pedum. Quadrantis radius est 4 pedum. Semita ☿ tam micrometro, quam camera obscura, inventa est.

EJUSDEM MERCURIUS TRANSIENS PER discum Solis, in eoque culminans, Viennæ, die 11 Novembris A. 1736.

Insignis hujus rarique Phænomeni tres solummodo phases hic apponuntur, singulæ præ reliquis magis idoneæ ad usum Geographicum & Astronomicum: nimirum

Mercurii { Apparens appulsus ad discum, Culminatio in transitu per discum, Egressus a disco, } *Solis.* TAB. II Fig. 4.

Sol quidem tenui caligine obductus erat, & quandoque nubeculis: sat clare tamen conspicuus.

Temp. ver. a. m. h.	′	″		
10.	29.	7.	☿ apparere incipit, locus ejus visus in A. instar foveolæ vel crenæ, Limbo Solis incisæ.	*tubo ped. 8 & ped. 6, nec non catadioptr. ped. 3.*

	G.	′	″
Declinatio ☿ a Limbo Solis Australi.		26 :	30
Distantia a Limbo subsequente orientali.		5′ :	52
Altitudo visa quadrante ped. 7.	21° :	20′	
Solis Limb. infer.	21° :	—′	

31 — ☿ totus in disco Solis instar maculæ nigrioris aliis, quæ aderant, oblongæ, deinde paulo post rotundæ.

Additum est Schema in *Tabula II Fig. 5.* TAB. II Fig. 5.

Quadrante fixo, cujus radius pedum 9.

Temp. ver. a. m.						*Alt. vis.*	*Grad.*	′	″	
h.	′	″								
11.	58.	51.	Limb. Solis praeced. ad Meridianum			—	24.	29.		*Limb. sup.*
	59.	1.	Macula prima	—		—	24.	12.		
	59.	33.	secunda	—		—	24.	7.		
	59.	55.	tertia	—		—	24.	6.		
p. m.	0.	18.	quarta	—		—	24.	16.		
	0.	19.	☿ culminans in C	—		—	24.	26.		
	0.	35.	Macula quinta	—		—	24.	17.		
	0.	56.	sexta	—		—	24.	13.		
	1.	5.	septima	—		—	24.	15.	30.	
	1.	9.	Limb. Solis sequens	—		—	24.	56.	30.	*Limb. inf.*

Distantia Mercurii culmin. a centro Solis 13. 46.
Diameter aestimari potuit 15.

TAB. II Fig. 6.

Mercurius paulo ante suum egressum occultatur a nubibus, quibus rarescentibus, iterum apparet, exilis tamen & vix conspicuus. Vid. *Tab. II Fig. 6.*

1.	10.	4.	☿ ad Limb. ✡ Boreal. in B.
			Altitudo ☿ Gr. 22. 31.
			✡ *Limb. super.* 22. 32.
	11.	11.	Egressus ☿ a disco ✡
	13.	5.	Prorsus evanescit.

	H.		
Duratio transitus ab ingressu ad culminationem	1.	31.	12.
a culminatione ad egressum	1.	12.	46.
integra duratio	2.	43.	58.

DEGLI ANTICHI TEATRI E ANFITEATRI
Lettere due critiche, &c.
h. e.

DE ANTIQUORUM THEATRIS ET AMphitheatris Epistolae duae criticae, altera Marchio-

chionis ***JOANNIS POLENII****, publici in Academia Patavina Professoris Mathematum, altera Comitis* ***JOANNIS MONTENARI.***

Vicentiæ, sine mentione Typographi, 1735. 8. Plag. 3.

Cel. *Polenius* in Epistola ad Nobilem Venetum, *Ludovicum Sale*, controversas quasdam, & Virum Illustrissimum, *Joannem Montenari*, spectantes, quæstiones, de forma & architectura antiquorum Amphitheatrorum, agitat. Occasionem controvertendi dederat eruditus *Andreæ Palladii* de Theatro Olympico liber, Vicentiæ, cura Ill. *Montenari*, editus. Impugnat doctissimus Editor propositionem: *Theatra antiqua, lapidibus structa, circularis circumquaque fuerunt formæ.* Ut negaret circularem Theatrorum formam, inductus eo inprimis fuit, quod Theatri & Amphitheatri nomina promiscue usurpata fuerint ab antiquis. Provocat ad locum *Plinii Lib. XXXVI Cap. 13*, quo Amphitheatrum *Pompejanum* Theatrum fuisse asseritur. Suspectam habet lectionem *Polenius*, & ex Codice MSto omissam *Pompejani Amphitheatri* dictionem adducit, id quod duobus retro Seculis jam a *Philandro*, *Vitruvii* editore, animadversum fuisse allegatur. Ex *Dione Cassio* Ill. *Montenari* porro, Theatrum & Amphitheatrum fuisse unum idemque, asserit, allegante, *Cæsarem* venatorium theatrum ligno exstruxisse, quod etiam Amphitheatrum nominatum fuerit, eo quod sedilia circumquaque fuerint sine scena. Regerit Cel. *Polenius*, locum non pugnare contra Theatrorum & Amphitheatrorum diversitatem, quandoquidem non simpliciter dicatur in allegato loco de theatro, sed de theatro venatorio, quod longe aliam a consuetis fabricam habere potuerit. Ill. *Montenari* theatris semicircularem saltem figuram largitur, qua orchestram respiciebat, sed rectilineam, qua scenam & pulpitum. Provocat ad *Vitruvium*, cujus magna sit in rebus architectonicis autoritas; sed negat *Polenius*, *Vitruvium* de semicircu-

lari

lari forma locutum esse. Adducuntur testimonia principum in Architectura antiqua Virorum, *Baptistæ Alberti* de re ædificatoria *Lib. VIII*, quo, itidemque *Philandro*, annotante, non nisi quarta totius cycli, qui theatrum dimetiebatur, pars linea recta præscissa fuit. Hinc tertia enasci videtur sententia, nec circularem, nec semicircularem, sed inter utramque mediam, fuisse Theatrorum vel Amphitheatrorum formam. III. Comes *Montenari* ad objectiones respondet literis, ad *Jacobum Fabium Tiene* datis, negans, sibi Theatrum & Amphitheatrum esse unum idemque, si specialius titulum accipias; sed, in genere theatrum ἀπὸ τȣ̃ θεάειν, a circumspiciendo, esse, omnem locum, amphitheatrum, circum, naumachium, aliudve spectaculum, ex quo populus ludos adspicit, affirmans. Adhæc, sicut largitur, ab epithetis adjunctis, *venatorii*, *circularis*, *habentis sedilia ab omni parte*, demum theatri specialem indolem perspici, clariusque intelligi posse, ita, quod figuram theatrorum circularem vel semicircularem attinet, in sententia permanet, alia, quam qua penes *Vitruvium* descripta habentur, figura non exstitisse theatra. Ast, cum ex omnibus dictis *Vitruvii* de circulari perfecta eorundem structura nihil clare intelligi possit, quin de rectis lineis, circulum aliqua sui parte secantibus, diserte agatur, nondum discedit a sententia, & autoritates, a *Polenio* adductas, recentium, antiqua theatra depingentium, suspectas habet, nec ab ipso datum admittit, cum in isto nec porticus, nec chorus, nec scena, nec alia loca, collocari potuerint. Amica hæc est, & tantis viris digna, disceptatio, ita plane comparata, ut magnum inde & rei literariæ commodum, & eruditorum per Italiam famæ augmentum, accedat.

TAB. II Fig. 7.

Memores promissi nostri, in Præfatione ad Actorum *nostrorum* Annum 1737 *dati*, Mensis hujus Partes *faciemus* duas, *ita duplo majorem, quam alias consuevimus, librorum numerum uno* Mense *complexuri. Eundem nos modum, prospiciendi bonis literis, & Lectorum desiderium explendi, in posterum tenebimus, effecturi hac ratione, ut, quæ satis per se bona sunt, studioque nostro digna, ipsa etiam, quam olim parum nos curare videbamur, placere novitate possint.*

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Martii Anno MDCCXXXVIII.
Pars II.

SUPERSTITIONS ANCIENNES ET MOdernes, &c.
h. e.
SUPERSTITIONES ANTIQUÆ ET HOdiernæ, sive præjudicatæ vulgi opiniones, quæ induxerunt populos ad actus & consuetudines religioni adversas.

Tomus I.

Amstelodami, apud Jo. Frid. Bernard, 1733, fol.
Alph. 4 plag. 5, Tabb. æn. 7.

Priori hoc *Tomo* comprehensi dantur duo libri, qui olim amatores invenerunt. *Jo. Bapt. Thiersii* de Superstitionibus liber, qui prodierat Parisiis A. 1679, recusus in eadem urbe A. 1697, innumeram prope multitudinem superstitionum popularium recenset, profanarum inprimis & gentilium, quas deinde graviter reprehendit. Posteriori editioni addiderat etiam superstitiosos ritus circa sacramenta & cerimonias ecclesiæ: quem libellum, si hoc Opus lectores inveniat, & ipsum luci redditurum se, promittit Editor. Alteram hujus Operis partem facit *Petri le Brun* Historia critica actuum superstitiosorum, qui errores populis, difficultates eruditis, objecerunt, edita primum A. 1702 Rothomagi, (quanquam Parisios titulus habet,) ac nuper admodum A. 1732 Parisiis recusa, ita quidem

aucta, ut pæne nova possit videri, adjectis Opusculis etiam aliis, ad eandem quæstionem pertinentibus. Cum in *Thiersii* libro plane nihil mutatum sit, de hoc inprimis, quæ accesserint nimirum, videbimus. In fronte habetur elogium Autoris, unde summa capita decerpemus. Natus est *Petrus le Brun* Brignolii (*à Brignolle*), quæ urbs est dioeceseos Aquisextiensis d. 11 Jun. A. 1661. Congregationem Oratorii ingressus A. 1678, Theologiæ operam dedit Massiliæ ac Tolosæ, Philosophiam docuit apud Telonem Martium, tum Gratianopoli. Ab anno autem inde 1690 ad finem usque vitæ vixit in Seminario S. *Maglorii* Parisiensi. Historiæ præsertim ecclesiasticæ studio fuit deditissimus, doctores in ea re secutus R. R. P. P. *Thomassinum* & *Bordium*. Jam A. 1689 nata est occasio libro, cujus novam editionem indicamus, consulente Autorem nostrum Cardinale *Camusio*, Gratianopolitano Episcopo, de consuetudine per Delphinatum recepta, aquas, metalla, mineralia, terminales lapides, furta, fures, &c. investigandi ope virgulæ bifurcæ, quæ versus ea, quæ nominavimus, inclinari dicitur. Hinc Epistolæ aliquot natæ ipsi & *Mallebranchio*, quicum ea de re disputabat. Accessit nobile illud *Jacobi Aymari* factum, qui A. 1692 illa ipsa virgulæ inclinatione & flexu detexisse dicebatur fures & homicidas quosdam, eaque re campum disputationibus Philosophorum Theologorumque aperuerat. Hic scripsit *Brunus* noster *errores Philosophorum circa virgulam divinatoriam* (*illusions des Philosophes sur la baguette*), docuitque contra *Vallemontium*, & quos ille Autores habebat, flexum illum atque inclinationem non esse a legibus illis, quibus communicatur motus, sed vel hominum fraude, vel mali arte dæmonis, effici, ita tamen, ut ad posterius illud aliquantum propensior esse videretur; qua in re ipsum confirmavit, quod in duabus virginibus observaverat. Hæ cum tractassent aliquamdiu cum admirabili successu hanc rhabdomantiam, ipso autore precibus solennibus a Deo petierunt, ut, si dæmoniacum opus esset motus ille versatioque virgulæ, tum illam suo nutu atque numine impediret: atque post illas preces periculo artis,

quam

quam alias callebant, facto, nihil ſibi reſpondere obſervarunt. Quod utrum argumentum exceptione majus ſit, unde appareat, partes in illa fabula malorum geniorum eſſe, alii viderint. Quæ per hanc occaſionem ſcripta a *Bruno* & ab aliis ſint, copioſe hic refertur, itemque quæ de *fabularum ſcenicarum hiſtoria, & eccleſiæ de iis judicio*, tum A. 1694, tum 1731, *Bruno* Autore edita, & ab aliis impugnata ſunt. Quod Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſum fuiſſe diximus, ad illud etiam pertinet, quod A. 1700 edidit *Tentamen conciliandorum temporum* (*Eſſai de la concordance des temps*), ſed intra tentamen illud, magno licet applauſu exceptum, res ſubſtitit, cum oculorum imbecillitas virum ab id genus labore, qui in numeris & rationibus chronologicis totus verſaretur, revocaret. Farraginem obſervationum, ſilvam futuri operis, cum teſtamento legaſſet Viro eccleſiaſtico, in alias inde manus ea pervenit. Ab anno inde 1714 magno ſtudio, nec minore felicitate, cum adjuvaret ipſum gratia, qua florebat apud regios externarum rerum adminiſtros, collegit ex omnibus Chriſtiani orbis partibus magnam vim Liturgiarum & obſervationum, ad eam rem pertinentium: de quibus cum *Volumina X* edere conſtituiſſet, non niſi *quatuor* dare, morte præventus, potuit. Materiem operis cum legaverit ſuis ad S. *Maglorium* ſodalibus, ſpes eſt, præclarum Opus continuatum iri, cujus hiſtoria, & exortæ circa illud diſputationes, ſatis illæ quidem acres, in hoc elogio *Bruni* noſtri explicantur, quibus immortuus eſt Vir doctus, honeſtus, modeſtus idem, & amicis jucundus pariter ac fidelis, d. 6 Jan. A. 1729, relictis multis induſtriæ ſuæ monumentis, quæ luci publicæ præparabat, in quibus ſunt Diſſertatiunculæ de rebus hiſtoricis & chronologicis complures, judicio acri conſcriptæ: itemque in illud, quod *Formularium* vocant, Commentarius plane egregius, & ſummo ſtudio elaboratus, in quo conciliare inprimis, ſalva tamen eccleſiæ autoritate, ſtudet, quæ pugnare inter ſe videntur. Sed redimus ad Operis, quod annuntiamus, rationem. Cum illud, uti diximus, A. 1702 prodiiſſet, magno eruditiſſimarum ſocietatum & hominum plauſu ex-

ceptum eſt, quorum pluſcula elogia in ipſa fronte libri poſita ſunt. Ea res movit Autorem, ut amplificatum quibusdam rebus edere conſtituerit. Novæ itaque editionis liber primus agit de diſcernendis naturalibus effectibus ab his, qui non ſunt naturales. Illud primum difficile eſſe oſtendit, cum veteres Philoſophi vel Phyſicam cum religione miſcuerint, vel corporis & ſpiritus diſtinctionem parum intellexerint. Alii magnam omnis generis hiſtoriarum vim congeſſere, parum ſolliciti, utrum probari poſſent, nec ne. Itaque nihil novi eſt, ab aliis proferri fabulas, ab aliis, quod nusquam factum eſt, neque fieri forte poteſt, quomodo factum ſit, ambitioſe demonſtrari. Hic ſilvam ejusmodi errorum proponit *Brunus*, in quibus origines ipſas perſequitur, tum principia indicat neceſſaria, quibus uſus aliquis, naturales effectus ab his, qui naturales non ſunt, diſcernere poſſit. Sed non iſta ſola diſputatione auctior eſt liber *Bruni* noſtri. Acceſſit, præter alia, hinc inde adjecta, hiſtoria critica ſuperſtitioſorum rituum atque actionum, quibus S. *Hubertum* proſequuntur quidam, quarumque beneficio a furoris morbo ſe tutos putant: qua occaſione, præter alia ſcitu jucunda, etiam hiſtoria Equitum S. *Huberti* inſeritur. Tribuitur vulgo his Equitibus cœleſte munus ſanandi eos, qui a canibus rabioſis morſi fuerint. Sed non minus illud in dubium revocat *Brunus*, quam Regum Angliæ facultatem ſtrumas tactu ſanandi, cum contra Gallicorum Regum illa virtus ipſa antiquitate venerabilior ſit. Plura etiam additurus fuerat libro ſuo *Brunus*, niſi impedimenta quædam, & mors denique ipſa, conatus egregios intercepiſſent. Repertus eſt in ſcriniis ipſius juſtus de Sortilegio liber, itemque *Beckeriani* Mundi faſcinati refutatio perpetua, ac de cognoſcendæ veritatis variis remediis (intellige, ſuperſtitioſis): quorum omnium proferendorum ſpem aliquam oſtendit, qui Pariſienſem editionem procuravit. Ne quid deeſſet Operi huic, additæ ſunt etiam tum Autoris ipſius, tum aliorum Diſſertationes, Epiſtolæ, Commentariola, ad argumentum hoc pertinentia. Illud quidem de toto Opere confirmare nihil dubitamus, eſſe in illo plurima curioſitate hominum digniſſima, quæque haud paulo utiliorem

rem

rem animi oblectandi & fallendi otii materiem suppeditare, quam canoræ quædam nugæ, quibus onerantur bibliopolia, possint. Finimus in considerata, ut nobis videtur, & vera Academiæ regiæ Scientiarum de *Bruni* libro sententia, qua statuit, actus in illo reprehensos aut meras esse hominum imposturas, aut ad naturales rationes referri non posse, *siquidem facta ipsa, quæ narrantur, vera sint, de quibus quidem cognoscere* ut ipsa Academia *suum esse negat*, ita multo minus nos possumus.

ANNALI SACRI DELLA CITTÀ DI COMO, &c.

h. e.

ANNALES SACRI CIVITATIS COMI, CONSCRIPTI a PRIMO LUDOVICO TATTI, Clerico Regulari Congregationis Somascensis; distributi in Decades tres, quarum ultimam recognovit, ad examen revocavit, correxit, & variis Observationibus, nec non Indice copioso, locupletavit, JOSEPH. MARIA STAMPA, ejusdem Congregationis Sacerdos.

Tomi III.

Tom. I Comi, apud hæredes Nic. Caprani, 1663, Alph. 5 plag. 18, Tom. II Mediolani, apud Jo. Bapt. Ferrarium, 1683, Alph. 5 plag. 15, Tom. III ibid. apud Carol. Joseph. Gallum, 1734, Alph. 5 plag. 3, in 4.

Insigne hoc, atque e multis Scriptoribus, quos in Præfatione & peculiari Indice adjecto legimus, collectum Opus, sed ob varias rationes, ibidem allegatas, elaboratu valde difficile, Autor diligentissimus in *tres Decades* partitus est. In *prima* historiam Ecclesiasticam præcipue, ac civilem simul, urbis illius, omniaque, quæ ab ejus fundatione, intra octingentos octoginta & octo annos, & sic novem fere Secula, evenere, *decem Libris* complectitur. In his originem civitatis hujus, & statum tempore paganismi, dein veram religionem in ea instauratam, persecutiones varias sub Cæsarum Romanorum imperio, Pontificum Constitutiones sacras & ecclesiasticas, templa, monasteria, collegia, nosocomia, urbis ac diœceseos

ſeos illius, Sanctorum Comenſium, de quorum copia gloriatur, vitas, inprimis vero Epiſcoporum, & Abbatum, ut S. *Abondii*, *Adelberti*, *Agrippini*, *Angilberti*, *Amalrici*, *Amantii*, fuſe & chronologice deſcriptas, Regumque Italiæ Gothicorum, Longobardicorum, aliorumque ejus Principum, res illis Seculis geſtas, ſtilo, ut in Præfatione ait, Hiſtoricum decente, perſequitur. Et, cum *Plinius*, junior, patriam quoque Novocomum habuerit, ſpecialius illius vitam inſeruit, eumque ad fidem in Chriſtum converſum, ac ibi Martyrium paſſum eſſe, aliquot argumentis probare annititur, ad objectiones reſpondens, ac de *Plinio* Inſcriptionem, ad portam majorem templi cathedralis hodienum exſtantem, allegans. In *Decade ſecunda*, Pontifici *Innocentio XI* dicata, ad hanc urbem & diœceſin pertinentia, tam in Regimine Eccleſiaſtico, quam civili, acta, inde ab anno octingenteſimo octogeſimo octavo, usque ad milleſimum & trecenteſimum, totidem ac in præcedente *Libris* continentur, varia ſcilicet illius, totiusque Italiæ ſimul, fata ſub *Berengario II* & Germaniæ Imperatoribus, *Ottonibus*, aliisque Principibus, maxime autem ſub diuturnis illis factionibus *Guelforum* ac *Gibellinorum*, quæ Italiam afflixere. In *Decade tertia* totidem *Libris* ea narrantur, quæ ad hanc urbem ſpectant, præcipue Eccleſiaſtica, & inde ab anno 1300 usque ad annum 1582 contigere, cum Appendice Autoris, qua hiſtoria illa usque ad annum 1598 continuatur. Et ultima quidem hæc *Decas* a *P. Joſepho Maria Stampa*, ejusdem Congregationis Sacerdote, reviſa, examinata, correcta, & Obſervationibus neceſſariis aucta fuit. Hic de Concilio Tridentino, Baſileenſi, Piſano, Conſtantienſi, multa reperiuntur, & de Vice-Comitibus Ducibusque Mediolanenſibus, ac Dominis Comi, aliaque hiſtoriæ ſacræ immiſta, quæ ex Indice rerum notabilium copioſo, ut in titulo hujus *Decadis* vocatur, cognoſci poſſunt. Talis etiam duabus præcedentibus *Decadibus*, magno legentium commodo, præter innumera documenta, ex tabulariis depromta, adjectus eſt; in hac vero vita Autoris, ubi & alia ejus ſcripta memorantur, acceſſit, &, pro *Comenſi* male *Cumanum* dici in Orat. Funebri *pag.* 5, obſervatur.

AN

AN ENQUIRY INTO THE MORALS OF THE Ancients, &c.

h. e.

INQUISITIO IN MORALIA VETERUM, Autore GEORGIO ENGLAND, Rectore Woolteronensi, & Vicario Hanworthiensi in Comitatu Norfolciensi, Reverendissimi item Domini Hobarti a Sacris.

Londini, apud W. Wilkins, 1735, 4 maj.
Alph. 2 plag. 2.

Ea est hodie civitatis literatæ felicitas, ut inter omnes cultiores populos, qui rudes antehac & plumbei erant, idoneos ostendere cives possit. Testes hanc in rem tot citamus libros, qui in Germania nostra, in Gallia, Belgio, Italia, Magnaque Britannia, recentiori ætate, in lucem exierunt. Olim inter Germanos nostros aliqui in eo erant errore, ut, sedem omnis doctrinæ, totiusque inprimis moralis sapientiæ, in Anglia esse, sibi persuaderent. Si quid hoc in genere eximium perspiciebant, istud aut apud Anglos prodiisse, aut æmulationi saltem Anglorum tribuendum esse, judicabant. Sed hi erant fere, qui nec ipsi ingenio multum valebant, nec, quo res Anglorum loco hodieque sint, exploraverant. Nostro quidem judicio tam pingue & crassum nullum est cœlum, tam frigida & torpentia nullius populi sunt ingenia, ut non ipsamet, si excitentur, aliquid præclarum & laude dignum moliri ac perficere queant. Eruditio & recta ratio nec intra, nec extra Germaniam, unice sibi domicilium fixit. Hinc apud nos, qui hæc *Acta* condimus, usu receptum est, ut omnia in universum scripta, undecunque Mercurius ea nobis attulerit, in ea referamus. Certi etiam sumus, hæc omnibus patere literatis, quia eo utimur sermone, cujus societate omnes eruditi conjungimur. Ita rationem reddidimus, quamobrem & huic, quam indicavimus, scriptioni locum hic aliquem assignaverimus. Præmissa

missa est *Introductio* non copiosa, in qua de re proposita Cl. disputavit Autor. Hæc eo valet, ut excellentiam Christiani, & fidei & morum, Systematis demonstret; tum vero etiam, ut, qui Servatori nomen dederunt, excitet & cohortetur omnes, quo ad ejus normam accuratius, quam adhuc factum est, vitam suam moresque componant. Hoc enim sibi flagitat dari, omnes in universum Christianos a prima Apostolica morum castitate descivisse. Fateri quidem & præ se ferre non dubitat, doctrinas fidei morumque, a Christo præscriptas, religiosa hominum, qui Deos suspiciebant, dogmata infinito post se intervallo relinquere. At enim vero, dum & profanarum & Christianarum gentium vivendi rationem inter se confert & contendit, manifesto vult constare, illas his æquales fuisse. Satisne hoc sit? Cave, credas. Gravius hoc est, quod sciscit: plurium Deorum cultores multo sanctius, quam Christiani, vivebant olim, cum adhuc morum innocentiæ sedulam navarent operam. Quo tamen loco suos commonefaciendos esse lectores existimat, ut ea vitæ sanctitate, qua ethnici Christi amicos antecellebant, ne abutantur. Sumit ceu evictum, sanctius, quam Christianos, vixisse, qui a veri Dei cognitione relicti erant. At nihilo tamen secius affirmat, nihil, præter nostram sacrosanctam disciplinam, veram virtutem efficere posse, cum nulla sit alia religio, quæ tam puras & perfectas suppetat causas, quæ ad virtutem incitent, *motiva* ab antiquis Philosophis dictas. Haud igitur abnuit, Christianos, si præceptis in Evangelio contentis satisfacerent, & plures numero, & unice veras ac genuinas, atque adeo omni ratione præstantiores, habituros esse virtutes. His autem præfultis, ita tandem conqueritur: *Verum nos* (Christiani), *quæ res nobis vertit male, habemus* theoriam, *& illi* (Deorum veneratores) praxin *habuerunt.* Caussam ejus rei summa cum cura in hac pertractatione se demonstraturum, promittit. Atque hæc quidam arma capit, juratos Christiani nominis hostes, quorum malum clare obscureque serpens totam Angliam occupavit, penitus confecturus. Hi enim, si ab aliis, quibus utun-

Pag. 2. 3. 4.

utuntur, telis discesseris, perfectionem ethnicarum virtutum in desperatæ causæ suæ vocant auxilium. Non ergo mediocre telum ad rem bene gerendam hoc putat esse ratiocinium: neutrum sine stupore cogitari potest: ethnici id, quod ex lumine naturæ & educationis norunt, optime exercebant, atque in virtute tantos, quantos poterant, faciebant progressus, quamvis a se interdum desciverint; contra vero ea Christiani, qui tam excellentem morum doctrinam profitentur, tam generatim ac universe a virtute recesserunt, totque vitiis cumulati sunt, nihil ut supra sit. Ex quo perspicuum facturus est, non posse unquam constantem, & uniusmodi suique similem virtutis cursum exspectari, nisi ab iis, qui veritatem Christianæ revelationis toti credunt, in qua futura præmia virtutis cultoribus promissa, pœnæ vero iis, qui vitium amant, constitutæ sunt. Unde præterea consequi Pag. 5?
Cl. Autor censet, ut, si planum fecerit ipse, vel unicum genuinum Servatoris amicum infinito ethnicos spatio superare, major hinc honor Christianæ civitati, quam ex virtutis cultura orbi profano, accedat. *Veterum* nomine, quorum exi- 6.
mias virtutes in cœlum tollit, *Græcos* inprimis ac *Romanos* designat. Ex his igitur solis virtutum petit exempla, ceteris fere neglectis, & non nisi prætereundo consultis, quos hæ utræque gentes, ad omnem humanitatis cultum ac elegantiam morum eruditæ, *Barbaros* nominare consueverunt. His jactis fundamentis, ad ipsam libri rationem enodandam nos convertimus. Hic in *septem* distribuitur *Capita*, in quibus principes & eminentiores ethnicorum virtutes commemorantur. In *Capite primo* de eorum *justitia* exponitur, 7.
quæ & cum Christiana comparatur. Cl. Autor cum de *privata*, tum de *publica*, loquitur *justitia*, &, ubi utramque definitione explicavit, varia ex Romanis pariter & Græcis Historicis recenset exempla, iis, quas in se suscepit, partibus rite satisfacturus. *Justitiæ privatæ* exemplum commendat *Marcum Scaurum*, cujus virtutem *Valerius Maximus* lauda- 9.
vit. *Cn. Domitius* nil intentatum reliquit, ut huic *Marco Scauro*, qui ob insignia promerita sua magno in urbe
 loco

loco versabatur, odium multitudinis conciliaret. Ita hominem ussit invidia. Hac mente in votis habet, ut fingendi saltem criminis cujusdam, eidemque coloris nonnihil inducendi, sibi detur copia. Quod dum molitur, accidit, ut ex servis *Marci Scauri* unus suapte sponte ad ipsum veniat, occulta quædam heri sui crimina enuntiaturus. Quæ tum in animo *Cn. Domitii* concitationes ortæ sint, *Valerius Maxi-*
Pag. 9. *mus* his indicat verbis: *Erant in eodem pectore* Domitii *inimicus & dominus, diversa æstimatione nefarium indicium perpendentes; justitia vicit odium.* Is nimirum facile perspiciebat, ex una quidem parte, se *inimico* suo, *Marco Scauro*, hac via exitium parare posse; ex altera vero, se ipsum *Scaurum* esse, fingebat, cum itidem ejusdem generis servos, qui circa se essent, haberet, quorum *dominus* ipsemet esset. Hac re bene putata, *justitia vicit odium. Dominus* non solum recusavit aurem mancipio præbere, verum illum etiam vinctum domum duci jussit, meritas perfidiæ pœnas daturum. *Cn. Domitii* actionem Cl. Autor tot ornat laudibus, ac si, disertum ut ejus prædicatorem ageret, mercede conductus esset. Dat etiam atque largitur ultro libenterque, hostes sanctiores Christi disciplinæ non sine causa hic triumphum canere. Unum est, quod in *Domitii* desiderat actione, quod illa non ex principio Deo O. M. suum probandi studium, neque ex cupiditate sanctissimam ejus voluntatem per-
10. ficiendi, profecta sit. In hoc etiam, sicut in omnibus virtutum ethnicarum cultoribus, putat elucere, quam parum sibi in omni vitæ ratione similes fuerint illi, qui sanctius inter simulacrorum cultores vixerunt. Cum hac *Cn. Domitii* actio-
11 seq. ne aliam, ex eodem *Valerio* ductam, conjungit; tum vero ad plura pergit exempla, quæ taciti præterimus; præsertim
42 seq. cum his multo lectiora reperiri potuissent. His dictis, inter Christianos, quoquo se vertit, nulla justitiæ perspicit vestigia. Omnium vero illustriora justitiæ ac crudelitatis exempla in *Gallia, Italia, Hispania*, & *Portugallia*, expiscatus est, ubi locupletissimos Autores, *Mezerajum, Rapinum*, ac
59. *de Larrey*, in consilium advocari jubet. *Caput secundum* de *amo-*
re

re patriæ agit, *quo veteres tenebantur.* In his *Cleomenes, Co-* Pag. 67.
drus, Regulus, Decii, inprimisque *Curtius, C. Mutius Scævo-* 68 seq.
la, aliique, & ex Græcis insuper *Timoleon, Aristides, Themi-* 72 seq.
stocles, Fab. Maximus, ac ceteri. Verum, quam frustra inter 75 seq.
Christianos pii in patriam quærantur, *Caroli I* ac *Cromwellii* 83 seq.
exemplis ostendit Autor. In *Capite tertio magnanimitatem* 112 seq.
veterum nobilioribus illustrat viris, sed ex orbe Christiano- 116 seq.
rum nullum in medium producere valuit. *Caput quartum con-* 143.
temtum divitiarum in antiquis considerat, itemque *vitam* 146.
ab omni luxu sejunctam. Horum in numero ex Romanis 149 seq.
Q. Cincinnatus, Attilius Regulus, Furius item ac *Fabricius,* 151 seq.
Paulus Æmilius, Cato Major, Flamininus, Cato Uticensis, Sci- 153.
pio, Cornelia, Augustus, Vespasianus, ejusque filius, *Titus, de-* 155.
liciæ humani generis dictus, *M. Aurelius, Nerva, Trajanus,*
Antoninus, Pertinax, Alexander Severus, Probus, Scipio, Æ- 156.
milianus, ex *Græcis* vero *Pericles, Aristides, Phocion*, & alii, 157 seq.
habentur. Hic *Phocion*, cujus vitam *Nepos* descripsit, cum
missa a Rege *Philippo* munera magnæ pecuniæ repudiaret,
legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse
his facile careret, liberis tamen suis prospiceret, his ille: 160.
si mei similes erunt, idem hic, inquit, *agellus illos alet, qui
me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri,
nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam. Plutar-
chus* non nisi unicum *Phocionis* commemorat filium, eum-
que *Phocum* nominat; id quod leviter in transitu attingi-
mus. Huc etiam *Themistocles* pertinet, qui filiam suam viro 162 seq.
egenti, eidemque meritissimo, quam diviti minus probato, col-
locare maluit. *Cicero* eum ita inducit loquentem: *Ego vero
malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quæ viro!*
Ceteros, qui hic loci recensentur, non immerito tacemus. Ve-
rum ex Christianis nullum hujus virtutis cultorem commen-
dare possumus, cum Cl. Autor nos ab eo vacuos esse siverit. 171.
In *Capite quinto*, quod sequitur, de *amicitia* veterum commen- 173.
tatur. Et gradibus quidem ejus expositis, varii amici, ut 175 seq.
Orestes ac *Pylades*, *Damon* & *Pythias*, duo *Gracchi, Luci-* 178 seq.
lius & *M. Brutus*, ut alios mittamus, locum hic aliquem sibi 184.

vindicant. Quibus recenſitis, nonnullos *Ciceronis* & *Plinii*
Junioris locos ex Latino Anglice vertit, ſingulares interio-
Pag. 187. ris ac tenerioris amicitiæ teſtes. Pertinet illuc liber ejus, quem
Lælium, ſive *de Amicitia*, inſcripſit, ejusque inprimis *Caput 6*,
188. *Epiſt. 15* & *25* ad *T. Pomponium Atticum*, *Epiſt. ad Fam. 8 Lib. I*,
189. *Epiſt. ad Appium Lib. III*, *Epiſt. 3 Lib. I*, *Epiſt. 17* & *18 Lib. XIII*,
191 ſeq. ex *Plinio Epiſt. 19 Lib. I*, & *Epiſt. 15 Lib. VII.* Atque his aliæ,
196 ſeq. quin etiam aliqui Poetarum loci, a re propoſita haud ſejun-
cti, accedunt. Exempla in hiſtoriis Chriſtianorum fruſtra
205. quæruntur, licet hi excellentiora habeant præcepta. Nunc
208. *Caput ſextum* nos ad ſe vocat, in quo veterum *erga re-
ligionem*, & *omnia ſacra*, *reverentia* deſcribitur. Qui ſa-
crum Codicem ut ſacroſanctum ſuſpiciunt, ii haud dubie,
quid de ſupremo hujus rerum univerſitatis autore ſentien-
dum ſit, omnium rectiſſime ſciunt. Quis ergo non fa-
cile exiſtimet, hos etiam, duce iſta cognitione, ſanctiorem
in Deum venerationem habituros eſſe? Sed Cl. Autor ad-
verſam huic ſententiam tuetur, atque in eo totus eſt, ut,
quantum ab ethnicis Chriſtiani vel in hac cultus divini par-
te diſtent, nos doceat. In nulla vero re hæret, ut, quo ſe ver-
tat, non habeat. Nemo fuit unquam, quin ſupremam ali-
quam orbis cauſam admiſerit. Verum, ſuum ut cuique ca-
put, ſuus eſt pileus, ſic notiones etiam ac ſenſus de divini-
tate plurimum differebant. Miſeri ac bardi homines, qui
ſimulacra reverebantur, informatam in animis noſtris Dei
notionem ea infuſcaverunt barbarie, quam ipſa ratio abhor-
ret. Ipſas beſtias, ut canem ac boves, nec non viliores ter-
209. ræ fruges ac plantas, Ægyptios coluiſſe, nemo hodie ſanus
crederet, niſi fidei tot graviſſimorum Hiſtoricorum hoc dan-
dum eſſet, quæ non temere in dubium vocanda. Cui ete-
nim credibile videatur, Ægyptios, qui tam multa ſapientiæ
ſpecimina ediderunt, & a quibus Græci omnem doctrinæ
cultum petierunt, ita omni rationi bellum indicere po-
tuiſſe? Venit quidem nonnullis, ut *Plutarcho*, in mentem,
ſe cauſam horum populorum optime agere, ſi conſtituant,
eos

eos animalia & fruges terræ, ut ſymbola & ſecretas veri Numinis notas, ſuſpexiſſe. Id quod Abbas *Banierius*, ſi quis alius, ex inſtituto declaravit in *Commentar. Academiæ bonarum literarum Tom. III.* Verum optimi quique Autores in eo conſentiunt, iſtam explanationem Ægyptiis majorem, quam merentur, laudem afferre. Cauſam hujus corruptionis nemo unus explorare valebit. Hoc unicum vere dici poterit, Deum O. M. nos, dum eam permiſit, docere voluiſſe, rationem, ſibi relictam, nec divina gratia fultam, veram Dei cognitionem aſſequi minime valere. Cum a Philoſophis gentium, quibus nihil olim ſapientius erat, tam multa nimis abſurde ſint prolata; evidens hoc argumentum eſt, quam neceſſaria, quamque excellens, ſit divina rerum ſanctiorum patefactio. Deus eſt ab oculis remotus. Ethnici vero, ſibi nimium fidentes, eum ſenſus minime fugere, voluerunt. Hinc figuram aliquam, ſenſibus patentem, divinitati tribuentes, id omne Dei loco habuerunt, quod ipſis per naturam, conſuetudinem, ac educationem, vel alias ob rationes, proximum erat, hoc, eſt, quod omnium maxime aut amarent, aut metuerent. Homines enim ſibi præſidentes hunc in modum ſubducebant rationes: a cauſa ſuprema vel bonum, vel malum, in nos manat. Ita Deos videntur delegiſſe, quos ab alterutra harum animi concitationum, *amore* aut *timore*, pro Diis habere jubebantur. Atque hæc origo Deorum generatim eſſe videtur; ut contra hodiernæ Europææ plurium Deorum venerationis artificium quoddam malitiæ ac verſutia cauſa & autor eſt. Græci & Romani paulo quidem Ægyptiis ſunt meliores. Nam, ut *Homerus* canit, *humana ad Deos tranſtulerunt*. At nihil tamen in omni exſtat antiquitate mirabilius, quam viros, qui rectæ ac defæcatæ rationi ſtudebant, ejusmodi de Diis opiniones recipere potuiſſe, quæ non ſolum abſurdæ per ſe ipſæ erat, verum etiam morum caſtitati officiebant. Sed, hæc quoquo modo ſe habent, ex quo iſta perverſa divinitatem aliquam colendi ratio ſemel introducta, & maxima in eam reverentia ſtatim a puero animis infixa erat, omnis, qui non impius videri cupiebat, verum Deum ſub fi-

Pag. 200 ſeq.

212.

ctis hujusmodi notionibus venerari cogebatur. Atque, ubi tota aliqua gens, publico quodam consensu, eas constabiliverat, nullius privati erat hominis, majorem licet veri perspicientiam haberet, id, quod usu jam, vel doctrina, vel vetu-
Pag. 215. state, firmatum erat, immutare. *Retinetur*, inquit *Cicero Divin. Lib. II, & ad opinionem vulgi, & ad magnas utilitates reipublicæ mos, religio, disciplina, jus Augurium, collegii autoritas. Nec vero non omni supplicio digni* P. Claudius, L. Junius, *Consules, qui contra auspicia navigarunt. Parendum enim fuit religioni, nec patrius mos tam contumaciter repu-*
213. *diandus*. Quæ cum ita sint, magno cuique ducendum est honori, fidei ac religioni majorum mordicus inhærere, iis præsertim temporibus, quibus universus, quam latissime patuit, orbis simulacrorum cultui deditus addictusque fuit. Quanquam homo sapiens, qui hodie errores e. g. Romanæ Ecclesiæ ac *Mohammedis*, perspicit, iis nuntium mittere, & ad cœtum, veritatis cœlestis custodem & servatorem, jure meritoque transit. Hoc enim casu is quidem suo jure facere videtur, si errantem opinionem, a majoribus acceptam, ejurat, quam aversam a vero esse, certis argumentis convictus est.
214. Verum hic non alienum est docere, quam firmiter Græci ac Romani adhæserint religioni, publice confirmatæ, quamque sollicite pietatem in Deos & homines coluerint. Hic opportuna nobis præbetur occasio nostros scrutandi mores, qui, tam puram, tamque omni dubio vacuam, sanctiorum doctrinarum habentes præscriptionem, ita negligenter erga Deum resque omnes sacras nos gerimus, ac si a multorum more, quos regius vates describit, animo ab hac perversa sententia,
217. *nullum esse Deum*, non abhorreremus. Athenienses festos dies Dearum, *Minervæ*, *Bacchi*, & *Cereris*, dici non potest, quam sancte egerint. *Socrates* ab iis ob id solum damnabatur, quod contemtæ patriæ religionis crimine inimici eum
219. arcesserent. Quodsi hanc pietatem & amorem veterum in patrium Deorum cultum spectamus; quale, quæsumus, judicium de Christiano feremus orbe, in quo adversus religionem, qua nihil unquam certius ac sanctius fuit, quotidie libri in lucem

lucem exeunt, quin etiam non ſine inſigni animi voluptate leguntur? Græci contra quam ſancta templa Deorum, jusjurandum, ac fana, habuerint, mira extant teſtimonia. Idem Pag. 220.
quoque de Romanis memoriæ ac literis proditum legimus, 223 ſeq.
quorum nomine *Cicero*, *Pietate*, inquit, *ac religione*, *atque hac una ſapientia, quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perſpeximus, omnes gentes nationesque ſuperavimus.* Atque hanc adverſus Deos reverentiam claſſici
teſtantur Autores, quos hodieque habemus. Liberi præter- 235 ſeq.
ea parentes ſuos tam incredibili proſequebantur amore, nihil ut ad eum addi poſſe videretur. Qui matrimonii vincu- 243.
lo juncti erant, mutuo ſe diligebant. Cum adhuc integri Græciæ Romæque mores eſſent, divortia cum uxoribus & raro fiebant, & juſtis de cauſis. Adulteria magnæ olim turpi- 244.
tudini fuerunt. Fratres etiam mutuum inter ſe amorem 245.
exercebant, & parentes liberis educandis minime vulga- 250.
rem navabant operam. Nec deſunt inter veteres ceterarum 252.
exempla virtutum; quo pertinet *gratus animus*, *humanitas*, *ſin-* 255. 259.
ceritas, nec non *caſtitas*, *modeſtia*, & *temperantia*. His Au- 264 ſeq.
tor explanatis, cum hoc ethnico Chriſtianum, qualis hodie eſt, contendit orbem. In eo inprimis multus eſt, ut oſten- 279.
dat, quemadmodum ii, qui Chriſti amici videri cupiunt, a priſca illa interna cœleſtis veritatis reverentia, & a perenni illa conteſtataque majorum virtute, in ſingulis hiſce partibus, degeneraverint. Primis enim Chriſtianis nihil erat in his virtutibus excellentius; quin etiam, quod majus eſt, *hæc omnia*, ut S. *Auguſtinus* teſtatur, *faciebant*, *non propter ardo-* 287.
rem inanis gloriæ, *ſed propter caritatem felicitatis æternæ.* Laudat hic denuo perfectiorem morum formam, a Servatore 288.
in *Cap. V*, *VI*, *VII*, *VIII*, *S. Matthæi* præſcriptam; id quod & alibi fecit: verum eos deſiderat unice, qui vita ipſam expri- 171 343.
mant. Reliquum eſt, ut *ſeptimi*, ejusdemque ultimi, *Capitis* compendiariam communicemus enarrationem. *Cauſæ* nimirum *virtutum ethnicarum*, hactenus commemoratarum, ac ſimul 289.
Chriſtianiſmi degeneris, inveſtigantur. Præmittit Cl. Autor
non-

nonnulla, quæ causæ suæ, cui vacat orandæ, inservire putat. Dat, multos quoque viros, omnibus vitiis obrutos, inter Græcos olim & Romanos inventos esse. Non negat, in his etiam, quorum quædam facinora commendavit, vitiorum insignes notas extare. Sed ad numerum hic loci non vult attendi, cui major omnino vitiosorum cohors opponi possit.
Pag. 297. Et propositum ejus eo valuit, ut aliquot præstantissimos virtutum cultores ex antiquo gentium profanarum orbe referret, tot hodie Christianis, aliter, atque eruditi sunt, viventi-
298. bus, pudore digna objecturus, quem rubor consequatur. Duo inprimis sunt, quæ virtuti ethnicorum propria sunt, & eam ab illa, qualis inter Christianos esse debebat, virtute segregant: unum, quod sibi ipsis sunt dissimiles, qui in virtute aliqua excellere videntur; alterum est, quod ab ea animi modestia, quæ superbiæ opposita est, quam longissime absunt. Hæc vero, ut per se ipsa amabilis & eximia est, sic omnibus etiam, quas comitatur, virtutibus majus addit pretium atque orna-
299. mentum. Ista quidem vitia in iis elevabant, quos ut in virtute quadam præcipuos hactenus nobis ob oculos Cl. Autor posuit. Romani, qui laudem sibi justitiæ pepererant, multum quoque injuriæ plurimis, quas deleverant, provinciis ac populis, inde ab U. C. usque ad imperii sui interitum, intulerunt. Causæ belli secundi Punici manifesto injustæ erant.
301. Eadem injustitia in Lacedæmoniis, hominibus, ut videri volebant, justissimis, apparet, cujus clarissimum *Phœbidas* est ex-
305. emplum. *Pericles*, in cujus prudentia & virtute laudanda Historici consentiunt, tribus criminibus hanc laudem obtrivit. Unum est, quod famam & autoritatem Areopagi labefactare ausus est; alterum, bellum Peloponnesium, quo cives suos temere implicaverat; tertium, amor *Aspasiæ* nimius,
306. quacum rebus venereis utebatur. *Cato Major*, rigidus ille Romanæ civitatis censor, a vitiis ita sibi non cavit, ut potius
307. in iis magnus fuisse jure ac merito dicatur. Idem de juniore *Catone* valebit judicium. Utriusque *Catonis* vitia cum hic nominatim satis insignia designentur; multum hinc eorum derogatur opinioni, qui hos *Catones* ut singularis exempli

exempli viros, posteritati commendarunt. Exstant eximiæ virtutes, quarum ethnici nullam plane habuerunt notitiam. In Pag. 311.
his tres præ ceteris numerandæ, *amor erga omnes in universum homines*, *prolixa in inimicos voluntas*, & *vera cujusvis mali perferendi patientia.* Has colere non poterant virtutes, quoniam veras moventes causas, in sanctioribus libris patefactas, ignorabant. Fingamus, aliquam ἐχθροφιλίας umbram in 317.
antiquis ethnicis inveniri; nihil tamen excellentius iis est præceptis, quæ cœlesti Legislatori debentur, *Matth. V.* Errat vero, qui ex casta morum doctrina Christianorum hoc ducere velit consectarium: ergo Christianis nihil usquam sanctius est. Illi potius, qui hodie orbem constituunt Christianum, a prima munditie prorsus desciverunt ac degenerarunt. Causa hujus universæ corruptionis non minima est 346.
nimia divinæ veritatis violationum, quæ hæreses dicuntur, cohors, cui & occurrendum fuit. Hoc enimvero morum castitati duplici offecit ratione: una, qui litibus sacris vacabant, ii, neglecta vitæ actione, ad solam contemplationem & mentis agitationem animum advertebant; altera, 347.
nulla non factio vim ac potestatem Principum in auxilium vocavit, horumque adeo vitiis, causæ suæ servitura, nimis se facilem præbuit. Neque vero est dissimulandum, nimiam *Pontificum Romanorum* potentiam, flagitiosamque 349.
vitæ rationem, impiam item & fidei, & morum doctrinæ, a Servatore inculcatæ, distortionem & depravationem, religio- 352 seq.
nemque externam superficiariam, morum sanctitati maxime nocuisse. In Magna Britannia effrænata & indomita re- 359.
gnat licentia, sacrosanctas veritates totis voluminibus explodendi, variisque mordendi conviciis. Non dici potest, quantum hinc detrimenti respublica capiat Christiana.

Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit. Hor. 362.

Aliæ morum corruptionis causæ in ipso inveniuntur libro, 364 seq.
cujus summa hactenus capita excerpsimus. Ceterum facilis & elegans est Britannica dictio, ipsaque compositio, qua Cl.

Autor in libro hoc usus est conficiendo. Argumento inprimis hæc est scriptio, non sine cura, nec fugientibus oculis, ipsum antiqua perlegisse monumenta, quandoquidem lectissimos ex iis locos, ingeniose illustratos, in rem suam non inscite convertit. Quod vocabulum Anglicum *Morals* Latine *Moralia* vertimus, is perfacile excusabit, qui secum consideraverit, *mores* quidem veterum inprimis hic explanari, tum vero etiam nonnulla his adjungi, quæ ad *præcepta* Græciæ Latiique *moralia* jure ac merito referuntur.

CHRISTOPHORI WOLLII, M. A. S. T. B. & ad S. Nic. Diaconi Lipſ. in GEORGII ENGLANDI, Theologi Britannici, Moralia veterum Notæ ac Obſervationes.

In ea tempora nostra ætas incidit, ut sacrosanctas, quæ ab ipso Deo profectæ sunt, veritates ii conviciis mordeant & exsibilent, qui nugis in speciem præclaris adeo sibi placent, adeo tumidi sunt, ut se solos & unos Phœbi fratres, reliquos stipites, barbaros, plumbeos, & si quid hisce vilius, arbitrentur. Horum in verba in Magna jurant Britannia homines, qui *Deistæ* nominantur, inficeti ampullarum & quisquiliarum sacerdotes. Scriptis qui libris eorum desperatam causam juverunt, & famæ nonnihil consecuti sunt, hi erunt præcipui: *Collinus*, *Tolandus*, *Woolstonus*, *Tindalius*, magna scilicet nomina, quibus, nemo dubitat, quin assurgendum sit. Ego vero vellem, ut infaustæ horum chartæ nunquam in lucem exiissent, sed ad inferos amandatæ mansissent, quo ibi cum tineis ac vermibus in æternum dimicarent. Hi quidem, si ipsos audias, *robusti spiritus* & dici & esse cupiunt, verum, qui rectius sapiunt, & purgatæ obsequuntur rationi, irridentes hoc eos ornabunt nomine. Laborant enim capite ac cerebro tam vehementer, ut cum ratione desipere, quam ipsi Deo, decernenti, & secretiorem sapientiam patefacienti, morem

rem gerere, malint. Ex ingenii vafritie ac versutia, non ex judicio, quod arte ratiocinandi cultum ac politum est, contortulas suas ac minutas ducunt conclusiunculas, quas sumtionum, aut, si mavis, oraculorum, loco habent, e tripode fusorum. Atque has tam mira fingunt fœcunditate, ut digni jure ac merito forent, qui in aruspicum reciperentur collegium, si quod hodieque floreret. Absit, ut sciscam, naso carere homines, sed, a firma judicandi virtute relictos eos ac nudos esse, constituo. *Trebatius* olim ex eorum erat numero, quibus *M. T. Cicero* utebatur multum. In hoc vero elucebat, quod familiam in Jure ducit civili, singularis memoria, summa legum scientia. Cum igitur per literas significaret *Tullio*, se cum *Julio Cæsare* in Britanniam navigaturum, hic jocans respondebat, se, ut grandem personam, illic magno cum honore acceptum iri. *Mira enim*, inquit, *persona induci potest* Britannici *Jureconsulti*. Ita tunc temporis rari in hac erant Insula, qui solida Juris civilis scientia valebant. Non dubito hodie de tota irrisorum Britannicorum factione idem ferre judicium. Quodsi fabula fiat, & spectaculum in scena deridendum, ex hac vesana cohorte aliquis: mira ille persona induci poterit, cum rerum & sanctiorum, & vere eruditarum, parum consultus sit. Dudum vero est, quod iste consensionis globus capitale suum odium, quo a genuinis Servatoris institutis dissidet, in animis occlusum effudit, & orbi patefecit, ac bellum iis indixit. Nunc adorta est veritates, quæ ad *fidem* pertinent, nunc autem eas, quæ ad *mores* referuntur. Harum qui nervos incidere moliuntur, illi suam ita instruunt aciem: *Virtutes ethnicæ ejusmodi sunt, ut jam omnes perfectionis numeros habeant. Nulla itaque nova divina indigemus revelatione, quæ doceat, quemadmodum virtus comparata esse debeat.* Principium, quod præmuniunt & præfulciunt, antiqua est historia, quæ tot illustria virtutum exempla inter eos suppetat, qui pluribus olim Diis servierunt. Hoc dato, istud etiam, quod inde ducunt, corollarium suapte sponte putant consequi. Multos magnos homines ipsa Magna tulit Britannia, qui tam

trucem perditorum civium rabiem coercuerunt ac vecordiam. Nec desunt profecto, qui hoc in prælio tam secunda usi sunt fortuna, ut hostes penitus confecerint, eorumque sapientiam, nervis & artubus orbatam, in triumpho per civitatem Christianam duxerint. Sed fero præ me, non omnes, a quibus hæc acta fabula est, hanc laudem abstulisse. Nolo jam eorum, qui aut bene, aut male, rem gesserunt, judex & arbiter sedere, neque unum ex his honoris causa nominabo. Puto enim, silendo me sanctius ipsos revereri posse. Sola meritissimi Viri, *Georgii Englandi*, *in Moralia veterum Inquisitio* me vocat ad se, quam tribus abhinc annis cum sacra & erudita communicavit civitate. Ego is sum, qui summa ejus capita in hæc *Acta* retuli, & ea lingua enuntiavi, quam communem per eruditas provincias Mercurium non inscite appellaveris. Cogitationes doctissimi Autoris, statim ut eas legeram, dignæ mihi visæ sunt, quarum compendiariam enarrationem Latina veste induerem, eique formis descriptæ Notas & Observatiunculas meas comites darem. Sic enim omnes literati & eruditi facile perspicient, num Theologus Britannicus ad bene de victoria sacra sperandum feliciter signum sustulerit. Arma igitur, videamus, an secunda sint, quæ sumsit, hostem fusurus. Res, quæ in lite vertitur, non est ex minimis una; non est pugna hic de tribus capellis, sed ipsa Dei causa & ejus agitur religionis, quam Servator secum in hunc attulit orbem. Magnum olim negotium erat, cum de reparandis Athenarum mœnibus, ac *Philippi* insidiis, res ageretur. Res erat sane periculi plena, cum *Annibal* ante portas esset, & Mithridaticum bellum conflaretur. Hic vero universæ interest civitatis Christianæ, rem bene ac prudenter geri, ne optima Christi causa in non necessariam aleam detur. Istis præfultis, oculos in magnum *veritatum* Christianarum *moralium* convertamus patronum, qui ipsam *Angliam*, Insulam hodie cultissimam, suo præ se fert cognomine. Anceps hic ingenii certamen adiit, quod vim mentis acutam flagitat; ut contra ad bella, pro salute patriæ suscepta, vires corporis robustæ requiruntur.

Ute-

Utemur voce magis usitata: Disputatio hoc loco erudita instituitur, cujus vera ratio ex arte, quæ, ut verum a falso secernendum sit, explanat, unice pensanda & metienda erit. Hac igitur duce ac magistra, omnis disputatio erudita, sive *coram* & *ore*, sive *per literas*, suscipiatur, vel *κατ' ἄνθρωπον* fit, vel *κατ' ἀλήθειαν*. In utroque disputationum genere juvabunt nos argumenta, cum a *posteriori*, hoc est, ab experientia & historia, quam testamur, petita, tum a *priori*, hoc est, ex ipsa rerum natura, ducta. Nunc demum investigandum erit, utra ratione adversus homines Christo inimicos Vir ingeniosus disputaverit. Ac diu, fateor, mecum ipse dissensi, utrum hoc, an illo, modo militaverit. Jam vero, re omni bene putata, totoque libro haud segniter perlecto, in eo acquiesco, ut certus sim, Virum Reverendum utraque dimicare ratione in animo habuisse. Quod si omni, qua fas est, accuratione planum fecero; nulli, credo, videbor inde lauros voluisse decerpere, ubi steriles vix avenæ nascantur. Nec committam, ut operæ me unquam pœniteat, *Notis* hisce navatæ, quæ nugas hominum a Christo aversorum eruditas ullo fine negotio dissipabunt. Perficiam enim, ut secunda mihi ac propitia veritas sit, robore ac copiis rectæ rationis fulta, & ut mecum faciant omnes, quotquot, quid rem quamque consequatur, perite perspiciunt. Ceterum vocum quarundam spero me nacturum veniam, quas in eruditam civitatem jam pridem adscitas esse, unum præterit neminem. His jactis fundamentis, ostendam primo loco, Cl. Autorem cum juratis Christianæ morum doctrinæ hostibus ea ratione congressum esse, quæ disputatio *κατ' ἄνθρωπον* a Philosophis dici solet. *Ad hominem*, ut loquuntur, disputavit, seque ipsum finxit earum insulsarum & inficetarum opinionum, quas illi ceu evinctas sumunt, approbatorem & subscriptorem. Ita colligit: *Fac, verum esse, quo Achillem suum muniunt hostes, principium, quod tamen per se ipsum falsum est, & omni sale vacuum. At nihil tamen, hoc posito, quod suæ serviat causæ, inde lucrabuntur.* Atque hoc modo videri possit, ac si malos ratiocinatores ex suis principiis falsi-

tatis convincere velit. Sed is nusquam candide, & ſine circuitu, declaravit, hoc ſe velle, ac ſuam eo valere rationem, remque propoſitam. Hinc indicia dabo, ex quibus magna ſignificatio fit, ipſum ſaltem videri cupiiſſe, ac ſi ita, nec aliter, ſentiret. Enarrat toties & laudat ingenio ac virtute
Pag. 366. præſtantiſſimos priſci orbis homines. Cum his eos, qui doctrinæ Chriſti morali excellentiam ſuam hodie invident, ſine tripode confert & contendit. Tum vero illis non niſi eas ex inſtituto res vindicat geſtas, quæ cavent ac proſpiciunt, ne ſocietatis rationes humanæ conturbentur. His inde pudorem ac ruborem ciere conatur, quod illis eximiis commentitiorum Numinum mancipiis multo pejores ſint. Ceteras enim virtutes, quæ cum civitate nullo neceſſitudinis vinculo conjunctæ & ſociatæ ſunt, aut omittit vafre, aut non niſi prætereundo tangit. Collocutio cum hoſtibus virtutis a Domino præſcriptæ amica hæc, ſi res in pauca conferatur, erit: *Vobis quidem, Deiſtæ, placent virtutes ſapientiſſimorum inter ethnicos virorum. Jam vero hæ, ſi rem bene putatis & circumſpicitis, eo valent pleræque omnes, ut patria religio ne turbetur. Ac vos etiam ſapientia ceteros anteire ſaltem videri cupitis. Ergo quæ, malum, vos cepit dementia, ut virtute ab ethnicis vos vinci patiamini, & in patria ſacra, quæ tamen, in ſe ſpectata, moribus externis nihil plane officiunt, ſævitis, ac ſi, omnem ut in ea bilem effunderetis, mercede conducti eſſetis. Omnia infima ſummis paria facitis, turbatis, miſcetis. Pudeat vos tandem hujus conſilii, & cavete, ne ipſi vobis deſitis, ac ſtultitiæ maculam inuratis!* Pythagoram, *ſi placet, ſpectate*, Socratem, *ipſosque Epicureos Philoſophos, qui, ut Deum eſſe negarent, Deos tamen in dubium*
367. *vocare noluerunt, ne quid aſſumerent, quod patriæ religioni lege conſtitutæ adverſum eſſet.* Is, qui nobis hæc chartæ mandandi cauſam dedit, non prius, quam ubi liber fere explicit, remoto velo & joco, hoc ſuum indicat propoſitum.
364 ſeq. Exhibet lectori ſuo alienam aliquam, doctiſſimi nimirum *Addiſonii*, non diſſimilem cœleſtium veritatum defenſionem, ac
367. tandem in notula quadam ſubjecta hæc addit verba: *Habes*

hic

hic epitomen ejus, quod per universum hoc opus efficere volui. Legas velim centies, &, si mavis, sexcenties, volumen, multis consulto velis obductum. Invitent te ad iteratam lectionem nitidi, quibus exscriptum est, typi. Ego autem spondere ausim, accidere vix, & ne vix quidem, posse, ut in hanc incidas cogitationem, quam meis verbis enodavi. Quænam hujus adscitæ obscuritatis causa sit, mentis vitium, an voluntatis, meum haud est, decernere. Propositæ quidem rei a me satis erit factum, si extra dubitationis aleam posuero, Virum ingeniosissimum perverse, &, invitis ratiocinandi legibus, adversarios suos petiisse. Sic eos petere voluit, ut nemo eorum, ullum se vulnus, aut cicatricem ullam, accepisse, jure conqueri possit. Ex principio enim *theoretico*, hoc est, quod acrem mentis agitationem & contemplationem poscit, ad *incommodum* eos deduxit. Cum ejusmodi tamen deductio tantum in enuntiationibus *practicis*, id est, quæ ad actionem vitæ ac mores spectant, locum sibi aliquem vindicet, ut si dicerem: *Quodsi vitia utilia sint; sequitur, ut peccet, qui vel ullam virtutis speciem præbeat.* At vero sumtio hæc est *theoretica*: *Perfectæ sunt ethnicæ virtutes.* Conclusio, quam inde ducunt adversarii, etiam est *theoretica*: *Ergo non necessaria est perfectior virtus.* Nunc una est quæstio: num *materia*, hoc est, sumtio illa, cum vero congruat; an item exempla illustrium inter ethnicos virtutum ad eam demonstrandam ac roborandam satis habeant virium. Et altera est: an *forma*, seu modus concludendi, leges ratiocinandi haud violet. Non disquiritur jam: num adversarii ethnicas virtutes vita & factis suis exprimere ac tueri velint. Hoc si esset, deductio ad incommodum ita foret instituenda: Sinam, perfectas esse ethnicas virtutes. Ita vero vos erubescatis oportet, quod tam inepte agitis, ut ipsimet eas non imitemini. Non dubito, quin Cl. Autor hanc ratiocinationem obtentui sumturus sit, cum in angustias conclusum & coactum se perspiciet. Sed fucum, quem incautis facturus est, facile delebit *introductio*, ubi ait, adversarios religionis nostræ ex perfectione virtutum ethnicarum illius eversionem **Pag. 4.**

hodie

hodie tentare ac moliri. Quocirca, si ἐξ ὑποθέσεως accurate disputare voluisset, argumentum ita se haberet: *Si, quod vos, miseri Servatoris hostes, sciscitis, verum sit, perfectas nimirum esse ethnicas virtutes; sequitur, ut duo contrarii habitus, virtus ac vitium, simul & eodem tempore, in uno eodemque homine, possint existere.* Quod posterius cum absurdum & ab omni ratione alienum sit, nec prius veritati conciliari unquam poterit. Hæc sane non spernenda erit ratio, qua & *S. Paulus*, vir a Deo eruditus, *1 Cor. XV, 17*, usus est: *Si Christus ab inferis non excitatus sit, fides vestra vana erit.* Hoc tibi habeto verum *deductionis ad absurdum* exemplum. Ais, vir Clarissime: nunc rem acu tetigisti! Hoc fuit ratiocinium, quod in animo, dum scripsi, mecum versavi, sed, oratorum more, illud sciens proposui, & Philosophum me præbere recusavi. Male. Cum iis enim congressus est, quos si in Philosophia rudes ac inermes diceres, næ illi Acheronta moverent. Verum desinam tecum amicius agere, quippe cum operam navem, ut veritati amicior fiam. Dicam aperte, missis ambagibus, quid de tua mihi videatur inquisitione. Objecisti eam *Deistis* ex animo, & κατ' ἀλήθειαν contra eos disputare non noluisti. At ludibrio nos hominum, qui nostræ male volunt religioni, exposuisti. Credam, rem tibi aliter cecidisse, ac putasti fortassis. Non novum crimen & ante hunc diem inauditum est, quod ad patres Ecclesiæ Christianæ conscriptos deferre possem. Sed merito dubito Virum aliquem ejus postulare, cui ipsi supremus civitatis sanctioris Dominus sacrum mandavit officium. Nihil de ratione animi tui sciscam, cujus interiores latebras & recessus nemo, præter Deum, omnia pervidentem, novit. Solis inhærebo verbis tuis, quæ quidem notæ rerum in animis latentium esse solent. Ita loqueris identidem, ut si intus tibi caneres, ac secretam cum iis consensionem, pace tua hoc dixerim, haberes, quos oppugnare videris. Verum, invidiæ saltem amoliendæ gratia, tot ambiguitatibus, griphis, & captionibus, usus es. Sedete judices, qui rebus sacris præsidetis, & qui Christi doctrinis ex animo bene cupitis. Cl.

Autor

Autor dat hoſtibus, quod ſibi dari flagitant, perfectas nimirum ethnicas virtutes eſſe. Verum ea utitur tractandi ratione, ut hoc ſcitum etiam negare videri queat. Verbis enim exquiſitiſſimis cœleſtes laudat animos, quorum ex orbe profano exempla recitat, & omnes opera moleſte ſedula numeros undique compilat, ut, qui eos legunt, inde concludant, nihil his, quos in cœlum tulit, ethnicis in virtute perfectius fieri poſſe. Hoc autem functus labore, vitia quædam in his vituperat eximiis hominibus, & cauſas levioris ponderis moventes, quas ethnicum morum ſyſtema generatim ac univerſe ſuppeditare potuit, iis opponit, quas multo efficaciores ſapientia moralis, a Chriſto commendata, in ſe contineat. Sed querimonias acerbas ultro citroque jactat, nullum inter Chriſtianos unum ita eximie vivere, quemadmodum excellenti ſuo morum ſyſtemati conſentaneum ſit. Voces in hac controverſia præcipuas nulla explicat *definitione*, nulla utitur *diſtinctione*, quæ omnem dubitationem præcidat. In libri indice nuntiat, ſe *Moralia* veterum expoſiturum. At nihil definit, utrum *moralia præcepta*, an vero *mores* veterum, hoc deſignare nomine velit. Voci enim Anglicæ utraque iſta poteſtas ſubjecta eſt. Sic his dicendi modis, *good morals*, *ill morals*, *boni*, *mali mores*, *one of good morals*, *of ill morals*, *homo bene moratus*, *malorum notis morum inſignitus*, nihil eſt in hac lingua uſitatius. Agit de *virtute* ac *vitio*, nec tamen res tam graves ulla enucleat definitione, quarum hæc abſtracta moralia notæ ſunt & indicia. Quo item loco de *perfectione* ac *imperfectione* virtutis differit, nec tamen ambiguitatem de medio tollit. Forte adverſariis ſuis vult rationem proponere aliquam, ex qua effici cogique poſſit, nihil eſſe, quod virtutem Chriſtianam in exilium ejiciant: virtus ethnica exilis quidem eſt, in ſe ſpectata, at ſufficit tamen fini ſuo, hoc eſt, ſaluti civitatis; Chriſtiana virtus, quæ præſtantior eſt, huic multo magis fini ſufficit. Ergo imprudenter & ſtulte agitis, qui hanc proſcriptum itis. Hoc autem Virum male habet Reverendum, quod nemo noſtrum ei eximiæ vivendi normæ faciat ſatis. Concedit non invi-

invitus, hominem Christo faventem sanctiorem ducturum esse vitam, sub hac conditione, si modo unus exstaret, qui officio a Servatore requisito, quod satis est, faceret. Liberalis est, & nobis *theoriam* relinquit: quamnam? *scriptam* haud dubie, si quid equidem judicando valeo. Ethnicis contra *theoriam* aut naturalem, aut per manus traditam, eamque civilem, ac legibus virorum, qui urbes condiderunt, *Lycurgi*, *Solonis*, aliorumque, sancitam & constitutam, concedit. Gravius est, quod dicit: *Soli ethnici*, quippe quos nobis, doctrina quidem ornatis, verum vitæ actione cassis, opponit, *praxin habuerunt*. Hinc & nullus dubitat scribere: hostes religionis nostræ triumphum jure ac merito canunt, dum Deorum servitia in tantum laudant, in quantum virtus intelligi potest. Sola civilis virtus meta, si mitius dicendum, fuit, quam mente designavit, & verbis ambiguis proposuit. Indices Capitum, in quibus civiles virtutes primipilum ducunt, ita me in animum inducere jusserunt. Hac adscita interpretandi regula, omnia in hoc libro facile cohærebunt. Christianum morum systema purius quidem & præstantius est, verum idem etiam a sensibus nimis est semotum & avocatum. Ethnici vero rationes civitatis, quibus a prudentibus legumlatoribus lege cautum est, suapte sponte sequuntur. Mirumne igitur sit, tot expressa & illustria virtutis exempla inventa esse? Vim ac naturam veritatis enuntiantis, de qua logicæ artis magistri præcipiunt, si perspectam habuisset doctissimus Autor; aliter se, nisi totus fallor, in hoc gessisset certamine. Propositio hæc ajens est indefinita: *ethnici virtutem assidue coluerunt.* Non alia hæc est negans: *Christiani hodie virtutem ipsis congruentem minime colunt.* Utraque est historica, eamque ob causam ad veritates enuntiantes, quæ præcise universæ sunt, neutra referri meretur. Si dicas: *homines sunt animalia*, aut: *homines sunt res creatæ, ratione utentes;* hæc utraque enuntiatio vera est universe: *omnes homines sunt animalia, res creatæ ratione utentes.* Verum alia longe ratio propositionum est historicarum, quarum experientia magistra esse solet. Has si ad normam pur-

Pag. 291.

purgatæ rationis ponderaveris, invenies, eas ad *enuntiationes particulares* pertinere, voce *multi* exprimendas. Ita nemo eſt, quin largiatur: *multi ethnici virtutem externam coluerunt.* Verum nec hoc ambigitur inter intelligentiores: *multi Chriſtiani exercent virtutem.* At cave, credas, numerum certo definiri ac determinari poſſe, utrum plures inter ethnicos olim ſancti, an inter Chriſtianos hodie, vixerint. Certa etenim ejusmodi propoſitionum ratio ex una hiſtoriæ ac experientiæ fide pendet, ubi plena exemplorum in univerſum omnium inductio fieri omnino nequit. Hæc autem in omni circumſpicienda eſt comparatione, ſi boni rerum, quas inter ſe conferimus, ratiocinatores eſſe volumus. Quæ ſi adſit, id quod in exili quodam numero quin fieri poſſit, nemo dubitat, facile addendo deducendoque videre, quæ reliqui ſumma fiat, valemus, ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas. Iſta vero cum in hac innumerabili ſingulorum ethnicorum copia haberi nequeat; utimur hic noſtro quodam jure antiqua illa formula: *non liquet.* Illis ſane ethnicis, quos neſcio quomodo quaſi pleniore ore ob virtutem Vir laudat doctiſſimus, numerus infinito major vitioſorum opponi poteſt hominum. Autores claſſicos non legit, quem enormia plurimorum ethnicorum vitia prætereunt. Neque omnes & virtutum & vitiorum cultores in hiſtorias relati ſunt. Sic etiam ethnicis illis virtutum exemplis ex recentiori Chriſtiani orbis, apud nos certe, hiſtoria aut totidem, aut multo plura, quæ opponamus, in promtu habemus. De iis tantum loquor, qui vitas Chriſtianorum eximie ſanctorum deſcripſerunt. Quot vero ſunt, quibus iſte non habitus eſt honos, ut germana eorum virtus per literas aliis nuntiata ſit? Quæ cum ita ſint, omnis hæc incerta & anceps erit ac manebit comparatio. Theologus vero Britannicus, cujus in librum Notas & Obſervationes haſce molior, ita ſe hic gerit, ac ſi omnes, ne uno quidem excepto, totius, quam latiſſime patet, orbis locos & angulos pervagatus eſſet, & omnes ethnicos pariter ac Chriſtianos ad calculos revocaſſet. In illis plurimos offendit, qui virtute nihil prius & antiquius

habuerunt. Ex orbe contra ethnico in Chriſtianum veniens, in novum veluti orbem vectus eſſe videtur, utpote in quo ne unam quidem virtutis veræ & non infucatæ invenit amatorem. Ut ſanctos inter externos Chriſtiani nominis profeſſores, non forte dubio, verum illuſtri die, *Diogenis* illius more quæſiverit: fruſtra tamen laboravit. Accuſat enim effuſa bile omnes, & iis diem violatæ dicit virtutis. *Vix Priamus tanti, totaque Troja fuit.* Verum, inter Græcos & Romanos dum verſatur, nihil niſi virtutes tam lynceis videt oculis, ut in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat. Affingit Deorum amicis caſtiſſimos mores, ac ſemper, quo ipſum conjectura ducat, habet, ut ſi, multas noctes in Parnaſſo ſe ſomniaſſe, hoc ſpecimine declarare voluerit. Sophiſtam agit moralem: num caſu, an conſilio, id factum ſit, hoc quidem arbitrium mei nego eſſe conſilii. In *Cn. Domitii* factis honeſtandis tantum poſuit operæ, quantum nulla in re alia. Ubivis vivam videt virtutis imaginem, ubi alii nullam quidem umbram ejus vident. Quod cum *M. Scauri* ſervitio colludere dubitavit, id quidem ex metu fecit, quoniam Romanis tum dominis a nimia mancipiorum caterva verendum erat. Factum hoc rectius ſimulacrum virtutis, & ne hoc quidem, ſed manifeſtum vitium, fuit. Argumento enim eſt, ſe una cum reliqua Romanorum civium turba, inhumanam in ſervos ſævitiam probare. Miror profecto, nec poſſum mirari ſatis, doctum cultioris Britanniæ decus eos laudaſſe mores, quos *Val. Maximus* ex uſu & conſuetudine Romanorum honeſtavit, qui in mancipia æque minus, quam in beſtias rationum expertes, injuſtitiam exerceri poſſe negabant. Quare juſtus ei eſt, qui tantam non adhibuit ſeveritatem & aſperitatem. Patet inde, Cl. Autorem nec *philoſophicum*, nec iſtud, quod *criticum* vocant, *judicium* in hujus confectione libri in auxilium vocaſſe. Nec ſcriptores diſcrevit, nec verum a falſo ſegregavit. *Socrates* magnus olim Græciæ ſapiens ſine dubio fuit, qui fingendis & ſuis, & civium ſuorum, moribus unice ſtuduit. Verum, ut, perfectæ alioquin ejus virtuti nonnihil vitii adhæſiſſe, Vir doctus

ctus aliis perſuadeat, laſciviam ejus exempli gratia profert, quam *Plato* teſtetur. At enimvero bonum præteriit Virum, *Platonem*, id quod antiquis Orientis Philoſophis in more poſitum erat, non raro ſua in dogmatum *Socratis* locum ſubſtituere. Laſcivi profecto & ab omni pudore remoti, quos in *Sympoſio* ac *Phædro* ejus *Socrates* recitat, ſermones in neminem minus quadrant & cadunt, quam in virum, qualis *Socrates* ab omnibus, inprimis a *Xenophonte*, deſcribitur. Is ſane ſi fuiſſet, ut a *Platone* his in Dialogis fingitur, *Socrates*, qui eum de medio ſuſtulerunt, præclare de republica meriti eſſent. Verum *Plato*, qui parum caſtus & pudicus erat, quo ipſe pauciores, quos invidia in ſe ureret, haberet, hominem hunc immortalis memoriæ in ignominiæ ſuæ ſocietatem venire voluit. Viris, qui hodie ſupra multitudinem ſapere in Magna geſtiunt Britannia, idem magnus in Græcia vir in exemplum proponitur. Non cadit in eos, ſacra noſtra turbare. Cur vero? quia *Socrates* hoc facere non auſus eſt. Quonam autore hoc putas perſpicuum & evidens fieri? *Plato* is eſt, qui *Socratem amicis ſuis hoc extremum pateſeciſſe deſiderium, ut pro ſe gallum Diis immolarent*, memoriæ prodidit. Ego vero non video, quæ via ineunda ſit, hanc rem, ſi re quidem vera geſta eſſet, hiſtoriæ mortis, qua periit Philoſophus, conciliandi. *Socrates*, eo quod ἄθε[illegible], hoc eſt, publicus plurium Deorum irriſor & contemtor, eſſet, cicuta ſublatus eſt. Quod ſi innocenti accidit homini; falſum eſt, ipſum pluribus Numinibus ſerviiſſe. Auſim ſpondere, *Platonem* iterum mentitum eſſe, atque iſtam fabulam, ut piam aliquam fallaciam, credulæ multitudini obtruſiſſe. Tot exſtant hujus moris in eo documenta, & idem tot in locis præcipit, ſapientis eſſe, ut, publicæ utilitatis cauſa, mentiatur, plebisque ſimplicitatem fallat & circumveniat. Aut, ſi mavis, non ſine ironia cum amicis ita locutus eſt *Socrates*; ut ridibundus atque hilaris pleraque docebat, & omnes ejus diſputationes facetam ac ſuavem præ ſe ferebant ironiam. Ita ſalis plenus & facetiarum ille ſorites erat, quo *Melitum*, accuſatorem ſuum, depexum dabat

Pag. 213.

& exornatum. *Melitus* nimirum perhibebat: *Socrates negat, Deos esse, sed nova inducit dæmonia.* Ex hac accusatione *Socrates* hoc utens sorite colligebat: *jam vero Dæmonia sunt Deorum filii. Et, quisquis filios Deorum inducit, is omnino, Deos esse, putat.* Et *sensus accusationis tuæ, Melite*, hic est: *Socrates non putat, esse Deos, sed putat, esse Deos.* Ἀδικεῖ Σωκράτης Θεὲς ὀ νομίζων, ἀλλὰ Θεὲς νομίζων. Quæ quidem levior umbra facile dissipari potuisset, si *Melitus*, conclusionem sequi, negasset. Erant enim dæmones, non *Socratis*, sed *Meliti*, judicio, filii Deorum. Quam male confuseque ac conturbate Cl. Autor causam in se quidem optimam egerit, hæc etiam indicio sunt. *Optima* vocat *tempora*, unde virtutis exempla, Romanos inter & Græcos, sibi inter legendum oblata, repetiit. Sed nusquam enodavit, quænam tempora isthac ornet laude. Sive igitur ea putat, quæ Christum natum præcesserunt, sive illa, quæ natum consecuta sunt Servatorem. Ante C. N. & tempore, quo inter homines nasci voluit Dei filius, omnes omnium gentium religiones Romæ sedem ac domicilium fixerant. Dii Deæque, quibus publice sacra fiebant, insignium potius scelerum ac vitiorum, quam virtutum, exempla suppeditabant, & vaferrimi religionum antistites nihil non, quod vitiis fovendis aptum esset, conquirebant, in eam quippe curam unice intenti, ut a majoribus acceptæ Deorum cerimoniæ manerent. Hinc flagitiosissimam vitam universi vivebant, & illa impune committebant scelera, quorum hodie nomina vix aures ferunt honestæ. *Juvenalem* testor ex Latinis & *Persium*, ex *Græcis* autem *Lucianum. S. Paulum Rom. I* testor, quem *Corn. Adami* illustravit, ac S. *Cyprianum Ep. I pag. 2 edit. Baluzii.* Nec deerant inter eos ipsos, qui Deos observabant, viri sapientes, qui hanc amentiam perspicerent. Verum aut non poterant, aut nolebant, malis mederi: omnes autem ab intelligentia ad rem tam arduam necessaria nudi & relicti erant. Quis rerum adeo ignarus sit, ut ipsum fugiant gladiatorii ludi, nefarii puerorum amores, & infandæ libidines? Divortiorum licentiam inter Græcos Romanosque, consuetudi-

tudinem infantes exponendi, abortumque ciendi, & alia flagitia, quibus omnibus nullæ leges obſtabant, ſciens prætereo. Quodſi de tempore poſt C. N. Vir loquitur Reverendus, & ego ejus ſum, & ille meus erit. Tunc enim Deorum ſervitia moratiora & melius conſtituta incipiebant fieri. Viri exoriebantur, ex juniorum inprimis *Platonicorum* ſcholis, qui Chriſtianam & ethnicam, cum fidei, tum morum, doctrinam in pacem & concordiam redigere conabantur. Hoc fervens conciliandi ſtudium omnes Auguſti, inprimisque *Julianus*, ὁ Ἀποστάτης, promovebant. Ex eodem manavit fonte, ut ſcriptores plurium Numinum fautores, vitas Virorum de Diis meritiſſimorum deſcripturi, easdem, quas Chriſtiani ſuis inculcabant, virtutes attribuerent. Nec vero illis tantum has affingebant, qui tum vivebant, verum iis etiam, qui jam olim fuerant, idem honos habebatur. Aſtuti nimirum homines iſtud hoc faciebant conſilio, ut viros, quos Chriſto & ejus amicis opponerent, haberent. Hinc *Plutarchus*, hinc *Epictetus*, hinc *M. Antoninus* Philoſophus, *Scriptores* item *Hiſtoriæ Auguſtæ*, aliique, multa continent, quæ Chriſtianis debentur. Legat, qui hæc cognoſcere cupit, vitam *Apollonii Thyanæi*, a *Philoſtrato*, vitam *Pythagoræ*, a *Jamblicho* & *Porphyrio*, & vitam denique *Plotini* ac *Procli*, a *Porphyrio* & *Marino*, deſcriptam. Hi enim Hiſtorici hoſce heroes non propriis, non ſuis, ſed a Chriſto & ejus teſtibus adſcitis & ſumtis, pinxerunt coloribus. At nolebant commentitiorum Numinum cultores quidquam ex Chriſti amicorum ſcriptis furto ſurripere videri, donec furti ab his convicti, ut *cornix furtivis nudata coloribus*, in conſpectu orbis Chriſtiani, plaudentibus ipſis, ridebantur. Quin potius eorum virtutem, ex quorum fontibus optima quæque hauſerant, acrioribus, quam fert æquitas, conviciis ac contumeliis concidebant, & vehementer inſectabantur. *Platonicos* hoc ferit monitum, quod intactum dimittere non placuit. Hi, deſciviſſe a magiſtri ſui inſtitutis Chriſtianos, criminabantur. Majus aliquid decernam: ſacra hiſtoria omni tantum non tempore docuit, eos cauſæ non bonæ ſerviiſſe, qui in mores Chri-

Chriſtianorum ſævierunt, ethnicis contra faverunt. *Mohammedes* idem illis poſtea, quod *Platonici* olim, objiciebat crimen, eosque caſtam ac ſanam præceptoris ſui diſciplinam variis erroribus deformaſſe, præ ſe ferebat. Hujusmodi ſunt, qui cauſæ Viri Celeberrimi duces & quaſi ſigniferi jam olim exſtiterunt. Iis ſe aggregat hominibus, qui vitia in antiquis delent populis, certe ea ſuis obſcurant expoſitionibus, quo viliora eſſe videantur. Sunt in Anglia, qui omnibus religionibus male cupiunt. Fac, exoriri ex horum ordine aliquem, eique vetus illud *Celſi*, *Hieroclis*, & aliorum Chriſti malevolorum, carmen occinere: *Quidnam igitur eximii emolumenti Chriſti morum doctrina orbi terrarum attulit, cum virtus ethnicis jamjam populis patuerit?* Qua, obſecro, ratione hoc in nos conjectum retundet telum? Quod vero excellentiam morum doctrinæ Chriſti in dubium non vocat, concionem inprimis montanam præclaris laudibus digniſſimam judicat, id quidem jure ac merito feciſſe videtur. Neque novum hoc eſt atque inuſitatum in eorum hiſtoria, qui nemini minus, quam Servatori, faverunt. Veteres Deorum cultores aliqui, nec non antiqui pariter, ac recentiores, Servatoris oſores, hac eadem præditi fuerunt humanitate. *Tiberii*, *Alexandri Severi*, & *Hadriani*, Rom. Impp. in Jeſum Chriſtum ſtudium notius eſt inter literatos, quam ut fuſius explicari debeat. Ipſa Numinum oracula, ſeu, ut verius dicam, ſacerdotes & religionum antiſtites, per reſponſiones e tripode prolatas imperitæ multitudini illudentes, excelſe & magnifice de Domino ſentiebant. *Porphyrius*, ut capitali a Chriſti ſacris odio diſſideret, Apollinis tamen oraculum diſertis verbis recenſuit, quod ſervavit *Euſebius*. Propius ad hanc rem propoſitam *Juliani* pertinet Epiſtola, ad *Arſacium* P. M. exarata. Multi ſunt hodie, qui nimiæ aſperitatis & difficultatis moralia cœleſtis magiſtri noſtri accuſant præcepta, atque iſta ejusmodi eſſe præ ſe ferunt, ut, niſi a nobilioribus, quos vocant, animis, & in monaſteria ire paratis, coli a nemine queant. His ſignum prætulit *Petrus Bælius*, quo acutiorem & aſtutiorem adverſarium ſanctior

hodie

hodie religio experta eſt neminem. Ego vero non video, his quemadmodum ſatisfacturus ſit Vir doctus, qui identidem faſſus eſt ac præ ſe tulit, vitam præceptis Chriſti reſpondentem inter nullos ejus obſervatores agi. *Multos*, quin *plurimos*, jure forſitan accuſat. Mores plurimorum Romanæ ſedis Præſulum, fratrum raſorum, crudelium inter eos tribunalium, & quorundam tyrannorum, peſſimos ac profligatiſſimos, non immerito notavit. Ex hac vero *ſingulari* propoſitione, quod, *omnes* Chriſtianos nigros ac vitiis obrutos eſſe, concludit, in eo quidem, quæ alba ſunt, nigra dicit. Seu, ut magis philoſophice dicam, ratiocinium nectit, in quo conſecutioni nullus locus a purgata datur ratione. Ille vero, ſecundis adverſariorum admurmurationibus, cives Chriſti ſine pudore accuſat in univerſum omnes. *Longa eſt injuria, longæ ambages*, in quibus recenſendis multus non ero, cum apud ipſum evolvi & legi queant. Optat tam ſanctos hodie Chriſtianos videre, quales optimus maximusque Dei requiſivit orator. Hi ſi eſſent, unus ſi eſſet; tunc orbi noſtro, ſi audias hominem, foret conſultum. Sed vota ejus cadunt in irritum: *nullus eſt*. Nonne hac ratione, dum caſtella Chriſtianorum munire vult videri, totam eorum hoſtibus prodit civitatem? Hi enim, nec immerito, quærent: *Cur vero nullus tam eximie ſanctus inter Chriſtianos reperitur?* Reſponſio, quam ſibi ex tempore ipſimet dabunt, hæc erit: *quia præcepta Domini moralia nimis ſunt ſublimia, & ab humana imbecillitate ita ſemota, ut vita exprimere nemo ea valeat.* Ad id, quod fieri nequit, nemo poteſt obligari. Quid inde conſequitur? En tenue, at vafrum ac verſutum, acumen! Ergo *moralia Jeſu Chriſti præcepta ſunt inutilia & ſupervacanea*, id eſt, *non neceſſaria.* Nihil enim in morum emendatione virtutis habent & efficacitatis. Contra vero ea *virtus ethnica, quam ſatis perfecta ſit*, hoc eſt, *quantum in civitate uſum habeat, tot exemplis doceri & confirmari poteſt.* Ergo *eadem hodie ſervetur, neque in orbe Chriſtiano major & excellentior, quam ethnica fuit, in poſterum virtus colatur & poſcatur.* Orbatus oculis eſſem, niſi viderem, Virum Clariſ-

fumum, quo fpectatorum ferviret curiofitati, aliquamdiu cum larvis & umbris pugnaffe, tum vero caufam adverfariis tradidiffe. Bella confutatio, cui alius, non item ego, magnum ftatuat pretium. Reftat, ut homines, qui tam afpera de Chrifti morum difciplina judicia fumunt, gravioribus refellam argumentis, & philofophica quadam accuratione utar. Hiftoriam, ubi opus erit, antiquam in fubfidium vocabo, fperans, futurum, ut commodi nonnihil in fanctiorem Domini religionem manet. Fac, hos, quos peto, viros in fua confiftere fententia, nec veritati, tot licet copiis vallatæ, cedere & manus dare. Tunc eo, quo amentes, loco habendi ac deferendi erunt. Nimis enim ignea ingenii vis, qua omnes vincere, & fupra vulgum evecti effe, cupiunt, aciem mentis & judicii, ut fit, præftrinxit. Ingenii vero haud eft, fed unius, quod Logica expolivit, judicii, quid in quaque re verum falfumque fit, perfpicere ac decernere. Argumentum, quo hoftes adverfus nos utuntur, ita fe habet: *Virtutes ethnicorum funt jam perfectæ.* Ergo *neceffaria haud eft virtus, quam Servator patefecit, & in literas referri juffit.* Ego vero hujus ajentis principii nervos incidendos reor, & in ejus locum hanc negantem pono propofitionem: *Virtutes ethnicorum non funt perfectæ.* Præcifam magis adhibebo negationem: *Nullæ virtutes ethnicæ funt perfectæ.* Quod propofitum fi verum erit, falfa ftatim erit, quæ ex ajente ducta fuit, conclufio, atque huic locus dandus erit: E. *virtute, quam Dominus inculcavit, orbis carere non potuit.* Verba & res ipfas enodabo, planum facturus, verbis cum eo me confiftere, & re tamen diffidere. *Ethnici* funt omnes a Chrifti facris averfi & alieni, five ante, five poft natum vixerint Servatorem. Omnes notiores intelligo populos hoc nomine, qui plurium Deorum mancipio fefe addixerant. *Virtutis* nomine non omnem univerfe firmam facilitatem, quæ ad *corpus* & *animum* pertinet, defignatam volo; in qua divifione virtus *animi* rurfus in *intellectualem* ac *moralem* diftribui folet. Hic igitur loci de *virtute morali* exoritur difputatio. *Hæc*, in fe fpectata & generatim fumta, *habitus eft volun-*

voluntatis, facultati, quam a natura accepimus, recta rationi convenienter superadditus. Vox *perfectio* ad eas adjungi meretur, quas relativas dixit *Jo. Lockius*, inclytus Magnæ Britanniæ Philosophus. Poteſt nimirum aliquid *perfectum* eſſe *in ſe ſuaque natura*, & *in ſuo genere*, ut horologium, quod omnes, quas poſcit, partes habet, merito perfectum dicitur. At fieri etiam poteſt, ut aliquid *perfectum* ſit, *ſi cum alio genere, quod ei ſubjectum eſt, contendatur & comparetur.* Sic, verbi cauſa, domus aliqua, quæ, ſi priorem & alteram ejus partem conſideres, perfecta forſitan erit, verum, ſi tertiæ conclavia nondum parata ſpectes, ea ſuam, quam requirit, nondum adepta eſt perfectionem. Accommodabo hæc veritatis principia ad rem præſentem inſtitutam. *Virtutes*, de quibus hic diſputamus, *ethnicæ duplici ratione perfectæ* vocari poſſunt: *primo* in ſuo, cui ſubjectæ ſunt, genere, *deinde*, ſi ad totum hominis bonum, in toto ejus ambitu, referuntur. Ita omnem ambiguitatem de medio ſuſtuli, & cauſam de verbis litigandi præcidi. Nunc demum ipſa diſputationis cornua commovebo, & in arcem cauſæ perfacili negotio invadam. Falſum eſt, Deorum cultores ejusmodi coluiſſe virtutes, quæ *in ſuo* quidem *genere perfectæ* dici queant. *Omnes*, quæ in gentibus elucent, *virtutes* aut ſunt *civiles*, aut *militares*, aut *ex his utrisque commixtæ. Civiles* eas dico, quarum moventes cauſæ ex rationibus *civitatis* ducuntur. *Militares*, ad quas exercendas cauſæ, e *militia* petitæ, incitant & cohortantur. Ex his *commixtæ* quales ſint, nemo eſt, quin, etiam me tacente, perſpiciat. *Virtus moralis* eſt *habitus voluntatis, internam animi indolem, & externos mores, corrigendi ac emendandi.* Iſte habitus *facultati* huic, nobiscum *natæ, ſuperaddi* poterit, aut *rectæ rationi congruenter*, aut *eidem minus convenienter. Prius* quoties ſit, *virtus* hinc oritur *perfecta*, hoc eſt, ea, quæ *utramque* habet *bonitatem*, a lege requiſitam, & *materialem*, ut loquuntur, & *formalem.* Illa eſt, ſi qua externa virtus cum lege congruit. *Hæc* vero, ſi eadem etiam ex recta ratione, & ex unius Dei, qui magnus orbis creator & conſervator eſt, obſequio proficiſcitur. *Alterum*

terum ubi contingit, ut nimirum habitus voluntatis *rationi minus convenienter* acquiratur; *virtutes* hinc exiſtunt *imperfectæ* ac *dimidiæ*, hoc eſt, *umbræ & ſimulacra virtutum*, quæ ſolam *materiæ* habent *bonitatem*, *altera* vero carent, quæ cardinem rei in vera ſinceraque conſtituit virtute. His veſtiti umbris, multa faciunt in ſpeciem præclare, in iis potiſſimum rebus, ad quas gerendas animi quadam concitatione, vel honoris, vel opum, vel fœdarum denique voluptatum, ſtudio, ducuntur. Quo magis fautricem naturam in tribuendis eximiis animi commotionibus nacti ſunt, eo pluribus imperitos umbris & ſpeciebus illudent ac fallent. Atque illuc pertinent, quæ in perfectarum virtutum cenſum irrepſerunt, ethnicorum virtutes. Hæ aut *nullæ* ſunt virtutes, aut *dimidiæ* ſaltem ac *imperfectæ*, eædemque vel *civiles*, vel *militares*, vel *mixtæ*. Vides hic ſanum judicium, a recta ratione de iis virtutibus latum, quas ex rhetris *Lycurgi* & axonibus coluerunt ethnici. Vetus hiſtoria lux veritatis hic nuntia erit. *Bina* vero cum in hac cauſa lumen hiſtoriæ deſiderare intelligam; in utriſque declarandis nunc verſabor. Unum eſt: *virtutes ethnicæ aut civiles ſunt, aut militares, aut mixtæ.* Alterum: *imperfectæ tantum virtutes*, vel, ſi mavis, *ſimulacra ſunt virtutum.* Ut *religiones* erant veterum, ita virtutes comparatæ fuerunt. Jam vero religiones populorum a Romanis diverſorum, quæ nobilitatem conſecutæ ſunt, in duas claſſes apte diſtribuuntur. Aliæ nimirum *civiles* ſunt, aliæ *militares*. Quodſi quis populorum, orientem ſolem ſpectantium, Perſarum inprimis, Ægyptiorum, & Indorum, attentius expenderit religiones; is animadvertet facile, illas ad civitatis ſalutem, publicæ tranquillitatis uſum ac conſervationem, virtutumque civilium incrementum, unice valuiſſe. At, quicquid de iis, eorumque ſervitio, inter populos ſeptentrionales, Germanos, Britannos, Celtas, Gothos, & alios, traditum fuit, id ad fortitudinem, ferociamque, ac vitæ rerumque externarum deſpicientiam, gignendam & fovendam accommodatum fuiſſe, teſtatiſſimum eſt. Horum enim *ingenia immanſueta* erant, ut cum Poeta vetere ait *Seneca*, *ſuoque ſimillima*

ma cælo. Itaque, ut mitefcerent, neceffe fuit. Qui curiofius Græcorum & Romanorum facra, quam vulgo fit, explorare volet, is mixtum aliquid ex rationibus civitatis ac militiæ deprehendet. Nam Quirites a Græcis, reipublicæ caufa, fabulas fuas fumferant; cum his Ægyptiorum Deos, & Italica quædam & Hetrufca commenta, conjunxerant. Et, quoniam arma eorum magnam orbis terrarum partem pervaferant, operam inprimis dabant, ut viribus corporis valerent. Ad harum duarum claffium alterutram fingulæ illæ pertinebunt virtutes, quibus panegyricum fcripfit S. R. *Englandus.* Quo egregio labore, cui his notulis obftrepere aufus fum, id, præter alia, effecit, ut minus mihi hac in re negotii reliquerit. Scitum hoc erat veterum: *Quicquid civitati patriæ utile, illud exercendum, illud virtus eft. Quicquid ei noxium, illud, ceu vitium ac flagitium, omni navitate fugiendum.* De eo autem non multum laborabant, num veræ ac perfectæ, an vero imperfectæ, effent, quas colerent, virtutes. Jam ergo in eo totus ero, ut, umbras modo virtutum eas fuiffe, contendam & vincam. Actiones *extrinfecus bonæ* erant, quæ *interna*, quam *formalem* vocant Philofophi, carebant *bonitate*, quoniam non ex unius Dei amore ac timore, nec ex ejus obfequio, proficifcebantur. Nam *veram* ac *perfectam virtutem* colere idem eft, ac ita vivere, quemadmodum infinitæ unius Dei, ejusdemque hujus rerum univerfitatis opificis & confervatoris, perfectiones jubent. Is nimirum perfectæ virtutis cultor eft, qui omnes actiones fuas fic inftituit, ut Dei perfectiones ante oculos pofitas habeat, iisque, ut caufis moventibus, in agendo utatur. Quodfi autem vicero, Deorum fervitia unum Deum, qui hujus orbis caufa & autor fit, nunquam admififfe; confequens erit, ut, fi quid virtutis habuerunt, iftud civilium virtutum umbra dicendum fit. *Simulacra* & *fpecies virtutum* erant *civilium* aut *militarium*, quæ in politioribus totius orbis populis nobis hodie tam vehementer probantur. Hinc nec *uniformitas*, vel, ut Latinius dicam, *æquabilitas* & *conftans fui fimilitudo*, in iis apparebat, quæ a perfecta virtute nunquam

 poteft

poteſt ſeparari ac ſecerni. Quodſi hanc unicam rem rectius putaſſet Vir doctiſſimus, tantum tam levibus umbris pretium non ſtatuiſſet, ſed eas ſine mora ex verarum virtutum deleviſſet indice. Nam *virtutes non uniformes* ſimulacra ſunt virtutum, imo plane vitia ex parte. Jam vero in ethnicis virtutum cultoribus non eſt, ipſo quidem autore, in omni vita æquabilitas, & idem ſemper bene agendi ſtudium. Itaque virtutes ethnicæ, non invito Cl. Viro, ſimulacra ſunt & umbræ virtutum; id quod præclaro libro demonſtravit *Eſprit Fleſchier*, illuſtris Epiſcopus Nemauſſenſis. *Ethnicæ virtutes civiles* pariter ac *militares* non poterant non umbræ modo ac ſimulacra eſſe, quoniam ex unius Dei non manabant obſequio. Huic autem obſequi non poterant, cum eum ignorarent omnes, quotquot pluribus Numinibus ſacra faciebant. Vir Cl. ab hac ſuam ſejunxit opinionem, atque identidem præ ſe tulit, omnes olim gentes verum Deum ſub fictis notionibus coluiſſe. Falſo. Namque rectores populi ac Philoſophi aut omni religioni apertum denuntiabant bellum, aut de Deo multo aliter, atque recta & purgata ratio, præcipiebant. *Epicurei* nimirum & *Academici*, quorum factioni potentiores ac ditiores addicti erant, omnem religionem de medio tollebant, ea ſciſcentes dogmata, quæ vitia gignebant & alebant. Reliqui vero ex *Ariſtotelis*, *Zenonis*, ac *Platonis*, ſcholis miſeras ſuas & inficetas de Deo ſententias magnificis ac ſplendidis verborum velis tegebant. *Deus* certe *Ariſtotelicus*, principium motus in machina, *Deus Stoicorum* corporeus, arctiſſimo cum materia vinculo colligatus, & fato ſubjectus, *Deus* item *Platonicus*, multis nimirum perfectionibus carens, is unus haud erat Deus, qui orbem ex nihilo condidit. Poſt C. N. verum eſt, rectiora edoctas profanas eſſe gentes. Tunc autem aſtuti ſacerdotes & Philoſophi in eo elaborabant, ut ſua & Chriſti ſacra, toto quamvis genere a ſe disjuncta, inter ſe amice conciliarent. Hac mente aut receptis a ſe Deorum nominibus eadem, quæ nos, addebant appoſita, aut, noſtro prorſus more, loquebantur. Verum, ut verbis nobiſcum conſiſterent, quæ

a no-

a nobis mutua ſumſerant, re tamen ipſa a nobis diſſidebant, atque in eo ſemper manebant, quod a puero didicerant. Quæ cum ita ſint, longe alia plurium Numinum origo inveſtiganda erit, quam Vir Cl. tradidit. Multo alia via Deorum hiſtoriæ a primis initiis ducendæ, ac tum accuratius contexendæ, ineunda erit. Equidem nonnulla hic leviter ac præciſe attingam, quæ alias plenius & perfectius enodandi non abjeci conſilium, ſi qua occaſio dabitur. Erat omnino in animis hominum a vera religione averſorum anticipatio quædam unius Dei, ac prænotio naturalis, qua ſi, ut fas erat, uſi eſſent, altius ſeſe in ejus cognitione efferre haud dubie potuiſſent. Nec dubium eſt, quin traditio populi Dei multum hanc juverit, & in animis gentium confirmaverit. Verum, ut confuſa & lubrica iſta erat notitia, ita in artificium malitiæ verti facile poterat. Nihil proclivius erat, quam ut verſuti homines ea turpiter abuterentur. Ut recentiori ætate *Mohammedes*, & in Anglis *Oliverius Cromwellius*, fanaticorum antea perſonam ſumebant, quam regum ac imperantium inducerent habitum: ſic olim fuiſſe reperimus. Primi nimirum urbium conditores hanc in animo metam deſignaverant, ſe magnos evadere poſſe, ſi nudos ac impolitos homines in ſocietates cogerent, & ad certas leges adſtringerent. Quem propoſitum finem optime ſic ſeſe conſecuturos eſſe rebantur, ſi rationes hunc in modum ſubducerent: Deus, qui fugit oculos mortalium, certos in hunc orbem viros miſit, eximiis dotibus inſtructos, qui de republica bene mereantur. Horum animos, ut e corporibus exceſſerunt, e bonis geniis in Deos commutat, & ſui loco divinis honeſtari honoribus jubet. Grata hæc erat ac perquam jucunda ratio & rectoribus civitatum, & populo, qui in votis habebat, ut res ſuæ meliori in poſterum loco ſitæ eſſent. Quid fit tandem? Conſilium feliciter captum felicius explicatur. Exoriuntur egregii viri & heroes, rebus geſtis & beneficiis inclyti, reges, duces, & civitatum conditores, fœminæ item factis & inventis de populo præclare inſigniterque merentes. In his inter Ægyptios *Oſiris*, *Iſis*, *Orus*, *Typhon*, erant, ſicut

Jupi-

Jupiter vetus Theſſaliæ Rex fuit, meritis in rempublicam ac beneficiis illuſtris, cujus legatus *Mercurius* dictus eſt. Credula multitudo tam meritos de ſe rebusque ſuis viros Deos ſibi eſſe facile in animum inducebat. Noluit ergo grata eorum voluntas horum interire memoriam. Hinc exſtruuntur templa, in quibus, cum literæ tum haud vigerent, memoria eorum anniverſariis quibusdam cerimoniis celebratur. Signa inprimis pinguntur, figuræ, ac imagines, quibus merita horum Deorum ſpectatoribus ſignificantur. Atque hi populares & patrii erant Dii, communibus populorum ſuffragiis in cœlum evecti, quos Deorum indicat hiſtoria. Antiſtites ſacrorum, qui ſibi hic arari, ſibi occari, ſibi ſeri, ſibique eisdem meti, callide perſpiciebant, majorem hiſce Diis reverentiam conciliaturi, varia fingebant & mentiebantur. Cum his faciebant, quibus civitatum gubernatio commiſſa erat. Non eſt hic loci prætereundum ſingulare *Platonis*, qui magnam Philoſophiæ ſuæ partem ex Ægypto aſportaverat, præceptum: Τοῖς ἄρχουσι δὴ τῆς πόλεως εἰ παρά τισιν ἄλλοις προσήκεν ψεύδεσθαι, ἢ πολεμίων ἢ πολίτων ἕνεκα, ἐπ' ὠφελείᾳ τῆς πόλεως, κ. τ. λ *Principibus civitatis præ ceteris fallere & mentiri licet, vel hoſtium cauſa, vel civium, propter utilitatem civitatis.* Ad hujus normam inſtituti, vafri religionum antiſtites Diis ſuis, qui homines vitiis, quam virtutibus, nobiliores fuerunt, varia & miracula ficta tribuebant & oracula. Hos ipſos ſoli, lunæ, ac ſideribus, quin montibus etiam, fluviis, arboribus, terræ, mari, ventis, imo morbis, vitiis, virtutibus, & neſcio quibus præterea rebus, præſidere, multitudini obtrudebant. Hæc cauſa erat, cur divinos his omnibus honores tribueret. Nec minus Ægyptii ſacerdotes civibus ſuis perſuadebant, Deos hos beſtiis præeſſe utilibus, ut ovibus, capris, bobus, vaccis, nec non ichnevmoni & ciconiæ, ex quibus ille crocodilis, hæc ſerpentibus, perpetua quaſi bella infert. Quod ii, qui rempublicam & civitatem in hac terra lege providerant, & miniſtri Deorum fanis, victimis, ſacrisque ritibus, confirmabant, præſertim cum Ægyptus earum eſſet belluarum non admodum ferax, quarum

rum in vita hominum & agrorum cultura neceſſarius eſt uſus. Atque, ut natura Dei, quem quælibet urbs & natio reverebatur, erat, ita ex animalibus patriis iſtud ſeligebat, quod ei inprimis reſponderet. Hinc anguillæ & aliorum piſcium, hinc ſævorum, tetricorum, & perniciosiſſimorum animalium, crocodilorum, ſerpentum, luporum, hippopotamorum, & urſorum, ſupplicationes ortæ. In his enim Numinis quæque ſui imaginem ſuſpiciebat. Quod ſigillatim piſces aliquos, cepe item & allium, nonnullis civibus ſuis interdicebant legumlatores & ſacerdotes, in eo quidem valetudinis ipſorum rationem habuiſſe videntur. Iſtud vero quo efficacius eſſet interdictum, a religione auxilium petierant. Et inde occaſionem *Juvenalis* ſumſit ridendi ſanctos, quibus Numina in hortis naſcerentur. Cum his antiquiſſimis Ægyptiis varia Græcorum, qui, mercaturæ cauſa, in Ægyptum proficiſcebantur, divina ſociata & colligata erant inſtituta. Quæ vero, ubi Græci, ſub *Alexandri M.* auſpiciis, Ægyptiorum facti erant domini, auctiora evaſerunt. Eisdem poſtea ſub *Ptolemæis* ſenſim & ſenſim majores acceſſiones factæ ſunt, & patriorum Ægyptiorum, Græcorumque, Deorum hiſtoria inter ſe confundebatur. Orbis ſcilicet terrarum res quædam publica, in varias diſtributa provincias, eſſe credebatur, quibus ſeparata Deorum familia præſideret. In quibus cum nulla pugna eſſet; *Jovis* Græci & *Oſiridis* Ægyptii hiſtoria ſic facile adornari & aptari poterat, ac ſi una & eadem ſemper fuiſſet. Romanos, cum Jeſus naſceretur, idem conciliandi veterum ritus, atque adeo ipſorum Chriſtianorum ſacra, ſuis antehac receptis cerimoniis, vexavit ſtudium. Cum literarum lux, recentiori ætate, exoriretur; antiſtites religionum, ut verſuti & callidi erant homines, commodis ſuis ſervituri, dictas heroum dudum defunctorum imagines multitudinis oculis ſubducebant, nec ad eas ſpectandas, niſi eos, admittebant, quorum fidem & prudentiam haud ſegniter probaverant. Hoc tempore hiſtorici, qui veri erant, non amplius valebant ſenſus, ſed tam varios myſticos & allegoricos excogitabant ſacerdotes, ut vix bina eorum eſſent

collegia, quibus eadem exponendi ratio placeret. *Arcanam* illam & *occultam* religionem, quam *religionem prudentum* dixeris, Orientis populi & Græci *mysteria* nominabant, quæ ratione præditis ut patebant, his interiores Deorum rationes sine mora introspicere datum erat. Ficta nimirum Numina homines fuerant, quorum jam dudum perierat memoria. Versutia sacerdotum, qui continuo Numinum commercio se frui gloriabantur, populum improbe deludebat. Ipsi vetustissimi Reges ac præsides urbium, quo major sacris honos ac reverentia haberetur, sanctiores functiones obire non detrectabant. Cum Deus indueret hominem, S. P. Q. R. in *Augusti* verba jurabat. Is vero non tantum Imperatoris, Censoris, Tribuni Plebis, Proconsulis, omnibus, ut verbo dicam, splendidissimis reipublicæ muneribus, ornatus, sed etiam Pontifex Maximus, id est, supremus sacrorum Antistes, erat. *Vespasianus*, ad Alexandrinorum sibi studia acquirenda, familiaritatem *Serapidis* mentiebatur, seque auxilio ejusdem miracula edere fingebat, qua in re cum Imperatore, novi regni formandi cupidissimo, ad plebem circumveniendam astuti & callidi, hujus Ægyptii Numinis sacerdotes consentiebant. Mira ergo navitate studebant principes civitatum, plurium venerationem Deorum in dies amplificare, quam, ad stuporem populi augendum, & ad cœcum ab iis obsequium excutiendum, satis aptam ac idoneam esse, longa & diuturna exploratione cognoverant. Ex his antiquarum religionum originibus, quas indicavimus verius, quam explicavimus, perspicuum est, fictorum Numinum veneratores unius Dei, quem hujus rerum universitatis parentem & conditorem esse ratio docet, cognitione caruisse. Hunc cum minus cognorint, ei nec parere & obsequi, eundem nec timere ac amare, potuerunt. *Nullæ virtutes*, *civiles* etiam ac *militares*, quæ non ex vero unius Dei timore & amore, & ex ejus obsequio, manant, *perfectæ* virtutes sunt. Ergo omnes ejus generis virtutes *imperfectæ* sunt, quæ non nisi *externa* utuntur *bonitate*, hoc est, *simulacra* sunt & *umbræ virtutum*. Ex quo sequitur, ut *omnes ethnicæ virtutes* non in *perfectarum*, sed *imper-*

per-

perfectarum, loco ac numero virtutum habendæ ſint. Q. E. D. Hactenus planum feci, virtutes ethnicas, in ſuo quidem genere, dum ut civiles ac militares ſpectandæ erant, eam, quam recta & purgata ratio exigit, perfectionem minime habuiſſe. Sequitur, ut oſtendam, easdem perfectas haud eſſe, ſi vocabulum *perfectio* ad privatas hominis cujusque utilitates referatur. Homo nimirum non modo *ut civis*, ut membrum ſocietatis ac civitatis cujusdam, verum etiam, *ut ſolus & unus eſt*, ſpectari debet. Quodſi ut civis aliquis conſideratur, communis ac publicæ utilitatis major, quam privatæ, habetur ratio. Summum autem totius *civitatis* bonum *amicitia* eſt ſocialis, qua civis alter alteri debita, & neceſſitatis, & humanitatis, ſeu commoditatis, præſtat officia. Quocirca civiles virtutes a condita civitate abeſſe nequeunt, quæ ubi perfectæ fuerint, communi ejus ſaluti quam rectiſſime conſulitur, & nullis plane dolis ac fraudibus locus datur. Simulacra vero civilis virtutis aliquam modo civitatum ſalutem promovent, non omnem. Namque his velis tecti, nullam non commodis propriis ſerviendi arripiunt occaſionem, & malis etiam artibus obſequuntur. Dum autem homo, ut *ſolus ac unus eſt*, ſpectatur, *bina ſumma* eidem *bona* Deum decreviſſe, recta & defecata ratio dictat. *Unum* ad hanc præſentem, *alterum* ad futuram, pertinet vitam. *Illud* eſt *ſanctior animi ſecuritas & tranquillitas*, quæ nos in rerum varietate ac viciſſitudine juvare poteſt. *Hoc* vero *æterna* eſt, *& omnibus numeris abſoluta, beatitas*. Hanc non poſſe non eſſe & exiſtere, ratio concludit, quoniam homo, naturæ ſuæ morali incredibilem infiniti cujusdam boni cupiditatem ab ipſo Deo inditam eſſe, ſentit. Eam vero Deus, quo nihil ſapientius fieri poteſt, fruſtra minime dedit, verum, hac ipſa interiore duce ac magiſtra, ut non ſit mortale, quod optet, voluit. Jam vero fieri nequit, ut non interturbatam in hac rerum & moleſtarum & triſtium viciſſitudine animi tranquillitatem, & omnibus numeris expletam conſequamur felicitatem. Nec fieri poteſt, ut in hoc tempore æterna beatitate fruamur. Ex his, quæ ponit, principiis polita & exculta concludit ratio: ergo beatiſſimus hominis ſtatus hanc demum vitam ſequitur. Cumque videat corpus

interire, hoc porro relicta ſibi ratio nectit corollarium: ergo animus, qui per ſe ipſe jam a natura deſtrui & corrumpi nequit, immortalis erit, isque ſenſus etiam beatitatis capax eſt. *Duplex* igitur *ſummum hominis bonum* eſſe, omni vacat dubitatione. Bonum hominis finis eſt aliquis, quem ut conſequatur, niti debet. Et ſummum hominis bonum primus & extremus finis eſt, quem ut obtineat, omnium actionum ejus moralium meta ſit. Et quidem ſecuritas animi & tranquillitas, quam Græci αὐτάρκειαν vocant, ultimum, ſi hanc mortalem vitam ſpectes, eſt. Æterna vero & perfectiſſima felicitas finis hominis abſolute ac præciſe ultimus eſt & dicitur. His jactis fundamentis, circumſpiciam, quanam virtute utriusque finis participes fieri queamus. *Virtus civilis*, ac *militaris*, quæ ex ſola civitatis utilitate & damno cauſas moventes petit, licet *perfecta* ſit, neutri efficiendo ſufficit. Ergo *imperfecta* multo minus ſufficiet. Itaque *nulla virtus ethnica* ad ſummum hominis bonum procurandum ſatis habet virium. Ergo virtus alia, eaque ſufficiens, homini neceſſaria erit, utroque fine potituro. Hæc ſimplex concluſio ex neceſſaria conſecutione conficitur. Atque his rite præfultis, nervos rationum colligam omnium, illis, qui Chriſtianis morum præceptis male volunt, hactenus oppoſitarum: *virtutes ethnicæ ſimulacra* ſunt *virtutum*, aut *civilium*, aut *militarium*, aut ex his *mixtarum*. E. *imperfectæ* ſunt virtutes, quæ nihil, præter *ſummum civitatis bonum*, & ne hoc quidem totum, ſed *non niſi ex parte*, efficere valent. Non autem fieri poteſt, ut *ſummum hominis cujusque bonum*, *præſens* atque *futurum*, efficiant. Ergo *perfectior virtus* homini, *tria ſumma*, quibus Deus ipſum beare voluit, *bona* plenius adepturo, *neceſſaria erat*, quam Servator O. M. patefecit, & in literas, quas ut ſacroſanctas merito recipimus ac veneramur, referri juſſit. Q. E. D.

JOACHIMI SCHWARZII DISQUISITIO Academica, utrum jure culpandus ſit Tribonianus, quod in componendis Pandectis ethnicorum hominum ſcripta compilarit.

Lugdu-

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmans, 1737, 4 maj. Plag. 3½.

Ille est primarius Criticorum labor, hoc delectum præ ceteris studium, ut curiosas, & ne cogitatione quidem tactas ab aliis, quæstiones magno eruditionis argumentorumque undique conquisitorum apparatu examinent. Sæpe frustraneam, fatemur, navant operam, non tamen semper inutilem. Neque enim exhausta a majoribus ita fuerunt omnia, ut posteritati, præter lectionem, nihil penitus relictum sit. Multa omissa, pleraque non ea, qua decebat, accuratione tractata, reperimus. In his quæstio locum obtinet, *utrum jure culpandus sit Tribonianus, quod in componendis Pandectis ethnicorum hominum scripta compilarit.* Quæ quidem ita comparata est, ut salutem nostrarum rerumpublicarum, quæ istis *Triboniani* sudoribus reguntur, attingat propius. Laudem meretur Cl. *Schwarzius*, qui ejus examini quæstionis Academicam consecrare disquisitionem non dubitavit. Tam eruditum selegit aditiali specimini, quo munus docendi Jus civile auspicatus est in Academia Lugdunensi, argumentum. Eam esse putat quæstionis hujusce indolem, ut bina comprehendat defensionis capita, quorum *priori*, compilasse *Tribonianum*, negat, imo, ἀκριβῶς ordinasse præclarum Juris Systema, eo tuetur argumento, quia *Tabularum XII* ordinem secutus sit: Pag. 2.
posteriori autem id agit, ut nullum Christianæ religioni per Juris Romani receptionem illatum fuisse probet detrimentum, eximia Philosophiæ Stoicæ, quam JCti profitebantur plerique, & principii loco accipiebant, motus præstantia. Quam quo aliis quoque ponat ob oculos, limites Jurisprudentiæ naturalis ex mente Stoicorum peragrat, & cum sacrosancta Christianorum Theologia componit. Huic convenire ait 10.
Jus naturale Stoicorum, seu creantem Dei optimi maximi voluntatem, ordinemque illum, quem Deus in ipsa hujus universi creatione sexto die omnibus rebus, & consequenter omnibus animalibus, quæ in cœlo, terra, & mari, nascuntur, ipsi etiam homini, indiderit, ut data eadem occasione semper eodem modo agant. Jus gentium Stoicorum, pergit, docere 13 seq. 14 seq.

 nihil,

nihil, quod non ipsæ diviniores sciscant literæ, unicumque hoc agnoscere principium: *honeste vive*, quod denuo in binas abeat positiones: *neminem læde*, & *suum cuique tribue.*
Pag. 26. Tanti hæc Cl. *Schwarzio* videntur, ut, *puto nunc*, inquiat, *ita me exposuisse principia Jurisprudentiæ Romanæ, ut appareat, non jure culpari* Tribonianum, *qui ethnicorum hominum scripta compilaverit.* Non injucundæ aut inutiles sunt, quas veluti flores sparsit subinde, annotationes criticæ de *ordine XII Tabularum*, de *antiquissima pubertatis epocha*, de *notione Juris gentium, qua eminentes gentium patriciarum prærogativas apud Romanos denotat.* Sed o quam optaremus, singula ex antiquitatibus ita fuisse probata, ut firma iis adhiberi queat fides. Frustra quæsivimus testimonia Autorum, quæ in Historia paginam utramvis faciunt, & sine quibus ne veri quidem minima evadit species. Confidimus tamen, fore, ut & hisce desideriis satisfaciat Cl. *Schwarzius* in iis, quas collegisse se subtiliterque excogitasse ait, Juris Romani Observationibus. Has ut quam celerrime cum orbe literato communicet, communi eruditorum nomine vovemus.

J. H. B. L. ANIMADVERSIONES IN JOACHIMI SCHWARZII, Juris Civilis in Academia Lugduno-Batava Antecessoris, Disquisitionem Academicam, „utrum jure culpandus sit Tribonianus, quod in componendis Pandectis ethnicorum hominum scripta compilarit, Lugduni Batavorum 5 non. Julii A. 1737 institutam.

Lipsiæ, in bibliopolio Martiniano, 1737, 4.
Plag. 2½.

E re est orbis literati, ut singularum veritatum certa constet ratio. Laudanda igitur est eorum industria, qui scriptiones aliorum secundum artis ratiocinandi regulas rigide examinant, argumenta in medium allata cum judicio ponderant, futilia rejiciunt, inque eorum locum certiora substituunt. Id exequi negotium conatus est unus ex iis, qui colligen-

ligendis hiſce *Actis* ſedulam navant operam, dum *Joachimi
Schwarzii* Diſſertationem, cujus & indicem & argumen-
tum ſuperiori pagina cum Lectore communicavimus, ſub exa-
men vocavit, &, qua fieri potuit, modeſtia confutavit. Ex *A-* Pag. 3.
nimadverſionum σύνοψει perſpicimus, bina eſſe tractationis Ca-
pita. Prioribus enim Paragraphis ipſe propoſitæ quæſtionis de-
ciſionem tentat, & in argumentum de *paganiſmo Triboniani*
inquirit, tres indicans rationes, quæ eruditos moverunt, ut
*Heſychii Mileſii Suidæ*que teſtimonia ſecuti, atheum & paga-
num ſacri Comitem palatii arbitrarentur. *Prima* eſt, quod in 5.
Juſtinianum divinos contulerit titulos, & immortalitatem ſpo-
ponderit Imperatori. Illud moribus adſcribit temporum, hoc
ad famæ trahit perennitatem, ſingula & veterum Autorum
locis, & doctorum hominum autoritatibus, corroborans. *Al-* 8 ſeq.
tera ratio eſt, quod gentiliſmi reliquerit in Digeſtis veſtigia.
Reſpondet Cl. Animadverſionum Autor: 1) *Tribonianum* inta-
cta relinquere maluiſſe veterum JCtorum fragmenta, quam
novis eadem deformare laciniis; 2) veſtigia ethnicæ ſu-
perſtitionis ita eſſe comparata, ut a judice Chriſtiano facile
reſcindi queant; 3) multa itidem inveniri pietatis Chriſtianæ
in Corpore Juris argumenta, quo refert inſcriptionem: *In
nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* *Tertia* ratio eſt, quod
JCtos gentiles aliis, qui Chriſti favebant partibus, prætule- 9 ſeq.
rit. Probat Diſſertationis Autor, non admodum curaſſe *Tri-
bonianum* religionem JCtorum, unde & ſex *Tertulliani*,
Chriſtiani illius, &, ni falluntur Critici, eccleſiæ patris, re-
ſponſa Pandectarum inſeruerit compilationi; ſimulque affir-
mat, amicum *Juſtiniani* eo ipſo, cum JCtorum ethnicorum
leges colligeret, pietatis, juſtitiæ, ac prudentiæ, regulis feciſſe
ex aſſe ſatis: pietati litaſſe, dum nihil admiſerit legi divinæ
contrarium: juſtitiæ, dum Principis voluntatem agendi nor-
mam eſſe voluerit: prudentiæ, dum ea retinuerit reſponſa, ex
quibus per tot Secula jus hauſiſſet S. P. Q. R. Qui ergo ac-
cuſari & malæ mentis poſtulari *Tribonianus* poterit? Jungi- 12.
mus noſtros ſententiæ Cl. Autoris calculos, nihilque reprehen-
ſionis mereri illum pronuntiamus, qui & pietatem, & juſti-
tiam,

tiam, & prudentiam, in re quadam perficienda juxta custodivit. His instructus subsidiis, *Schwarzium* aggreditur, eique
Pag. 13. *primo* exprobrat, aliam plane, ac titulus pollicetur, institutam fuisse tractationem, propositæque examen quæstionis inde non nisi per bonam, ut vocant, consecutionem posse elici: *secundo* nec eas, quas pro pertractato argumento proponit, rationes ita esse comparatas, ut lectorem in partes suas ra-
14 seq. piant. Dum ordinem Digestorum elegantem commodumque laudat *Schwarzius*, id eo limitandum censet Doctiss. Animadversionum Autor, si ad collectorum sub certis rubricis argumentorum conditionem detrudere, nec pro Systemate Juris accipere, Pandectas velimus; quam tamen esse *Schwarzii* senten-
15 seq. tiam, certis motus indiciis, suspicatur. Quod tantam Philosophiæ Stoicæ tribuit præstantiam, ut cum Christianorum Theologia penitus conveniat, vehementer errare *Schwarzium*, nec, ut par erat, lustrasse systematis Stoici fulcra, pro-
18. nuntiat Autor confutationis. Deum Stoicum, quanquam Patribus ecclesiæ, ut ait *Schwarzius*, probatum, nunc mentem divinam a mundo separatam, nunc spiritum mundo immixtum, partemque mundi formalem, denotare, perspicuis veterum Autorum locis evincit, simulque docet, Stoicos & unitatem lædere Numinis, cui minores quasdam divinitates laborum socios adjungant, & perfectioni ejusdem derogare, dum, in gravioribus solum occupatum, minoris momenti negotia negligere, audacter statuant, multa insuper absurda ac impia
19. de fato effutientes. Officia, quæ congeneri præstabant Stoici, præclaram habent speciem, sed, si ad principia redeas, summum merentur vituperium. Sic inimicos eam solum ob causam afficiebant beneficiis, ut ἀπάθειαν suam omnium oculis pariter atque admirationi exhiberent; cum Christianos contra Dei O. M. voluntas & amor eo adigat. Quæ
20. cum ita se habeant singula, merito concludit, Jurisprudentiam, ex Stoicismo, id est, Atheismo ethnico, ductam, a disciplina Christianorum non posse non vehementer abhorrere, certe tam arctam, qualem sibi finxerit *Schwarzius*, statui non posse cognationem.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXXXVIII.

ANNALES MINORUM, SEU TRIUM ORdinum a S. Francisco institutorum, Autore A. R. P. LUCA WADDINGO, Hiberno, S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo. Editio secunda, locupletior & accuratior, opera & studio R. P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA, S. T. Lect. Jubilati, S. & V. Inquisitionis Consultoris, S. C. Consistor. Votantis, Episcop. Examinatoris, Ord. Discreti & in Rom. Curia Commiss. Generalis.

Tomus I, II, III, IV.

Romæ, typis Rochi Bernabò, 1731 & 1732, fol.

Tom. I Alph. 6 plag. 11, Tom. II Alph. 7 plag. 7, Tom. III Alph. 6 plag. 4, Tom. IV Alph. 6 plag. 9.

Cum Annales Seraphici P. *Lucæ Waddingi*, regularis observantiæ S. *Francisci*, rarius inveniri possent ab his, qui istorum tenentur studio, eorundem inopia P. *Josepho Mariæ Fonseca ab Ebora* consilium injecit de nova editione dictorum Annalium cogitandi. Hac igitur mente ad hoc opus se accinxit, ut hanc editionem reliquis redderet accuratiorem, auctioremque. Neque enim solum *Waddingi* vitam, quam P. *Franciscus Haroldus* composuit, *primo Volumini* præfixit, verum etiam Pontificum summorum varias Bullas hinc inde addidit, quæ

nondum cum *Waddingo* editæ fuerunt. Cumque præterea multa ab Autore initio prætermiſſa, deinde addita, & ad *Tomorum* variorum calcem rejecta eſſent, hæc omnia Doctiſſ. Editor ſuis inſerenda locis curavit, & Supplementa P. *Antonii Meliſſani*, ſtrictioris obſervantiæ, Auguſtæ Taurinorum A. 1710 edita, & alia, nondum typis vulgata, adjungenda eſſe exiſtimavit. Ut vero tam priora Secula illuſtraret, quam univerſam hiſtoriam ad noſtra tempora deduceret, in auxilium advocavit Editor Codices MStos, quos P. *Bartholomæus Cimarellus*, ad hoc ipſum a P. *Benigno*, Genuenſi, in Umbriam, Picenum, Tuſciam, & Lombardiam trans-taganam, miſſus, collegit. Inprimis vero uſus hiſtoria *Mariani*, Florentini MSti, quinque Libris diſtincta, ſtilo quidem plus quam humili, imo frequenter barbaro, ſed ſincero tamen, deſcripta, quam ipſi transmitti curavit ex Bibliotheca Ædis omnium Sanctorum Florentiæ P. *Bernardinus a Moncalvo.* Atque hæc quidem hiſtoria *Mariani* non eſt confundenda cum hiſtoria *Mariana*, Hiſpani, qua itidem in rebus Hiſpanicis uſus eſt Editor. In Chronologia filum prætulit, & plurima, eaque graviſſima, monumenta ſuppeditavit, Regeſtum Vaticanum ſummorum Pontificum, conſultis inſuper Archivis, e. g. Aracœlitano, Patrumque Conventualium ad duodecim Apoſtolos in urbe. Circa Coſmographiam, Geographiam, ac Topographiam, præcipuos, tam veteres, quam recentiores, adhibuit Autores, collatis etiam regionum, rerumpublicarum, peculiarium civitatum, & Eccleſiarum, hiſtoriis. Monaſteriorum origines & ſtructuras plurimas ex tabulariis & avtographis membranis eruit, alias ex urbium monumentis & peculiaribus hiſtoriis, ceteras ex *Franciſco Gonzaga*, *Petro Rudolpho*, & relationibus MStis Provinciarum. Ubi vero ex aliorum ſcriptis narrationem texuit, ipſis Autorum verbis uſus eſt, niſi quando ſtili barbaries id prohibuit. Quæ vero in editione Romana & Lugdunenſi vel mutila erant, vel depravata, ea ab Editore integra & emaculata exhibentur. Cumque in exemplaribus Annalium pleraque initia eorum Diplomatum, quæ Romani Pontifices ad res Ordinis Franciſcani pertinen-

tinentia ediderunt, mutila ſæpe atque hiantia fuerint deprehenſa, eadem, facta ſibi poteſtate, ex Bibliotheca Vaticana ſingulis *Tomis* jam integra ſiſtit Autor. Quo factum eſt, ut hi Annales multo jam prodeant auctiores, &, quos ipſe *Waddingus octo Voluminibus* complexus eſt, *decem & octo Tomos* jam ſint confecturi. Nos de prioribus *Tomis quatuor* jam pauciſſimis dicemus, ad ceteros ſuo tempore progreſſuri.

Tomo I, præmiſſa imagine *Waddingi*, æri inciſa, & Dedicatione ad *Clementem XII*, Pontificem Romanum, brevique Præfatione, habetur *Lucæ Waddingi* vita, a *Franciſco Haroldo* copioſiſſime conſcripta, in qua de patria, parentibus, legationibus, libris, & reliquis fatis, dicti *Waddingi* exponitur fuſius. Ipſos Annales præcedit apparatus ad Annales Minorum, ubi de rerum ſtatu & eccleſiæ facie exorientibus Prædicatorum & Minorum Ordinibus, de *Franciſci*, Ordinum conditoris, ortu, patria, educatione, converſione, &c. agitur. Cœpit Ordo Minorum A. 1208, *Ottone IV* Romanorum Imperatore, & *Innocentio III* Pontifice Romano. In hoc igitur *Tomo I* ab origine Ordinis usque ad annum 1220 fata ejusdem recenſentur, adeoque anni 13 Sodalitii illuſtrantur. Hinc docetur, quomodo *Franciſcus*, audita ſacri Codicis lectione, converſus fuerit ad Chriſtum, paupertatem amplexus Evangelicam, veſtem pauperculam ſumſerit, pacem prædicaverit, & paſſionis Dominicæ memoriam renovaverit; refertur regula, quam fratribus præſcripſit, ab *Innocentio III* confirmata, miſſio ſociorum, jam multiplicatorum, ad prædicandum, facto prius periculo illorum virtutis & ſermonis, inſtructio populorum per literas a *Franciſco* ægrotante facta, ejusdemque iter per Hiſpaniam, Luſitaniam, Galliamque, & adventus ad Concilium Lateranenſe, in quo *Innocentius III* Pontifex denuo ejus inſtitutum probavit, & jam ante probatum declaravit, profectio per orientem, cum ſociis, ubi Soldano & Saracenis prædicavit, Syriam Palæſtinam aliasque regiones perluſtravit, in iisque inſtitutum ſuum propagavit.

[Margin: Pag. 3 ſeq. — 66 ſeq. — 105 ſeq. — 146 ſeq. — 196 ſeq. — 224 ſeq. — 284.]

Tomus II incipit ab A. 1221, & hiſtoriam pertexit usque ad A. 1237. Hoc tractu temporis *Franciſcus*, mortuo fratre, *Petro Cataneo*, in Comitiis generali- 1 ſeq.

bus substituit *Eliam*, & sub *Cæsario* Spirensi Ministro fratres in Germaniam misit, tertiumque Pœnitentum Ordinem instituit, cujus habitu *Luchesium* omnium primum donavit,
Pag. 35 seq. Romæ cum *Matthæo de Rubeis*, familiæ *Ursinorum* viro principe, familiaritatem iniit, ejusque filio infantulo Pontificatum prædixit, Ordine per Germaniam, Sueciam, Galliam, incrementa capiente, tandemque A. 1226 Assisii mortuus est. Defun-
163 seq. cto *Francisco*, *Elias* creatus est Minister generalis, quo tempore magna militum expeditio in terram sanctam facta est,
175 seq. & *Franciscus* propter prodigia, quæ afferuntur, solenniter canonizatus est, cujus famam nomenque Pontifex & Cardi-
279 seq. nales hymnis Ecclesiasticis rhythmisque extollunt, decreto pariter in ipsius honorem templo. Spoleti etiam magna cum
426 seq. solennitate canonizatus fuit *Antonius de Padua*, strenuus *Francisci* sectator, & a *Gregorio* Pontifice stigmata *Francisci*
443 seq. diligentius commendata. Præter Annales, in hoc etiam *To-*
503 seq. *mo* leguntur Apologeticus de prætenso Monachatu Augustiniano *S. Francisci*, in quo deteguntur & refelluntur varii errores, ex hac controversia exorti, ejusdemque Apologetici de-
599 seq. fensio, ab ipso jam *Waddingo* elaborata. Accedit denique Regestum Pontificium, in quo habentur Bullæ Pontificum, quæ ad res Minorum quoquo modo spectant, quæque in ipsis Annalibus non exhibitæ fuerunt, ex Regesto Vaticano desumtæ.

Tomus III ab A. 1238 usque ad A. 1255 extenditur, in quo
1 seq. memoratur, Minores a *Friderico* Imperatore pressos fuisse; *Bela*, Hungariæ Regi, auxilio fuisse & ministerio; in regno Valentiæ inquisitores & prædicatores in regno Navarræ in-
82 seq. stitutos; *Bonaventuram* institutum *Francisci* assumsisse, ma-
143 seq. gnosque in eo progressus fecisse; multos Franciscanos in
170 seq. Africam missos fuisse, consecrato fratre *Lupo* in Episcopum Marrochitanum; Comitia Ordinis, convocante Pontifice, celebrata fuisse Aveone, Reginamque Hungariæ, internuntiis Franciscanis, egisse cum Pontifice pro reductione *Vatacii*,
298 seq. Principis Bulgarorum; ipsum Pontificem S. *Claram* languen-
323 seq. tem visitasse, mortuæque cum Cardinalibus exequias celebrasse; Pontificem Minorum opera usum fuisse in Anglia ad tol-

lendos

lendos multos abusus, & in Germania pro tuendo jure Cæsareo, ex iisque inquisitores, legatos, prædicatores crucis, & Episcopos, constituisse. Subjicitur & huic *Tomo* Regestum Pontificium, seu Bullæ Pontificum, ad res Ordinis Minorum pertinentes. Pag. 366 seq. 399 seq.

Tomus IV, qui est ab A. 1256 usque ad A. 1275, inter alia refert, *Joannem Parmensem* Ordinis præfecturam deposuisse, & *Bonaventuram* Balneoregiensis generalem Ministrum electum, contra Prædecessorem, in quibusdam accusatum, processisse; in Bohemia Minoritas inquisitores institutos; *Lupum*, Episcopum Marrochitanum, praeclara multa in Africa gessisse; Minores, fidem disseminaturos, in universas fere infidelium terras se diffudisse, iisque multa & magna privilegia data fuisse; *Bonaventuram* ad Comitia generalia convocasse, in iisque varia condidisse statuta, provincias disterminasse, aliamque habitus formam præscripsisse, legendam S. *Francisci* ex aliis compaginasse, multaque scripsisse utilia (de quibus tractatur copiosius); examen controversiæ Archiepiscopi Trevirensis commissum fuisse Minoritis; quatuor Apocrisarios ex Minoritis ad Imperatorem *Palæologum* missos fuisse; *Clementem IV*, Pontificem post diuturnam sedis Apostolicæ vacationem electum, Minoritis inquisitoribus multa præscripsisse & concessisse; & per eosdem crucem in Hispania contra Saracenos prædicatam fuisse; *Bonaventuram*, indictis Comitiis Assisiatibus, plurima perquam utiliter decrevisse, & Ordines mendicantium contra *Giraldum de Abbatisvilla* viriliter defendisse, ejusque suasu *Gregorium X* electum fuisse Pontificem; tres Prælatos Minoritas cum *Bonaventura* in Concilio Lugduni celebrato œcumenico, in quo unio ecclesiæ Græcæ & Latinæ facta est, insignem præstitisse operam. His denuo accedit Regestum Pontificium, Bullas Pontificum, huc spectantes, referens. 1 seq. 49. 84. 121. 181. 201. 241. 294. 329. 386.

ACTA APOSTOLICÆ LEGATIONIS HELVETICÆ, ab Anno 1723 ad Annum 1729.

Tugii, ex officina Francisci Leontii Schell, 1729, 4.
Alph. 2.

Ut ſuo exemplo publice teſtatum faceret, eſſe etiam his, quos ſummus Pontifex, decoro Nuntiorum nomine & honore ornatos, in exteras ablegare regiones ſolet, ſuas de re ſacra partim promovenda, partim emendanda, graves nobilesque curas, nec, quod plerique, male ea de re edocti, judicant, hos turpi & ignavo otio diffluere; quicquid ipſe intra ſeptem annos in Helvetia Republica pro eccleſiæ ſuæ cauſa negotiorum geſſit, juſto hoc Volumine complexus eſt S. Reverendus literatiſſimusque *Dominicus Paſſioneus*, nunc in Aula Viennenſi Legatus Apoſtolicus, magnum ſuæ & gentis & ætatis decus, Muſarum ocellus, bonorum omnium delicium. Effecit hoc ipſo Venerandus Senex, ut jam omnes intelligant, tantum ab ipſo præſtitum, quantum a viro illis ſacris operante requiri unquam poſſit, omnibusque aliis, in eodem faſtigio conſtitutis, præclarum induſtriæ nunquam fatigatæ exemplum præbuit. Fuerant hæc, quæcunque hic leguntur, maximam partem jam olim ſeorſim publicata, ſed tam exiguo exemplarium numero, ut vix egreſſa unquam finibus Helvetiorum videantur. Ea igitur omnia, ut ad exteras etiam gentes *Paſſioneæ* virtutis fama tranſiret, in concinnum hoc Volumen ſunt redacta, narratura ita iis omnibus, quorum ſcire intereſt, labores improbos & plane ſummos, quibus, ut recte adminiſtrati muneris laudem obtineret, lubens Vir ille meritis & dignitate maximus defunctus eſt. Neſcimus tamen, qui factum ſit, ut hæc ipſa etiam Collectio, jam ante decem annos luce publica donata, ad hunc usque diem noſtros oculos effugerit, nunquam fortaſſis Lipſiam viſura, niſi ipſius munere Autoris nuper demum ad manus noſtras perveniſſet. Hoc magis gratam præſtituri rem Lectoribus videmur, iis etiam, qui alieni ſunt ab illis ſacris, ſed Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ quodam ſtudio tenentur, ſi, breviſſimo eorum, quæ Annalibus his continentur, facto hic indicio, præſentem rei ſacræ in Helvetia ſpectandam faciem dederimus. *Actis* ipſis præmiſſa ſunt partim Præfatio Illuſtriſſ. Autoris, talis ſane, qualem eſſe decebat Viri, ſuæ incrementa eccleſiæ ſerio omnibusque votis expetentis, partim ex *Vita S. Caroli Borromei*, a *Gluſſiano* Itali-

ce

ce conſcripta, locus quidam excerptus, & Latine redditus, unde, primum inſtitutum, mittendi in Helvetiam Legatos Apoſtolicos, deberi S. *Borromeo*, diſcimus. Jam Legationis ipſa *Acta* luſtranti, plurima obveniunt, quæ ad ritus eccleſiaſticos, atque mores Monachorum, ſpectant. Opus univerſum *Sermonibus ſeptem*, *quatuor Epiſtolis encyclicis*, *Decretis duobus*, *tribus*que *Appendiculis*, abſolvitur. *Sermo primus*, 4 non. Sept. A. 1723 ad Monachos Canpidonenſes in Suevia, in ejusdem Monaſterii Æde ſacra, habitus, *Abbatis Coadjutoris electionem rite inſtituendam* proponit; *ſecundus*, coram Monaſterii Murenſis in Helvetia Monachis 5 Cal. Octobr. A. 1723 recitatus, *Abbatis novi electionem* præſcribit; *tertio*, Lucernæ in Æde S. *Leodegarii* 9 Cal. April. A. 1724 publice dicto, renovatur memoria, Senatus decreto quotannis renovari ſolita, graviſſimi incendii, funeſtiſſimum huic urbi ſub Julio II Pont. Max. interitum minantis, ſed Deorum hominumque ope feliciſſime reſtincti, ſimulque *divina Sacerdotum dignitas*, ex eodem Senatus præſcripto, oſtenditur & confirmatur; *quarto*, 4 Cal. Jun. A. 1724 habito, Monachi Monaſterii Diſſertinenſis in Rhætia, *quinto*, 4 id. Jul. A. 1725 recitato, Monachi Fabarienſes prope Sarunetos, de *Abbate novo eligendo* admonentur; *ſexto Epiſcopalis muneris ratio & dignitas*, in conſecratione Epiſcopi Abderitani, Coadjutoris Baſileenſis, exponitur: quam Orationem, etſi publice non recitatam, propterea quod illa conſecratio, præter conſilium ante captum, non intra fines Helvetiæ, ſed in diœceſi Biſuntina, celebrata fuit, dignam tamen, ob argumenti nobilitatem, quam cum ceteris hic publicaret, merito exiſtimavit Autor; *ſeptimus* tandem, d. 10 Cal. Jul. A. 1727 dictus, benedictionem impertitur Antiſtiti *Parthenoni Seedorfenſi*, Ordinis S. Benedicti in Republica Uranienſi. *Epiſtolarum Encyclicarum prima*, d. 13 Cal. Nov. A. 1723 data, Epiſcopis Conſtantienſi, Baſileenſi, Lauſannenſi, Curienſi, & Sedunenſi, frequentem lectionem Opusculi, *Monita ad continendos Sacerdotum mores ex ſacris Conciliis & Eccleſiæ Patribus* inſcripti, Romæ bis, tertium vero, Rev. *Paſſionei* cura, in Helvetia, editi, & *Actis* his adjuncti, commen-

mendat; *altera*, ad eosdem d. 13 Cal. Jul. A. 1724 ſcripta, eccleſiæ ex *Vincentii Mariæ Urſini*, Cardinalis, in ſummum Pontificem electione felicitatem extollit; *tertia*, A. 1726 ad eosdem data, *Inſtructiones S. Caroli Borromei ad Confeſſarios* proponit, priſtinumque in uſum revocat; ad cujus calcem adjecta eſt *Caſparis de Carpineo*, S. R. E. Epiſcopi, Cardinalis Sabini, urbis Romanæ, & ejus diœceſeos, pro *Innocentio XII* Pont. Max. Vicarii generalis, ad Reverendos ejusdem urbis ac diœceſeos Confeſſarios pia Admonitio, ex Italico in Latinum converſa; *quarta* idibus Auguſti A. 1727 ſcripta eſt ad Viſitatores Congregationis Helveto-Benedictinæ, *de nova editione Pſalterii Joſephi Mariæ Cardinalis Thomaſii*, quod, cum ipſa hac Epiſtola, ex Monaſterio Einſidlenſi in lucem exiit. Acceſſit huic Epiſtolæ ejusdem Cardinalis *Thomaſii Indiculus Inſtitutionum Theologicarum veterum Patrum, Jo. Mabillonio* inſcriptus. *Epiſtolas Decreta* duo excipiunt, quorum *alterum* Sacerdotes pulvere pyrio adſperſos accedere ad altare prohibet; *alterum* ad id pertinet, ut novæ Regulæ S. Patris *Auguſtini* & antiquarum Conſtitutionum Hoſpitalis Monaſterii S. *Nicolai* & *Bernardi* in Monte Jovis editioni opera navetur. *Actorum* quaſi Appendicem conſtituit *Jo. Georgii ab Eckhart*, notiſſimi ad ſacra Pontificiorum transfugæ, Epiſtola ad S. Rev. *Paſſioneum*, d. 18 Jan. A. 1724, *de ſua converſione ad Catholicam fidem*, ſcripta, cum reſponſione *Paſſionei*; quorum utrumque A. 1724 Romæ ex typographia *Hieron. Mainardi* ſeorſim prodierat. Quam huic Epiſtolarum pari *Juſtus Fontaninus*, Archiepiſcopus Ancyranus, præmiſit, Præfatio rem ita exponit, ſicut exponi ab illa parte fas fuit, nec multum commovemur verbis: *Eccardus ex hæreſi Lutherana in ſinum ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ*, Leibnitio *felicior & glorioſior, omnium bonorum gaudio, confugit.* Ceterum notiores ſunt cauſæ, quibus permotus, in illud Romanæ Eccleſiæ gremium ſe immiſit *Eccardus*, quam ut fucum facere cuiquam noſtrum poſſit mira illa ſanctitatis & religionis affectatio, qua ſe turpiter in gratiam inſinuare non *Paſſionei* tantum, ſed aliorum etiam, unde ſuis rebus præſidium & dulce decus exſpectabat,

omnium,

omnium, ſtuduit. Illam *Eccardi* Epiſtolam, cujus lectio non uno nomine gratiſſima futura eſt Lectoribus, ad id inprimis, ut artificium hominis cognoſci poſſit, integram huc transſcribemus. Ita ille: *Iterum diuturnum meum ſilentium ſubmiſſe excuſo. Cauſa ejus ſine dubio legitima tibi videbitur. Diu & a multis jam annis colluctatus ſum cum conſcientia mea. Agnovi me a via veræ ſalutis devium; ſed temporalia me commoda huc usque detinuerunt. Animæ tamen cura tandem omnibus prævaluit. Vici obſtacula, rupi vincula, etiam tenerrima, & cariſſima mihi; &, cum aliter per temporis circumſtantias non liceret, nudus aufugi. Reliqui omnia mundi bona, etiam ingenii fulcimenta, Codices veteres, Bibliothecam, Muſeum rebus curioſiſſimis repletum, ſalarium annuum 1500 imperialium, uxorem ſuaviſſimam, cum liberis tribus optimæ ſpei. Hæc pignora ſola mecum eſſe deſidero, reliqua lubens contemno; & maxima mea cum voluptate nudus nudum ſequar Chriſtum. Hæc tibi, Reverendiſſime atque Illuſtriſſime Domine, ante alios, indicenda eſſe credidi. Dignatus me es favore tuo, cum hæreſi infectus eſſem; recipe jam in te patrocinium ad Catholicam fidem converſi. Maxime Reverendi Patres Societatis Jeſu jam amantiſſime, & ſpiritualibus ſolaminibus, & temporalibus etiam, me erigunt. Nolim tamen iis diutius gravis eſſe; &, cum plura didicerim & ex veteribus monumentis, & ex uſu rerum diuturno, quibus magno cuidam Principi, aut, ſi fata velint, Eccleſiæ etiam, inſervire quodammodo poſſim, Te quoque ſubmiſſe rogo, ut, data occaſione, me Romæ, & apud alios Amicos, ubi commoditas ſe offeret, commendatione tua dignari velis. Schannatus, Fuldenſis Hiſtoricus, mihi miſerat Vindemiarum ſuarum exemplar; ſed in iſta animi perturbatione Hanoveræ ejus oblitus ſum. Scribam tamen ei, ut aliud mittat. Eſt vir eruditus, candidus, & indefeſſus in deligendis veteribus monumentis. De meis ſtudiis jam actum erit, niſi Deus viam oſtendat reſtituendi damna perpeſſa. Iterum iterumque me patrocinio tuo ſubmiſſa prece commendo. Literæ, ad me dirigendæ, erunt huc ad Collegium Societatis Jeſu mittendæ. Utinam ab Illuſtriſſima*

 Reve-

Reverentia tua commendatiunculam ad Reverendissimum Nuntium hic loci expetere mihi liceret. Coloniæ raptim, die 18 Jan. A. 1724. Addimus his breviorem Reverendissimi *Passionei* responsionem, plenam gaudii, & *Eccardi* votis omni ex parte respondentem: *Eo momento, quo tabellarius discedere erat paratus, redditæ sunt mihi amantissimæ literæ tuæ, quas sum præ gaudio osculatus. Ad eas, cum morbo molestissimo correptus, in lectulo decumbam, paucis rescribo, mittoque una Epistolam Illustrissimo Nuntio Coloniensi, tui commendatitiam. Per proximum cursorem plura, & commodius. Benedictus interim Deus, qui operatus est in te mirabilia sua. Si qua mea opera, studio, commendatione, juvari potes, universa ab homine amicissimo, præsertim in nova hac tua vocatione, fidenter exspecta, ac vale plurimum. Vix præ morbo manum calamo admovere possum; sed gratissimus tuus de te nuntius statim fere me incolumem reddidit. Interim dextera Domini magnificetur, quæ tibi, sicut olim* Pistorio, Besoldo, Holstenio, Lambecio, *conterraneis tuis, & tot aliis, in Republica literaria, viris summis, ad sinum Catholicæ Ecclesiæ redeuntibus, misericordiæ suæ thesauros aperuit. Nulla mea officia tibi defutura, pro certo habeas velim; teque semper in Domino cupio bene valere, Fili carissime.* Legitur jam inter *Acta Legationis* Libellus integer *Roberti Bellarmini*, ita inscriptus: *Admonitio ad Episcopum Theapensem, nepotem suum, quæ necessaria sint Episcopo, qui vere salutem suam æternam in tuto ponere velit*, ad editionem Romanam anni 1677 cura Rev. *Passionei* typis denuo exscriptus, & cum iis maxime, quibus in electione Episcopi Curiensis competebat jus suffragii, ut, quibus virtutibus instructum esse oporteret novum Episcopum, hinc certo discerent, communicatus. Ultimo loco comparet *Admonitio atque hortatio Legatorum Sedis Apostolicæ ad Pastores in Concilio Tridentino, lecta in prima Sessione*, recens jam edita, &, quod ea omnia, quibus Apostolici Legati munus grave & difficile absolvitur, diligenter exponat, Collectioni huic merito adjuncta.

COR-

CORNELII VAN BYNCKERSHOEK, JCTI & Præsidis, Quæstionum Juris publici Libri II, quorum primus est de rebus bellicis, secundus de rebus varii argumenti.

Lugduni Batavorum, apud Joannem van Kerckhem, 1737, 4. Alph. 2 plag. 9.

Qui omnium judicio de Jurisprudentia Romana immortaliter meritus est Amplissimus Præses *van Bynckershoek*, cum ipse suis se nunc satis Quiritibus dedisse censeat, ad patriam labores literarios convertit, tum ad illam singularem, quæ tanto cive tanquam ornamento proprio gloriari potest, Belgium nempe suum, tum ad communem, quibus mortales continemur, late patentem civitatem. Hic enim est ambitus, quem sibi, Quæstiones Juris publici tractaturo, circumscripsit, ut & ea, quæ ratio inter omnes gentes constituit, expendat, & alterum oculum ubivis ad fœderati Belgii rempublicam convertat, dignum interprete tanto argumentum, cujus peculiaris & quasi propria laus est; obscuris lucem, dubiis robur, & universæ Jurisprudentiæ decus, conciliare. De bellicis rebus, quod & titulus indicat, *primo Libro* tractatur, & LIB. I
in ipso limine de belli definitione, quod Amplissimus Præses Cap. I.
eorum esse censet, *qui suæ potestatis sunt, juris sui persequendi ergo, concertationem per vim & dolum.* Neque enim probat eos, qui solam *vim justam* requirunt, cum omnis in bello justa sit, nec intersit, jus, quod persequimur, veneno, an armis, obtineamus; nec *dolum* excludi patitur, quem admittit ratio, exempla vero gentium, quæ sola vi aperta belligerare voluerunt, non nisi apud eos tollere possunt, qui cum justitia magnitudinem animi confundunt. Negat, indictionem belli II.
necessariam esse, vel ejus intermissione bellum injustum fieri. Olim quarundam gentium, hodie plerarumque Europæarum, moribus denuntiationem obtinere, neque tamen constanter, judicat. Nam & Belgarum illud primum & cruentissimum cum Hispanis bellum indictione caruisse, & *Gustavum Adolphum*,

Germaniam invaſurum, non magis nuntium *Ferdinando II* præmiſiſſe, quam ille Suecis, cum in Boruſſiam moveret.
Cap. III. Poſtquam bellum exarſit, in victum omnia victori licere oſtendit, adeoque captos occidi, vel, quæ in cædis locum ſucceſſit, ſervitute conſtringi, hodie tantum detineri, non ut ſervos, ſed, donec redimantur, ut debitores; eos autem, qui bello ſubito exoriente apud hoſtes deprehendantur, capi poſſe, quamvis hodie vix capiantur, vel quod humanitas diſſuadeat, vel quod impediant pacta, quibus belli ſtatus, ne quos præter opinionem ſubita vis opprimat, per aliquot menſes ſuſpendi ſolet. Addit, in bello ceſſare commercia, quamvis nec ſpeciatim vetita; ſolere tamen nonnunquam permitti vel in univerſum, vel quoad certas merces, & ita belli pacisque
IV. ſtatum quaſi miſceri. In bona cujuscunque generis hoſtibus æquum jus eſſe, & occupatione eorum fieri, ſimul ac intra præſidia ſua deduxerint, ita oſtendit, ut *Grotium*, qui 24 horarum poſſeſſionem more gentium requiri cenſet, refellat, ſimulque decretum aliquod Ordinum Generalium de A. 1666, quod miram quandam de occupatione navium philóſophiam ſecutum eſt, graviter exagitet. Quæ poſtea ſequuntur, tra-
V. ctationes eo redeunt: res mobiles, ab hoſtibus captas, & intra præſidia deductas, hoſtium fieri, nec poſtea, ſi recuperentur, priſtino domino reſtitui, ſed recuperanti cedere, cum nullum ſit prædæ poſtliminium, ne navium quidem, quibus erat Jure Romano. Navim occupatam videri, ſimul ac hoſtis eam ad claſſem ſuam, vel in portum ſuum, deduxerit; nondum eo perductam, ſi recuperetur, ad priſtinos dominos redire, ſoluto tamen recuperatori *ſervaticio*, ſeu mercede pro opera in recuperando collocata, quæ jure Belgarum certa pars navis eſſe ſolet, major vel minor, prout citius aut ſerius ab hoſte recuperata eſt; præſtare tamen, laboris & impenſarum in recuperationem factarum, quam temporis, quo apud hoſtem navis fuit, rationem haberi. Provin-
VI. cias totas ab hoſtibus occupatas videri, quarum pars occupata eſt, & totum regnum, cujus una provincia fuerit apprehenſa, ſi modo victi nihil retinuerint, & victores, quicquid libuerit, appre-

apprehendere possint, neque requiri, ut omnia perambulaverint, sed sufficere, ut progredi possint, quoquo velint. Res hostium, apud hostes, quando bellum exardet, deprehensas, publicari, immobilia, ut nunc mores gentium sunt, annotari, & fructus, quoad belligeratur, in fiscum redigi, quemadmodum actiones creditaque hostium publicari soleant, excepto, quod interdum usu venit, si commercia inter bellum quoque continuentur, quæ, nisi jure liceret experiri, nulla forent. In universum contra hostem hostiliter agi in nostro, hostis, & nullius, territorio, non in terris & ditionibus tertii, adeoque nec in amici portu, nulloque modo defendi posse, quod Angli naves societatis Indiæ orientalis Bergæ in Norvegia oppugnaverint, neque quod *Trompius* classem Hispanorum in Anglorum portu obsederit, nisi factum jure retorsionis excusari posset; licere tamen hosti in aperto mari deprehensum & fugatum ad amicos usque portus persequi, & in prælio terrestri persecutionem usque in provincias amicas extendere, adeoque vim, quam in amica ditione inchoare nefas esset, dum opus fervet, usque in eam, modo sine fraude amici fiat, continuare. Eos, qui neutrarum partium sunt, si bello se interponere nolint, neutri belligerantium quidquam advehere posse, quo alteri noceatur, aut, si casu accidat, ut quis utrique belligerantium fœderatus sit, ab eo non utrique, sed illi, cujus causa justior, auxilia submissum iri. Ad res, quæ ad amicorum nostrorum hostes vehi nequeunt, pertinere omne belli instrumentum, non omnem materiam, ex qua illud fieri posset, nisi quod interdum gentes hostibus suis ea, quæ ad naves construendas necessaria sunt, apportari noluerint. Ad vetitas igitur merces referri vaginas quoque gladiorum, nitrum, non tabacum, ut tamen aliquando ridicule Hispani contenderunt. Obsessis omnino nihil advehi posse ab his, qui neutrarum partium sunt, ne, si aliqua permittantur, forsan id, quo maxime obsessi egerent, simul afferretur, quod etiam de portubus hostili classe cinctis dicendum sit. Quæ illicite advehuntur, publicari, simulque ea, quæ alias apportare licuisset, utique, si utrinque mercis unus sit dominus,

Cap. VII. VIII. IX. X. XI. XII.

 quin

quin & in commiſſum cadere navim, ſi is, ad quem pertinet, vetitas merces imponi ſciverit: quanquam fere moribus gentium obtineat, ut, dimiſſa navi ceterisque mercibus innocuis, illicitæ ſolæ (*τὰ contrabanda*) publicentur. Intercepta
Cap. XIII. hoſtili navi, res amicorum noſtrorum, in illa repertas, publicationi non ſubjacere, quamvis & JCtorum ſententiis, & gentium decretis, aliter interdum obſervatum fuerit, iniquius tamen, cum nulla ratio vetet, quo minus quis ejus navi ad transvehendas merces ſuas uti poſſit, quem amicum habet,
XIV. licet ille tertio ſit hoſtis. Navim amicam, quæ res hoſtium vehat, publicari non poſſe, res hoſtiles inibi repertas jure pu-
XV. blicari. Poſtliminium eſſe, ſi res nobis ab hoſtibus erepta redeat intra præſidia noſtra, vel fœderatorum, non, ſi ad ami-
XVI. cos nulla ſocietate nobis junctos revertatur. Integris populis etiam poſtliminii jus eſſe, provinciasque, quas hoſtes avulſerint, ſi recuperentur, in omnia priſtina jura redire, quamvis hoc non ſemper obtinuerit uſquequaque inter Belgas.
XVII – XX. Quæ poſtea ſequuntur *quatuor Capita, XVII – XX*, ad piraticam ſpectant. Docet hic Ill. Autor, piratas eſſe, qui nullius Principis autoritate prædantur; Algerienſes, Tripolitanos, Tunitanos, Zaleenſes, hoc nomine non cenſeri, cum civitates ſint. Inde disquiritur, quod piratarum forum, quale ſupplicium ſit, quid viris circa privatos, quorum opibus Principes ita utuntur, ut illi navibus, quas exercent, hoſtes deprædentur; num poſſit ejusmodi navis prædatoriæ navarchus inſciis exercitoribus cum alio de ſocietate prædæ, quam capturi ſunt, paciſci; quousque exercitores navis prædatoriæ teneantur de damno injuria dato; & cujus ſit præda, quam navis, non prædandi cauſa emiſſa, cum tamen occaſio forte tuliſſet, ceperit, dominine navis, an magiſtri & epibatarum; & ſimilia. *Capite*
XXI. *XXI* oſtenditur, aſſecurari non licere naves & merces, quæ jure belli & occupari poſſent & publicari; ubi nullum jus occupandi, nihil eſſe, quod aſſecurationem impediat; *Capite*
XXII. *XXII*, Principem amicum ex amico populo poſſe militem conducere, niſi lex prohibeat, ne quis incolarum civitatem mutet, ut apud Chinenſes, Ruſſos, Anglos, & Francos, prohibetur;
Capite

Capite XXIII, ſingulis Belgii fœderati provinciis, utpote ſui juris, etiam jus belli eſſe; quamque provinciam, ab extero Principe laceſſitam, ſi a ceteris fœderatis non ſuccurratur, arma jure ſumere, invitas pro cauſa communi bello involvi non poſſe. Denique *Capite XXIV* de repreſſaliarum natura & indole, & a quo ad eas, & quando, perveniri poſſit, & quomodo apud Belgas permittantur, diſputatum leges. Atque hæc *Libro primo* comprehenduntur; *ſecundi* eadem ſpecies & tractandi ratio, ſed major varietas argumentorum, eſt, & Ampliſſimus Præſes ab illo bellico tumultu ad diverſas, nec inter ſe connexas, quæſtiones, de rebus, quæ & in pace obtinere poſſunt, ſe convertit, de quibus paucis dicere operæ pretium eſt. Cap.XXIII. XXIV.

Itaque *Capite I* demonſtrat, Comitum poteſtatem in Belgio fœderato d. 26 Jul. A. 1581 ceſſaſſe, quo *Philippo II* imperium ordines abrogarunt, adeoque leges ejus & privilegia, ante hunc diem data, ſine dubio valere, quamvis diu ante illum diem bellum exarſerit, ſiquidem non contra ipſum Comitem ſuum, ſed contra Proreges & Præſides, ab eo conſtitutos, bellatum ſit. *Capite II* oſtenditur, neminem conſiliorum ſuorum de republica eventum, ſed fidem, præſtare teneri, neminem etiam, qui juſſa Principis ſui peregerit, eo nomine puniri poſſe, adeoque acta contra *Barneveldium*, *Hoogerbeetſium*, & *Grotium*, non alio jure niti, quam quod Prætor reddere dicitur, etiam cum inique decernit. Quæ poſtea ſequuntur *Capita ſeptem*, *III – IX*, Legatorum jura tangunt. Hinc diſcimus, Legatos non mitti a ſubditis ad Principem ſuum, adeoque factum *Philippi II*, qui nobiles Belgas, primorum motuum tempore, cum illi nondum liberi populi jura conſecuti eſſent, ad ſe miſſos, occidit, ſtricto jure defendi poſſe. Ut quis jure mittat, ſupremam poteſtatem ſufficere, neque, an ſit legitima, quæri. Singulas fœderati Belgii provincias jure Legatos mittere de rebus ad quamque provinciam ſeparatim ſpectantibus. Singulas enim ſui juris eſſe, niſi quatenus illi juri fuerit in fœdere renuntiatum. Legatos mitti non facile poſſe exules, ad eum Principem, a quo exulare juſſi ſunt; ut fœmi- LIB. II Cap. I. II. III – IX.

fœminæ mittantur, nec rationem obſtare, nec prorſus uſum. Accedunt his aliæ belliſſimæ quæſtiones, lectuque jucundiſſimæ, de Legatis, qui mandatum arcanum ſupergreſſi ſunt, de auditorio publice ipſis dato, de donis & muneribus, & quæ fas ſit acceptare, vel non ſit, de prærogativa & honoribus Legatorum, & de præcedentia minoris Principis præ Legato,
Cap. X. qui majorem repræſentat, & quæ ſunt hujus generis alia. *Decimum Caput* inimiciſſimam illam fidei publicæ Jurique gentium *rationem ſtatus* debellat, & graviter in periculoſam de non ſervandis pactis, niſi qua civitati expedirent, ſententiam
XI. inquirit. Porro *Capite XI* oſtenditur, nullam eſſe rationem, quæ peregrinos a muneribus reipublicæ ſemoveát, utique ſi digniores ditioresque ſint; Belgas talionis jus ſequi, & peregrinos, ex illis locis, ubi nec Belgæ, admitterentur, oriundos, in quibusdam vero muneribus, ut Syndici & Scribæ, omnes
XII. omnino, excludere. Ceterorum *Capitum* hæc ſumma eſt: Jurisdictionem, quamvis olim apud Romanos mandari potuiſſet, hodie non poſſe, certe apud Belgas, nemini nunc eſſe propriam jurisdictionem, niſi uni Principi; hunc magiſtratibus eam mandaſſe, mandatarium vero eam mandare iterum
XIII. non poſſe, haud dubitari. Quod univerſitas debet, ob illud ſingulos nec conveniri, nec damnari, niſi Princeps nominatim cives ſuos obligaverit, quod jus magiſtratibus urbium
XIV. non competit. Muros exſtruere ſine autoritate Principis non licere, collapſos inſtaurare, ſine ea fas eſſe, niſi forte plane ſublati & ex integro renovandi ſint: atque ita capiendum eſſe *Ulpianum*, qui *l. 9 §. 4 ff. de rer. diviſ.* Principis con-
XV. ſenſum etiam ad refectionem requirit. *Dominium*, vel, ut melius cum *Thomaſio* diceretur, *imperium eminens*, non minus utilitate publica niti, quam neceſſitate, non tamen voluptatis cauſa & ad ſplendorem civitati conciliandum exerceri poſſe,
XVI. nec ſine refuſione pretii ex arca communi. Criminis gratiam fieri, pœnamque mitigari, a ſolo Principe; magiſtratus, qui ſibi ſimile quid arrogarent, poteſtatem exceſſuros: quo etiam pertineret, ſi criminis ſocium, impunitate promiſſa, invi-
XVII. tarent ad delationem. Judicem exilium non niſi quoad territo-

ritorium suum indicere, & desipuisse Hollandos, quorum judices inferiores facinorosos ex universa Hollandia relegare voluissent, nisi tale quid specialiter in certis criminibus lege permissum fuerit. In constituenda religione singulas fœderati Belgii provincias sui juris fuisse, donec d. 27 Jan. A. 1651 inter se convenirent, ut Calvinianismus defenderetur, & eam religionem quæque provincia apud se tueretur. Singulis provinciis jus esse præscribere formulas precum publicarum, quæ in ecclesiis adhiberentur, & injuria Clericos insurrexisse contra illam, quam ordines Hollandiæ d. 13 Mart. A. 1663 constituerant. Pacis Monasteriensis *Paragraphum* 4 non prodesse Clericis Pontificiis, ex Belgio Hispanico, nunc Austriaco, in fœderatum venientibus; statui quidem in illo, ut subditi & incolæ terrarum Hispanicarum in Belgium libere venire possint, sed hac libertate non comprehendi criminosos, Clericum vero Pontificium esse, in Belgio fœderato ante pacem crimen fuisse, adeoque salva pace hanc adveniendi licentiam in Clericis, quippe proscriptis, limitari posse. *Capite XXI* de reverentia, quam naves navibus, submisso aplustri & supparo, præstant, præsertim vero de facto *Caroli II*, Angliæ Regis, qui navim suam lusoriam ab universa Belgarum classe salutari voluit, disputatur, nec non de resarciendo damno, quod navi ob intermissam salutationem datum est. Quibus omnibus succedunt *Cap. XXII* variæ de vectigalibus & tributis quæstiones, & *Capitibus XXIII & XXIV* aliæ binæ, quibus modis Ordines generales litibus & controversiis singularum provinciarum se immiscere, & qua ratione dissentientes provincinciæ conciliari, possint. Illud denique prætereundum non est, quod utriusque *Libri Caput* ultimum decadem mixtarum quæstiuncularum contineat, quæ ejusdem generis & elegantiæ, sed brevius pertractatæ, sunt. Tenuit enim Amplissimus Præses eandem in his *Quæstionibus* rationem, quam in *Observationibus Juris Romani*, quarum singuli *Libri Capita XXV*, & ultimum cujusque *Caput* plures emendatiunculas, continere solent. Idem in hoc Opere *Capitum* numerus, & eadem in postremis *Capitibus* methodus; sed, quod long

Cap. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.

majus eſt, idem elucet in hoc Opere, quod in ceteris ejus omnibus, ingens judicii acumen, eadem dicendi vis, & in elegante concinnitate vivida virtus, eadem in reprehendendis erroribus ſeveritas, quibus omnibus propria dos harum *Quæſtionum* accedit, acuta juris, quod ratio conſtituit, inquiſitio, & morum, a gentibus Europæis, præſertim vero Belgis, receptorum, gravis ad decreta rationis applicatio, &, quod ubivis deprehendas, liberrimum de maximi momenti rebus, inprimis Belgicis, judicium, ut facile unusquisque judicaturus ſit, hoc Opere Juris publici, monumento laudum *Bynckershoekianarum*, quod laboribus de Juri Civili ſuſceptis fundatum & excitatum eſt, nunc additum iri complementum.

M. MINUTII FELICIS PRO SE ET STAtu ſuo Epiſtola Apologetica ad F. O. M.

Cogitanti tibi * poſt hanc Epiſtolam allatam, & *cum animo* tuo Virorum hujus veſtræ ætatis clariſſimorum, cum quorum pluribus jucundum literarum commercium dubio procul tibi intercedit, *memoriam recenſenti*, ut nempe hariolеris, a quo profecta ſit, en! prima verba indicant, eam ſcriptam eſſe ab homine dudum mortuo, *Minutio*, fori Romani cauſidico, ut recordaris, *Octavii* autore. Stupebis ad rem novam & inſolitam, &, qua ad te via pervenerit, maxime miraberis. Sed id narrare nondum licet, &, cum te mihi plures ut Virum bonum laudarint, te nec *moleſtum* mihi eo nomine fore, nec *inquietum*, nec *etiam impudenter curioſum*, prorſus confido. Ego te aliquando ipſius rei *imperitia*

* *Epiſtola hac incerto Autore ad nos pervenit, nec facile quemquam tam credulum ſuſpicamur, ut, eam ab* Octavii *Autore ſcriptam eſſe, huic* Minutio *credat. Autorem tamen eſſe vero* Minutio *amicum, & ſedulum* Octavii *lectorem, ſatis innuunt multa locutiones, ex* Octavio *profecta, quas, ut facilius dignoſcantur, literis Italicis exprimi curavimus.*

ritia liberabo, & tunc, *nihil monſtri, nihil portenti*, latere, ipſe fateberis lubens: interea, me etiam tacente, facile tua ſponte intelliges, cauſam mihi eſſe admodum gravem, quæ me ad tale quid audendum impulit. Nempe, quod neque mihi vivo factum eſt, nec poſt mortem meam eventurum unquam ſperavi, hoc nuper admodum mihi accidiſſe audivi: dubitari de ſtatu meo, & numero Jureconſultorum me eximi a nonnemine, quem eſſe excellenti eruditione, nonnulli JCtorum manes, noviſſime accedentes, percontanti retulerunt, ingenio quoque eſſe eximio, ipſe magno meo malo expertus ſum. Cum autem injuria mihi facta ſit, & major, quam ut a me diſſimulari poſſit, & gravior, quam bonus ille Vir exiſtimat, defenſore opus habeo; & quo utar magis, quam me ipſo? cum illa cauſa neminem propius attingat; præterea populares mei, *Tertullianus*, & *Cyprianus*, quibus hic familiariſſime utor, & quos amico veteri ſua eloquentia affuturos credebam, prius, quam rogare poſſem, apud me fuerint conqueſti, ſe non minus illo autore & actore de forenſi gloria periclitari; denique conſulenti acutiſſimus quidam reſponderit: valde verendum eſſe, ne, ſi alterius opera in hoc diſcrimine uterer, Adverſarius illud in rem ſuam vertat, &, ducto inde argumento, omnibus illis, quæ adhuc attulit, fortiore, pertinacius contendat, Cauſidici perſonam, quam ne nunc quidem in propria cauſa mihi ſumerem, etiam vivo defuiſſe. Conviciis omnibus abſtinuit Adverſarius: multo magis ego abſtinebo, qui apud plures ſum. Ceterum idem noſter accuſator pro æquitate ſua *ſuſtinebit me, impetum ſuſceptæ defenſionis liberius exſerentem*, patietur negari nonnulla, refelli aſſerta, retorqueri tela, *vires actionis infringi:* neque enim fieri poteſt, ut in pugna unusquisque *ſingula habeat illibata & integra.* Eſt autem pugnæ ſpecies juſta defenſio, cujus ceteroquin in omni jure favorem eſſe longe maximum, abunde conſtat. Sed ad ipſam rem accedam.

Heineccius, Halenſis, ut ex Adverſario comperi, Theologus, me in JCtorum numerum retulit, &, extra dubium id

 poſitum

positum esse, alicubi scripsit. Maluit Noster, dubitatum fuisse ab eo, eamque ob rem, quod *Heineccius* facere noluit, a se fieri debere, credidit. Ut error, inquit, agnosceretur, mallem ego, ut veritati locus superesset, *quæ obvia est, sed requirentibus. Pyrrhonis*, sapientis, non e vulgo, *Arcesilæ*, *Carneadis*, *Academicorumque plurimorum*, imo, ut ferunt, novi Galliæ *Pyrrhonis*, & qui eum sequuntur, *in summis quæstionibus fuit tuta dubitatio.* Nec longe ab hac secta abfui, qui ipse de re omnium maxime ardua, *lapidibus effigiatis, unctis, coronatis*, quos Deos credebam, de Numinum multitudine, *quæ a parentibus ante imbutus eram timere, quam nosse familiarius*, de *religionibus traditis*, felicissime dubitavi; multis tamen & eximiis viris in unum conspirantibus, neutiquam *temere & audaciter in alteram partem ferendam esse sententiam*, pro certo habui, dum vixi, omnium autem minime, quando illud cum alicujus injuria conjunctum est, qualem mihi factam esse, & jam conquestus sum, & infra clarius ostendam. Sane ineptus fuisset *Heineccius*, si sibi uni, tot Seculis post nato, in re tam antiqua credi voluisset. Sed rectius sentient de Viro, mihi, ut videtur, amicissimo, posteri, quando intelligent, non temere in hac re *tulisse sententiam, sed credidisse prioribus*, testibus duobus classicis, *Lactantio*, qui a mea ætate non procul abfuit, & *Hieronymo*, qui seculum illi, in quo ego vixi, proximum sua non magis pietate, quam eruditione, illustravit. Sensit gemini testimonii, omni exceptione majoris, pondus Adversarius, cui ut detrahat, plenissimæque in Jure probationis fidem mihi eripiat, vult, *Hieronymi* oculis, cum sua scriberet, locum *Lactantii* esse obversatum, adeoque *Hieronymi* autoritatem non esse aliam, quam *Lactantii*, quod ipsum quo Autore scribat, cujus fide afferat, ego quidem audire mallem. Non patiuntur hoc verba, non ipsa res. Non verba, quod *Hieronymus* me altero loco *insignem Romæ Causidicum*, altero in loco *Causidicum Romani fori*, appellat; *Lactantius* autem *non ignobilis fuisse inter Causidicos loci* dixerit, quarum formularum nulli cum reliquis convenit. Non res, nisi contra omnem veri speciem

ciem tibi persuadere malis, vel me, meumque *Octavium*, uni *Lactantio* innotuisse, vel *Hieronymum* in comparanda Scriptorum Ecclesiasticorum notitia unum sibi delegisse *Lactantium* Autorem; cum tamen ille in utroque loco plura de me habeat dicatque, quam hic, & cum hujus ipse in utroque loco mentionem faciat, in altero etiam moneat, hunc mei in libris suis meminisse, se ipsum unum *Lactantium* esse secutum, non adjiciat. Neque tamen substitit in hoc inimicus Adversarii mei impetus, qui potius, rejecto, ut existimat, *Hieronymo*, in eo totus est, ut & *Lactantium* mihi extorqueat, ideoque eum id non scripsisse contendit, quod *Hieronymus*, imo omnes, quotquot fuerunt, literati homines, illum scripsisse, hactenus existimarunt. Ea fini observat, *Tertullianum* meum aliquando *Miltiadem* appellasse Ecclesiarum Sophistam, sive Advocatum, non quod Advocatus professione fuerit, sed quod Apologetico suo Ecclesiarum causam apud gentiles egerit. Interrogavi nuper *Septimium* meum, cum de hac ipsa re sermones cederemus, qualis ille *Miltiades* fuerit, & num ipse, causas eundem orasse, sit inficiatus, &, fuisse omnino Sophistam *Miltiadem*, nec se unquam eo fuisse animo, ut illud negaret, licet in Apologetico iste causam etiam Christianorum oraverit, mihi sancte affirmavit. Sed valde vereor, ne nobis mortuis exiguam ille vivus habeat fidem, cui veri videtur similius, a *Lactantio* esse *Tertulliani* exemplo scriptum, *fuisse me non ignobilem*, non inter Causidicos *fori aut loci*, sed *inter Causidicos Ecclesiæ*. Vide, quæso, o bone, si ulla tibi est in vita functos pietas, longam injuriam, longas ambages, & quam multa Vir cetera doctus & acutus sibi dari postulet. Primum, *Lactantium* scripsisse: *inter Causidicos Ecclesiæ;* alterum, librarium aliquem nescio qua usum esse in hoc loco nota; tertium, alium librarium inscitum hanc notam corrupisse, &, *inter Causidicos loci*, substituisse; quartum, hoc non contigisse nudius tertius, sed *Lactantio* pæne vivo; quintum, *Hieronymum* corrupto illo Codice esse usum, indeque suum *Causidicum Romæ & Romani fori* hausisse; sextum, neminem *Hieronymum* vel posteros de

 tanto

tanto errore monuisse; septimum, illum *Hieronymi* Codicem, vel saltem inde descriptos, ad hanc vestram pervenisse ætatem, exempla lectionis veræ autem periisse omnia. Hæc, ut mitissime dicam, facti sunt, adeoque ex Jureconsultorum regulis non conficienda, sed probanda. Utinam Viro docto placuisset, tam benevolo animo *Octavium* meum legere, quam diligenti cura id ab eo factum est, *discussa dubitationis caligine*, quæstio de statu meo *tenebris in lucem veritatis emersisset*, fuissetque Nostro facile, ex libello illo exiguo, qui tamen ætatem tulit, varia artis, quam vivus professus sum, deprehendere vestigia. Omnis illa *Cæcilium* inter & *Octavium* disputatio judicii imaginem habet, qua specie uti non facile solent, nec satis norunt, nisi ii, qui artis periti sunt, & in judiciis versantur. Cum Ostiæ ita assedissemus, *ut illi duo me, ex tribus medium, lateris ambitione protegerent*, in *Octavio* moneo, *non hoc obsequii fuisse, aut ordinis, aut honoris, quippe cum amicitia pares semper aut accipiat aut faciat, sed ut arbiter & utrique proximus aures darem, & disceptantes duos medius segregarem.* Mox *Cæcilius* me cohortatur, *in præsentiarum ita informandum animum esse, ut libram teneam æquissimi judicis, nec in alteram partem propensus incumbam, ne non tam ex istis disputationibus nata sententia, quam ex* meis *sensibus prolata, videatur.* Idem inter dicendum rogabat, *ut impetum susceptæ actionis liberius exserentem sustineamus.* Idem *Cæcilius*, cum post actionem suam finitam plaudere & exultare videretur, a me repressus, *decedere me officio judicis religiosi* conqueritur, *esseque perinjurium, vires me actionis suæ intergressu gravissimæ disputationis infringere, cum* Octavius *integra & illibata habeat singula, si posset refutare.* Postquam *Octavius* quoque peroraverat, *Cæcilius* fatetur, *se non exspectare sententiam*, ego vero, *quod maxima judicandi mihi invidia detracta fuisset*, sum gavisus. *Et quid potest esse tam apertum, tam confessum, tam perspicuum*, quam sunt illa verba in *Octavio* de me ipso, *me Ostiam petiisse, amœnissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris*

blan-

blanda & apposita curatio. Sane & ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverint. Atqui, inquit Adversarius, judicem *Minutium* fuisse, nullo testimonio constat. Et quis credat, Christianum hominem illa tempestate fuisse unum e judicibus. Sed idem *longe a vicinia veritatis aberrat*, si his verbis consequentiam inesse putat: *Minutium*, Seculi tertii hominem, cujus pauca folia supersunt, judicem fuisse, dum vixit, non constat, ergo nec fuit. Fui omnino judex, & inter partes sæpenumero sedi medius, licet doleam, omnem actorum, quæ me judicante intervenerunt, memoriam intercidisse, ideoque hanc rem nunc unice proprio inniti testimonio, cui, si etiam juratum foret, exigua in jure fides. Efficiam, quod possum, & illustri exemplo ostendam, saltem in Causidici persona nihil esse, quod vetet, eundem in aliis causis, quam quibus patrocinatur, sedere judicem. Quis est inter Romanos Causidicos & Oratores excellentior *M. Tullio Cicerone*, quem tamen arbitrum fuisse, & tum, littus esse, quousque maximus fluctus a mari pervenit, primum constituisse, *Celsus*, JCtus, *Lib. XXIII* * *Digestorum* scriptum reliquit. Nec in illis halcyoniis diebus, quibus tunc temporis Ecclesia fruebatur, magis impediebar judicis officio, quam Advocati munere, fungi. Christianos autem ista tempestate a foro non fuisse exclusos, vel ex eo colligere potuisset Adversarius, quod *Hieronymus* in *Lactantii* verbis, sive integris, sive corruptis, quibus *non ignobilis loci Causidicus* dicor, nihil monstri, nihil a Seculi mei usu alienum, repererit. Verum enim vero, ne ego, cui mortuo omne mentiendi arbitrium est ademtum, imprudens mortalibus, qui nunc sunt, erroris, qui a mendacio prope abest, causa existam, ingenue fateor, me eo autumno, quo cum *Cæcilio* & *Octavio* Ostiam petii, inter judices non fuisse; causas tamen orasse, & eatenus curis judiciariis fuisse constrictum. Quod enim tenere videtur Adversarius, curam judiciariam unice esse judicum, curam Advocatorum dici forensem aut Causidicorum, in eo *errat & fallitur*, quod vox *judiciaria* non magis

* Firmatur hoc *l. 96 D. de verb. Sign.* in qua illa *Celsi* verba sunt servata.

magis a judice, quam a judicio, descendit, cujus omnino eximia portio sunt utriusque partis Advocati. Ne & hic animo Lectores fluctuent, ad legem Juliam judiciorum, JCtis cognitissimam, provoco, quam meæ ætatis prudentes, &, ut unum nominem, cujus plurima fragmenta exstare audivi, *Herennius Modestinus*, *judiciariam* appellarunt. * Quod autem in *Parergis* vestris idem scripsit: *verba mea, ad vindemiam ferias relaxasse curam judiciariam, me ipsum statim interpretari, fuisse tum æstatem autumno proximam, quod judicum feriæ præ ceteris essent conspicuæ*, nollem excidisse Viro, quem ob doctrinam egregiam non possum odisse. Non observavit ille, duas fuisse causas, quæ me tum temporis, ut probe memini, Ostiam petere suaserunt, alteram mihi peculiarem, a loci ingenio petitam, *quod corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris blanda & apposita esset curatio*, apud quas *balneas*, & in ipsis *ad* earum *tutelam factis* & *in altum procurrentibus petrarum obicibus* ea die, qua disputatum est, *resedimus*, ut vel *aura in littore adspirans requiescentium membra leviter vegetaret:* alteram mihi cum paucis meæ sortis hominibus communem, a tempore, quo mihi Roma abesse licebat, desumtam, *quod ad vindemiam feriæ curam judiciariam relaxavissent.* Iis, quæ sequuntur: *nam id temporis post æstivam diem in temperiem semet autumnitas dirigebat*, non priora interpretor, non causam profectionis, quæ esset futilis: Ostiam peto, quia autumnus est, allego, sed ex facta vindemiæ mentione occasionem arripio, tempus rei gestæ, quod nondum feceram, curatius designandi. Ex loco *Augustini* recte observatur, ad vindemiam ferias curas non tantum judiciarias, verum etiam scholasticas, relaxasse, cujus tamen autoritatem negligo, quod, cum in ephebis essem, relicta schola vacua, quotannis *jam temulentæ vindemiæ* ipse interfui. Hoc scire malim, si *Augustinus*, de feriis vindemialibus scholasticis locuturus, dixisset, se ideo ordinario munere

* Verissime *Minutius* noster. Fragmentum enim superest in *L. un. §. 4 D. de Ambitus.* Confer, si lubet, *l. 4 D. de Test.* ibique *Gothofredum*, & adde *Brissonium Antiqu. Lib. IV Cap. 7.*

munere non fungi, quod ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverint, & ſciſcitantibus, num judicis, aut litigatoris, aut cauſidici, perſonam ſuſtineret, nihil ſibi cum judicio eſſe negotii, coram ingenue reſpondiſſet, num ſatis ſe excuſaſſet, novam dicendi formulam mirantibus, ſi addidiſſet, ob muneris judiciarii eminentiam ſe voluiſſe dicere: vacare ſcholam, quod ſit autumnus. Atqui, inquiet nonnemo, num multam tua intereſt, mi *Marce*, te apud poſteros pro Cauſidico non haberi? Imo vero permultum. Primum illud ad honorem atque exiſtimationem pertinet, cujus tuendæ bonis omnibus, non vivis modo, verum etiam mortuis, ut vides, eſt naturalis, eaque honeſtiſſima, cupido. Jureconſultis, qui fiducia ſui de jure reſpondendo effecere, ut ipſorum domus urbis oracula haberentur, nec vivus accenſeri volui, nec volo mortuus; Juris tamen fuiſſe peritum, oratorem fori, adeoque in aliqua celebritate verſatum, verecunde contendo. Deinde id, quod de me *Hieronymus* ſcripſit, quod apud *Lactantium* legitur, veri portio eſt, cujus vel aliquam partem nemo pulcherrimæ rei amans facile intercidere patitur. Denique, quod ultimum & graviſſimum eſt, Adverſarius, me non fuiſſe Cauſidicum, ſe ſcire putat; quis fuerim, qua alia arte floruerim, dicere nec vult, nec poteſt. Quid itaque mihi aliud exſpectandum eſt, ſi ille vinceret, quam ut propediem hoſtis adhuc truculentior exoriatur, qui me, ex albo Cauſidicorum expunctum, *latebroſæ cuidam lucifugacique nationi*, *profanæ plebi*, *hominibusque de ultima fece collectis*, adſcribat. O me tantum non capite minutum *Minutium!* O *Felicem* minus poſt fata felicem! Quare, Vir optime, & mei, ut puto, ſtudioſiſſime, *intende in homine*, dum vixit, de foro, de eloquentia Romana, de fide denique Chriſtiana, non male merito, & laborantis miſertus, hæc Apologetica Epiſtola ne a Viris doctis ignoretur, quo potes, modo effice. Da hanc *ſpem afflicto*, *hanc opem miſero*, *hoc ſolatium* calamitoſo: ſic tu decora ex literis fama vivus diu fruaris. Sic eandem *poſt mortem & cineres* ab ſimili injuria tutam habeas atque illibatam. Vale.

PHYTANTHOZAICONOGRAPHIA, SIVE Conspectus aliquot millium, tam indigenarum, quam exoticarum ex quatuor mundi partibus, longa annorum serie indefessoque studio a JOANNE GUILIELMO WEINMANNO, Dicasterii Ratisbonensis Assessore, & Pharmacopola seniore, collectarum, plantarum, arborum, fruticum, florum, fructuum, fungorum, &c. quæ nitidissime æri incisæ, & simul diu desiderata ac recens inventa arte, vivis coloribus, & iconibus, naturæ æmulis, excusæ & repræsentatæ sunt a BARTHOLOMÆO SEUTERO, JOANNE ELIA RIDINGERO, & JOANNE JACOBO HAIDIO, Pictoribus & Chalcographis Augustanis; quarum denominationes, characteres, genera, species, & descriptiones, ex optimis, tam priscis, quam neotericis, Autoribus, ordine ac serie alphabetica, cum probatissimo usu medico, pharmaceutico, chirurgico, ac œconomico, Latino & Germanico idiomate, sincere explicantur, a D. JOANNE GEORGIO NICOLAO DIETERICO, Sacræ Cæsareæ ac Catholicæ Majestatis Consiliario, Serenissimi Principis Furstenberg-Stublingensis Medico ordinario, ac Reipublicæ Ratisbonensis Physico. Volumen primum, continens literas A. & B.

Ratisbonæ, per Hieronymum Leurium, 1737, fol.
Missus sextus continet plag. 9.

Voluminis hujus *Partes* priores jam alio tempore descripsimus. Quem nunc in manibus habemus, *sextus* est Missus plantarum, vivis iconibus expressarum, naturæ, quantum fieri potuit, proxime accedentibus. Quamvis enim nec picta bella militem, nec picta herbaria Botanicum, efficiant; placere tamen possunt ejusmodi non inelegantes rerum declarationes, eo magis, quod descriptiones, ex

ex optimis quibuscunque Autoribus selectæ, de viribus plantarum observationes pictoris industriam vel sublevent, vel suppleant. Sequuntur plantæ, quarum nomina alteram Alphabeti literam præferunt; de methodo enim sollicitum esse noluisse Autorem, jam alia occasione dictum fuit. Utilitate magis, quam subtilitate, placere studuit. Invenient medici, pharmacevtæ, patresfamilias, rerum scitu dignarum copiam; nec Botanici, qui characteris & ordinis in enumeratione plantarum, quam virtutum medicarum, studiosiores esse solent, sine laude dimittere Opus poterunt. Laboribus enim neutiquam pepercit industrius Autor; methodorum principes, *Bauhinum*, *Rajum*, *Morisonum*, *Malpighium*, *Tournefortium*, *Bœrhavium*, sollicite inspexit, quorum placita adducuntur; synonymiam, polyonymiam, & homonymiam, annotavit sedulo; species generibus suis subordinavit admodum raras, quas vel *Weinmannus* Herbario suo collegerat, vel eruditi, inter quos celebratur *Burmannus*, transmiserunt. Qui accuratiore plantarum delineatione delectantur, vellent genuini florum fructuumque characteris uberiorem declarationem a pictore exprimi. Hoc desiderio expleto, quod haud difficulter fieri poterit, magnum famæ augmentum capiet liber. Parvo constitisset labore, *Drymopogonis* seu *Barbæ caprinæ* (*Tab.* 229) flosculos legitimos paucis lineis expressisse cum staminibus, quæ plantæ huic insignem conciliant elegantiam. Nec magna opera erat, plantas recentes ante oculos habuisse, & florum signaturas attente lustrasse. *Bardanæ* flosculi, ex quibus flos componitur, cum pistillo bicorni, significantius apponuntur *Tab.* 232, sicut plurimas plantas & nitor & accuratio commendat, ex quo rei facilitas elucet. Neque aliam, quam commodi publici, in gratiam hæc dicta volumus; ajunt enim, quod semel fit, id splendide fieri debere. Id potissimum eleganti libro haud levem parit gratiam, quod exoticarum, quæ ad rem medicam faciunt, plantarum sollicita hinc inde descriptio ex optimis quibuscunque Autoribus data fuerit. *Bdellifera* arbor habetur *Tab.* 232; *Nucis myrepsicæ*, seu *glandis Ben unguentariæ*, frutex *Tab.*

 240;

240; nec dubium eſt, eodem officio Autores porro placere velle eruditis. Onomatologia plantarum in omni methodicorum rigore non ſemper obſervatur; methodus enim libera eſt, & nomina valent, ſicut numi, ex arbitrio imponentium. Ceteroquin *Bellis Myrtifolia humilis* nec *Bellis*, nec *Canna*, eſſe poteſt, ſed *Borraginoidis Bœrhavii* iconem videmus; *Bugloſſum anchuſa minor*, flore galeato depictum, a *Bugloſſi* indole longiſſime abeſt; *Galeopſidis* cujuſdam ſimulacrum exhibetur. Faveat ſucceſſus porro exſpectationi publicæ.

ELIÆ FRID. HEISTERI, LAURENTII Filii, Apologia pro Medicis, qua eorum depellitur cavillatio, qui, Medicinam in atheiſmum aliosque in Theologia errores abducere, perhibent, & qua ſimul præſtantiſſimi quidam Medici, nominatim vero HIPPOCRATES, GALENUS, CARDANUS, TAURELLUS, VANINUS, & BROWNIUS, qui atheiſmi crimine commaculati fuere, defenduntur.

Amſtelodami, apud Janſſonio-Waesbergios, 1736, 8.
Plag. 13.

In Præfamine Cl. Autor rationes aperit, quibus permotus, hanc Exercitationem conſcripſerit, & inprimis oſtendit, criminationem illam, qua Medici atheiſmi accuſantur, tam gravem & ignominioſam eis eſſe, ut ſine confutatione tandem a probis Medicis relinqui nullo modo debuerit vel potuerit. In ipſius Apologiæ exordio declaratur, Medicis atheiſmi crimen vulgo a multis cavillatoribus atque obtrectatoribus objectum fuiſſe, atque enumerantur hunc in finem varia dicta
Pag. 2. 4. & proverbia, quibus Medicis illud ſcelus exprobratur, v. c. *ubi tres Medici, duo athei;* citanturque variorum Scriptorum Medicorum de cavillatione hac querelæ; ac recenſetur poſtea catalogus Medicorum, pro atheis a quibusdam
7. habitorum. Deinceps *cauſæ hujus cavillationis* indagantur,

tur, inter quas primo loco allegatur *ſtudium Philoſophiæ naturalis*, quod ab antiquiſſimis temporibus cum arte ſalutari arctiſſimo fuit vinculo conjunctum. Objiciunt enim cavillatores Medicis, eos 1) cum Phyſicis quibusdam mechaniſmum tam in macrocoſmo, quam microcoſmo, ſtatuere, adeoque atheos eſſe. Ab Autore conceditur prius, ſed negatur conſequentia: ſiquidem clare demonſtratur, mechaniſmum, rite intellectum, potius ad Deum agnoſcendum ducere, quam illi abnuendo anſam præbere, quia, agnito mundi mechaniſmo, mox etiam, effector ſive mechanicus ut ſtatuatur, neceſſum eſt, cum machina ſponte oriri non poſſit. Objiciunt 2), Medicos *Deum & animam cum materia confundere*, & 3) *ſacræ Scripturæ miracula tollere.* Sed, falſum eſſe utrumque, gravibus argumentis evincitur. Id 4) probro vertitur Medicis, quod *utplurimum vulgi omina & ſuperſtitiones* contemnant; & 5) vulgares *de ſpectris & ſagis* narratiunculas vel rideant, vel ſaltem parvi putent. Utrumque vero, ſi modo rite explicetur, nullam impietatem, multo minus atheiſmum, involvere docetur. Illud 6) minime ferendum clamitant, Medicos *Alchemiæ operam navare*, quippe quæ ad atheiſmum ducat. Sed, neque hanc ad crimen illud quidquam facere, ſolidis rationibus demonſtratur. Poſtea docetur, medio ævo per ſuperſtitionem & ignorantiam hominum, maxime vero per invidiam, avaritiam, & odium cleri, qui lucri cauſa, ut olim ſacerdotes gentilium, temere Medicinam ſibi vindicare voluit, hanc criminationem ad ſummum faſtigium perveniſſe. His declaratis, *athei definitio* evolvitur, &, hac ſtabilita, pluribus commonſtratur, longe minorem eſſe atheorum numerum, quam vulgo perhibetur, aut creditur. Tunc ipſa *Medicinæ dogmata* ac ſtudia Medicorum indagantur, atque, hæc exiſtentiam Dei luculentiſſime exhibere, oſtenditur. Hunc in finem Autor primo *exiſtentiam, ſapientiam, & omnipotentiam Dei* ex *anatome corporis humani* generatim ſpectati demonſtrat; ſpeciatim vero ex *oſſium ſtructura & uſu*, *muſculorum fabrica atque actione*, *plantarum* quoque *compoſitione*, *multitudine*, *venuſtate*, & *utilitate*, tandem ex *ortu & procreatione hominis*, itemque *ani-*

Pag. 11.
20.
24.
28.

mantium ac plantarum, evincit, hæc omnia rationem ſufficientem ſuæ exiſtentiæ non in ſe, ſed in ente quodam independente, ſapiente, omnipotente, hoc eſt, in Deo, habere. Cum igitur Medicus prudens ſemper circa has res, quæ Dei exiſtentiam ſingulis momentis tam luculenter manifeſtant,
Pag. 52. verſetur, concluditur, vix eum poſſe in atheiſmum incidere. Quia vero, his non obſtantibus, varii ex præcipuis artis ſalutaris profeſſoribus ab obtrectatoribus temere pro atheis venditantur; rationes in utramque partem examinantur, ac præſtantiſſimi nonnulli ex iis, quos illi præ ceteris atheiſmi crimine commacularunt, ſpeciatim defenduntur. Agmen inter hos ducit *Hippocrates*, cui *Gundlingius*, celebris haud pridem Academiæ Halenſis Philoſophus ac JCtus, publico ſcripto atheiſmi notam inurere tentavit. Sed, miſſis hic, ab aliis jam ſuſceptis, defenſionibus, Autor ex ipſius potiſſimum jurejurando, & variis ſcriptorum ejus locis, ab hoc crimine ipſum prorſus liberare, at-
52. que, quam pie de Deo ſtatuerit, oſtendere, ſtudet. Hunc excipit *Claud. Galenus*, alter quaſi Medicinæ parens, cujus vero adverſarios aureus ejus de uſu partium corporis humani liber ſat abunde confutat. Docet ſcilicet Autor, *Galeni* de ſupremo Numine ſcientiam, ex perſpecta corporis artificioſiſſima fabrica, admirabilem plane fuiſſe, eundemque, graviſſimis inde petitis argumentis, potius debellare atheiſmum, quam ſuſtinere, ſerio allaboraſſe. Interea tamen Autor fatetur, ipſum, quia ethnicus fuit, de *Moſe* & *Chriſto* perverſas
60. aluiſſe opiniones, quæ, etſi minime defendendæ, atheiſmum
70. tamen non probent. Tertio loco prodit *Hier. Cardanus*, Italus, Medicus, & Philoſophus celebris. Hunc vero ob inſignem potius ſuperſtitionem, quam atheiſmum, reprehendendum fuiſſe, oſtenditur: utpote quæ, prudentiorum
78. judicio, multum inter ſe diſcrepant. Sequitur poſtea *Nic. Taurellus*, clariſſimus quondam Medicinæ Profeſſor Altorfinus; cujus vero innocentia facile demonſtrari potuit, cum propter nullam fere aliam cauſam, quam quod *mechaniſmum in mundo*, quo omnia tam pulchro ordine

mo-

moventur, & conservantur, statuit, pro atheo a quibusdam rerum mechanicarum ignaris ac malevolis proclamatus sit, qui sanctissime ceterum & magnifice, ut ostenditur, de Deo, ejusque sapientia, senserit. Ceterum cum Cl. *Feurlino*, qui peculiarem haud pridem defensionem *Taurelli* edidit, Autor noster in eo non consentit, quod in attributis divinis describendis ab *infiniti* termino, quo sæpe *Taurellus* utitur, abstinendum ille velit, cum ipse, nullum attributum Deo gravius, nobilius, atque accommodatius esse, sentiat. Pag. 92. Quintus in ordine est *Jul. Cæsar Vaninus*, Neapolitanus, pro pessimo a nonnullis atheo declaratus. Recensentur sub initio ab Autore fata ejus & miserabile mortis genus, quod scilicet Tolosæ A. 1619 Atheismi accusatus, exsecta prius crudelissime lingua, vivus combustus fuerit. Disceptatur præterea de vero ejus nomine, quod a variis scriptoribus varie traditum, & misere, ut Autor ostendit, distortum fuit. Deinde disputat, an re vera Medicus fuerit, sicut plerique hactenus & crediderunt & scripserunt. Verum Autor varia hac de re movet dubia, & ostendit, eum Theologum, JCtum, & Philosophum, fuisse, atque forte ex odio in Medicos ab inimicis pro Atheo venditatum fuisse; ubi multa lectu digna hac aliisque de rebus occurrunt, quæ alii prætermiserunt. Deinceps enumerantur objectiones præcipuæ, quibus adversarii eum atheismi reum agere tentarunt. Et primo quidem loco legitur, quod *Gramondus*, qui tunc temporis Præses erat tribunalis Tolosani, sed, ut ostenditur, infensissimus *Vanini* hostis, *Vanino* objecit, eum dixisse, *se ignorare Deum*, adeoque atheum esse. Indicatur quoque hic, Doctiss. *Arpium*, qui *Apologiam pro Vanino* jam A. 1712, 8, edidit, minus recte sensisse, cum dixerit: *si Gramondus hoc probasset, omnem defendendi laborem irritum fore.* Docetur enim ab Autore, quamvis *Vaninus* scripserit & confessus sit, se ignorare Deum, dicendo: *Deum nemo novit, neque scit, quid sit, nisi ipsemet Deus*, propterea tamen illum minime pro atheo esse habendum. Nam, per *τὸ ignorare Deum Vaninum* nihil aliud intelligere, quam ejus naturam & essentiam haud

per-

perſpicere, pluribus evincitur. Hoc ſenſu vero omnes homines Deum ignorare, adeoque ſecundum *Gramondum* & *Arpium* atheos fore, affirmatur; ſiquidem nullus mortalium gloriari poſſit, ſe Dei naturam & eſſentiam cognoſcere, vel, quid Deus ſit, ſcire, ſed cuilibet potius, in hac mentis humanæ imbecillitate, ſe Deum ignorare, confitendum eſſe. Hac occaſione Autor recenſet celebrem Gallici cujusdam Poetæ reſponſionem, ad quæſtionem, *quid Deus ſit*, ante aliquot annos datam: *Loin de rien dire de cet être ſuprême, gardons en adorant un ſilence profond, c' eſt un être immenſe, & l' eſprit s'y confond, pour dire ce qu'il eſt, il faut être lui même.* Oſtenditur hic, Poetam nihil aliud dixiſſe, quam quod acutiſſimus *Vaninus* jam dudum dixerat & ſcripſerat, his ſcilicet verbis: *Deum nemo novit, neque ſcit, quid ſit, niſi ipſemet Deus.* Sed, duo cum fecerint idem, non fuiſſe idem. In Poeta enim ingenii acumen ob hanc reſponſionem maximopere celebratum, *Vaninum* vero eandem ob cauſam atheiſmi accuſatum, &, quamvis neque convictus neque confeſſus eſſet, miſerrime fuiſſe trucidatum. Poſtea indagatur, *an Deum & naturam pro una eademque re habuerit*, & *an mentem crediderit cum corpore interituram eſſe?* quorum errorum ipſe poſtulatus, athei nefandum nomen tulit. At neutri horum errorum, ſi prior ſententia ſano ſenſu, qui hic explicatur, ſumatur, addictus fuiſſe oſtenditur, & inprimis pluribus evincitur, pro animæ immortalitate contra hujus impugnatores graviſſimis ab eo rationibus pugnatum. Plures præterea objectiones *Vanino* factæ adducuntur, ſed omnes ita excutiuntur ac diluuntur, ut nulla ſuperſit, ob quam atheorum cohorti aggregari, multo minus tam crudeli morte affici, mereatur. *Gramondum* autem, Præſidem Tribunalis Toloſani, & judicem *Vanini*, ex peculiari odio temere ipſi litem moviſſe, ipſum falſo atheiſmi accuſaſſe, & triſtiſſima nece e medio ſuſtuliſſe, pluribus demonſtratur. Agmen claudit *Thom. Browne*, ſive *Brounius*, gente Anglus. Ad atheiſmi ſuſpicionem ab hoc declinandam, ex libro ejus, de religione Medici, copioſe docetur, ipſum non ſolum de Deo, rebusque divinis,

Pag 132.

nis, admirabili ſemper pietate ac reverentia verba feciſſe; verum etiam tantopere de ſupremi Numinis exiſtentia convictum fuiſſe, ut negaverit, dari homines mentis compotes, qui hanc veritatem, omnibus rebus creatis tam perſpicue inſculptam, negare ſerio poſſint. Hactenus in avertenda & declinanda hac in Medicos cavillatione Autor occupatus fuit. Nunc contra oſtendit, exſtare *egregia Medicorum tam in naturalem, quam revelatam, Theologiam merita*, atque hæc antiquiſſimis temporibus tanti jam fuiſſe æſtimata, ut & gentiles varios Medicos in Deorum numerum receperint, v. c. *Apollinem*, *Æſculapium*, &c. & prima Chriſtianorum eccleſia illorum complures cohorti Sanctorum aggregaverit. Tandem probatur ex conſideratione Medici tam theoretici, quam practici, *artem ſalutarem cultoribus ſuis ſapientibus ex operibus divinis*, in quorum perſcrutatione quotidie verſantur, *ſupremi Numinis exiſtentiam, ſapientiam, atque potentiam, perpetuo ante oculos ponere*; deinde humanæ ſortis miſeriam, dum ægros querulos inviſere, morbos indagare, & cadavera perluſtrare, ſolent, ſolerter perpendendam exhibere; denique *mortem & ultima fata ipſos ſæpiſſime in memoriam revocare*, partim quando corpora mortuorum, ad ſtructuram & fabricam eorum perveſtigandam, diſſecant, partim quando circa moribundos verſantur, quæ re vera homini & pietatem & erga Deum reverentiam inſpirant. Ex quibus concluditur, *Medicinam potius ad cognitionem Dei potentiſſimi & ſapientiſſimi, ad pietatem, vitæque ſanctimoniam, excitare*, quam ad atheiſmum & ſcelera, perducere. Ultimo, ab ipſa S. Scriptura Medicinæ & Medicorum innocentiam vindicari, indicatur, quæ ſcilicet & artem, & eam profitentes, paſſim exquiſitis condecoret laudibus; imo oſtenditur, Chriſtum, graviſſimis miraculis, ſe Meſſiam eſſe, probaturum, ſæpiſſime Medicum egiſſe, & cum laude de Medicis ſæpe locutum eſſe. Porro S. *Lucam* Evangeliſtam, Medicum, ad Evangelium & oracula divina propaganda, literisque mandanda, a Spiritu ſancto excitatum fuiſſe, *Paulumque* Apoſtolum ipſum præ ceteris Chriſti diſci-

Pag. 113.
139.
147.
154.

 puiis

pulis itineris Romani comitem & socium sibi elegisse, demonstrat, quæ omnia sane facta non fuissent, si ars illa tam impiis erroribus fenestram aperiret, vel Medici tam mali aut perversi essent homines, & ad res divinas, ut nonnulli pessime calumniantur, tam inepti. Denique Autor ostendit, nos ultima & sanctissima Servatoris verba, quæ in cruce adhuc protulit, ignoraturos, quando scilicet alta voce exclamavit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, nisi *Lucas*, Medicus, dum ceteri Evangelistæ hac de re silent, ea scriptis reliquissent, quæ adeo uni Medico in acceptis referenda sint. Atque ex his omnibus Cl. Autor tandem manifestum esse concludit, istam cavillationem, qua Medicinæ ac Medicis atheismi scelus objicitur, temerariam, vanam, pessimam, atque falsissimam esse. Tam assidue Cl. Autor provinciam, quam suscepit, tantaque industria & nervorum contentione ornavit, ut ex his primitiis *Heisteriani* ingenii doctrinæque præstantiam cognoscere liceat. Quamobrem nos tanto Parenti tam doctum & tam bonæ frugis Filium merito gratulamur, nec vano augurio prævidemus, fore, ut paternam gloriam temporis progressu adæquet & augeat.

ENTRETIENS SUR LA CAUSE DE L'INCLInaison, &c.

h. e.

DE CAUSA INCLINATIONIS ORBITArum Planetarum Dialogi tres: in quibus respondetur ad quæstionem, pro obtinendo præmio A. 1732 & 1734 ab Academia Scient. Parif. propositam. Autore BOUGUERIO, Academiæ Sodali, & Hydrographo Regio.

Parisiis, apud Claud Jombertum, 1734, 4.
Plag. 8, Tab. æn. 2.

Recensuimus in *Actis A. 1735 Mens. Nov.* duas Dissertationes *Joannis* & *Nicolai Bernoullii*, Parentis & Filii, qui quæstionem,

ſtionem, ab Academia Scient. Pariſ. primum pro anno 1732, cum conſtituto præmio, & iterum pro anno 1734, cum præmio duplicato, propoſitam, de *inclinatione orbitarum Planetarum*, ita pertractarunt, ut inter utrumque Academia præmium ex æquo partiendum judicaret. Adjecimus, fuiſſe ſuper eodem argumento complures alias commentationes a Viris doctiſſimis exhibitas: inter quas, judice Academia, primum meruit locum ea, cujus in præſenti facere mentionem conſtituimus: quanquam & ipſe Autor diſerte declarat, & Celeb. *Fontenellius* teſtatur, jam ante annum 1732 hanc Diſſertationem accepiſſe Academiam, quæ nihilo minus tunc quidem præmium differendum cenſuit. Diſtributum eſt totum Opuſculum in Dialogos tres, colloquentibus de quæſtione propoſita, præſente Autore, tribus ejus amicis, *Theodoro*, *Ariſto*, & *Eugenio*: quorum prior *Newtonianæ*, duo reliqui *Carteſianæ*, Philoſophiæ, & alter quidem adſtrictius, tertius liberiori quadam ratione, adhærent. In primo Dialogo *Theodorus Newtonianorum* de attractionibus principiorum defenſionem, atque ad præſens argumentum applicationem, inchoat; ſed non perſequitur: id unum docens, laudata principia mechaniſmum non deſtruere, ſed perficere, plurimasque naturales quæſtiones, inprimis de motibus aſtrorum, niſi aſſumtis illis principiis, explicari nullo modo poſſe: id quod ipſe Autor in Præfatione iterum iterumqne probat. De cetero in eodem Dialogo *Eugenius* demonſtrare conatur, fluidum æthereum, inter Planetas, proxime conjunctos, ex ſententia *Carteſianorum* magis compreſſum, repellendo a ſe invicem Planetas, ſi conjunctio ante nodos fiat, tantillum quidem imminuere orbitarum inclinationem, ſin poſt nodos, paululum augere angulum illum poſſe, contrariumque fieri debere, ſi attractio *Newtoniana* locum habeat, ſed leviculas illas mutationes, poſt plures Planetarum revolutiones, omnino compenſari, neque adeo inclinationum, de quibus quæritur, has eſſe cauſſas poſſe: imo vero prorſus neceſſe eſſe, ut Planetæ, a fluido circumlati, nunquam a via & directione hujus fluidi notabiliter diſcedant. Atque hinc in altero Dialogo idem *Eugenius* con-

 cludit,

cludit, inclinationem Planetarum non alii rei adſcribendam eſſe, quam ipſius ætheris, in diverſis altitudinibus, atque adeo in diverſis ſtratis ſphæricis, diverſæ directioni: quæ directio cum mutari naturaliter haud quaquam potuiſſet, ſi ab initio per totum vorticem plane ſimilis fuiſſet, nihil reliquum eſſe, niſi ut ſtatuamus, motum ætheri ab initio impreſſum fuiſſe oppido varium, inde partes unius ejusdemque ſtrati ſphærici, poſt multiplices concurſationes, neceſſario ad ſimilem & conſentientem motum eſſe redactas, diverſa vero ſtrata, cum non directe, ſed levi ſaltim frictione, agere in ſe mutuo queant, magnam etiamnum diverſitatem, paullatim tamen minuendam, conſervaſſe: hinc dubitandum non eſſe, quin vortex terreſtris, prope ipſam terram, directione cum Æquatore & motu terræ diurno conſentiente, in ea vero altitudine, ubi luna hæret, directione cum orbita lunari congruente, circumagatur: ſimiliterque in magno vortice ſolari eam eſſe directionum varietatem concipiendam, quæ ubique cum Planetarum orbitis conveniat: omniumque vorticum minorum ita eſſe directiones comparatas, ut in extremitatibus ſuis cum orbitis Planetarum, & directionibus, quas iis in locis vortex magnus habet, in partibus vero infimis, ubi Planetas proxime attingunt, cum horum Æquatoribus, conſpirent: nec mirum, quod in vortice Jovis minor varietas, quam in vortice terreſtri, & in hoc ipſo minor, quam in vortice Veneris, reperiatur, quippe cum Jovem cum ſuo vortice celerrime, Terram tardius, Venerem (ſecundum obſervationes *Blanchini*) tardiſſime, circumvolvi conſtet: denique ex his intelligi poſſe, quantum veritatis ſubſit traditioni antiquorum Ægyptiorum, quam *Herodotus* nobis conſervavit, de angulo Eclipticæ & Æquatoris, eum ſcilicet primis temporibus, non quidem rectum, quod illa traditio vult, ſed notabiliter tamen, quam nunc, majorem, fuiſſe. Atque hæc de altero Cl. Autoris Dialogo dicta ſufficiant. Reſtat tertius, qui explicationi rerum quarundam ſingularium ac ſeparatarum deſtinatus eſt. Et initio quidem agitur de præceſſione æquinoctiorum, oſtenditurque, eam non alii cauſæ tribuendam

eſſe,

esse, quam actioni diversorum stratorum vorticis terrestris, quæ actio ab extremo vortice ad ipsum usque globum nostrum propagatur, positumque Æquatoris nostri sensim mutat, quamobrem stellæ fixæ motu quodam proprio tardissimo progredi videntur. Atque hac occasione etiam demonstratur, Terram, ceterosque Planetas, circa Solem delatos, per se necessario conservare exactissimum axeos & Æquatoris parallelismum, sine nova & peculiari causa, qualem *Cartesius* aliique incassum finxerunt. Porro etiam secretus quidam nexus indicatur, inter præcessionem æquinoctiorum, & retardationem nodorum lunarium, explicatis mutationibus, quibus inclinatio hujus sideris subjecta est. Sed his quidem non immorabimur: unam saltem observationem adhuc allaturi, quam ipse doctissimus Autor singularem mereri attentionem judicat. Nempe *Eugenius*, postquam de latitudinibus Lunæ nonnulla commemorasset, effectus definire conatur, qui a mutationibus illarum latitudinum dependent. Ita autem existimat: præter augmenta celeritatis, quæ primus *Tycho* prope Syzygias observavit, longe majus incrementum reperiri debere tum, cum exiguam nova Luna latitudinem habet: propterea, quod eo tempore ad locum vorticis arctissimum pervenit, ubi plus motus ab æthere accipiat necesse est. Atque idem argumentum deinceps denuo examinanti Autori nostro perquam jucundum fuit observare, quod simile quidpiam etiam in conjunctionibus Planetarum primariorum locum habeat: qui, quanquam tum quidem semper aliquanto fortius agere in se invicem debent, nunquam tamen id faciunt satis notabiliter, nisi cum prope nodos suos, hoc est, prope intersectionem mutuam suarum orbitarum, conjunguntur.

JO. GEORGII SCHELHORNII AMOENItates Historiæ Ecclesiasticæ & Literariæ.

Tomus I.

Francofurti & Lipsiæ, apud Dan. Bartholomæum & Fil. 1737, 8. Alph. 2 plag. 17, cum Fig. æn. 1.

Cum *Amœnitates* ſuas *literarias*, quatuordecim olim Voluminibus in lucem editas, benevole a Viris doctiſſimis exceptas animadverteret Maxime Venerandus *Schelhornius*, Eccleſiaſtes & Bibliothecarius Memmingenſis haud incelebris; eo facilius aurem præbuit amicis & fautoribus quibusdam, ipſum excitantibus, ut telam iſtam reſumeret, ac ulterius pertexendam denuo ſuſciperet. *Primum* igitur hujus inſtituti *Tomum* cum orbe literario communicavit Cel. Autor, in hoc tantum a prioribus diverſum, quod plura ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, recentioris potiſſimum ævi, illuſtrandam facientia in ſe contineat, quam rationem etiam in Partibus ſecuturis obſervare ipſi eſt animus. In Dedicatione memoriam maximi ætatis noſtræ in republica literaria ornamenti, *Zachariæ Conradi ab Uffenbach*, Reipublicæ Mœno-Francofurtenſi quondam Scabini & Senatoris, plurimis in meliores literas promeritis clariſſimi, renovare ſtuduit *Schelhornius*, ad quod pietatis officium eo magis ſe obſtrictum judicavit, quod in ſupremæ voluntatis tabulis ingentem ipſi theſaurum literarium legatum voluit *Uffenbachius*. Credidit præterea fidei illius Commentarios de vita propria inchoatos, haud vero perfectos, in quibus ad finem perducendis nunc totum ſe occupatum profitetur, eosque anno proximo editurum ſe eſſe pollicetur. His præmiſſis, brevem hujus *Tomi* delineationem ſuppeditabimus.

Pag. 1 ſeq. Continentur vero ibidem 1) Hiſtoria Operis, quod *Reginaldus Polus* adverſus *Henricum VIII*, Britanniæ Regem pro unitatis eccleſiaſticæ defenſione conſcripſit. Epiſtola Autoris ad *Jo. Georg. Lotterum*, in illuſtriſſima Academia Petropolitana Eloquentiæ Græcarumque & Romanarum Antiquitatum Profeſſorem nuper defunctum, huic præcedit Hiſtoriæ, qua *Lottero* publicum quoddam amoris documentum teſtari, & fauſtiſſima quævis apprecari, voluit. Sed dolemus, hanc votivam acclamationem nimis ſero lucem adſpexiſſe, quia mors inopinata *Lotterum* jamjam nobis eripuit. Eo acceptior lectoribus erit recenſio & hiſtoria libri illius famoſiſſimi, a *Reginaldo Polo* ſcripti, quo rarior obvius eſt. *Reginaldus Polus* benigniſſimum expertus eſt *Henricum VIII*, Regem Angliæ, illius liberalitate adjutus, in Italia ſtudia excoluit,

coluit, id quod ipse in Epistola quadam fatetur; sed anguem, ut in proverbio est, in sinu fovebat *Henricus*. Postquam enim Rex *Henricus*, in notissima illa divortii causa a *Clemente VII*, varie delusus, a sede Romana, cui antea addictissimus fuit, defecerat, & *Richardi Sampsonis* liber, in patrocinium supremæ Regis in Ecclesia Anglicana potestatis scriptus, *Reginaldo Polo* offerebatur, causam Regis & omnia ejus acta maximopere improbabat, acerrimumque hunc librum, conviciis plenum, adversus benefactorem suum in lucem emisit, cujus historia, & præcipua capita, copiose enarrantur. 2) *Reginaldi Poli* Epistola ad *Eduardum IV*, Angliæ Regem, de Opere antea citato, e Codice manu exarato συγχρόνῳ edita. 3) **Pag. 191.**
Judicium *Edmundi Campiani*, Societatis Jesu Soc. de Concilio Tridentino expensum. Habetur insigne hoc ac magnificum, quo Concilium Tridentinum mirum in modum extollere contendit *Campianus*, præconium in Latinis editionibus Historiæ *Pauli Sarpii*, ex quibus *Schelbornius* illud excerpsit, & cum lectoribus suis communicavit. Quo facto, nimias *Campiani* laudes, quas in Concilium hoc cumulatissime congessit, sub examen vocat, vanasque illas esse, luculenter demonstrat, & *Chemnitii* non solum nomen ab illius criminationibus vindicat, sed etiam mordacissima dicteria in Protestantes, ad Concilium illud haud profectos, a *Campiano* prolata, pro more suo, hoc est, erudite, excutit *Schelbornius*. 4) *Aonii Palearii* ad *Lutherum*, *Calvinum*, aliosque, de Concilio Tridentino Epistola, e MSto Guelpherbytano publicata, cum Præfatione de fatis & morte *Palearii*. Notitiam hujus Epistolæ debet *Schelbornius* Celeb. *Saligio*, qui illius in Historia sua Augustanæ Confessionis *P. II Lib. V Cap. 11 pag. 66 seq* mentionem fecerat, ipsam vero Epistolam florentissimo D. *Jac. Burchardo*, Ducis Brunsuico-Luneburgensis Consiliario gravissimo, qui has literas, in Bibliotheca Guelpherbytano latentes, sua manu curatissime descriptas, ad Editorem nostrum transmisit. Prodit adeoque primum ex Latino, quo sermone ab initio exarata est hæc Epistola, exemplo, lectu sane dignissima. Variis præterea rationibus, iisque haud contemnendis, evi-

Marginal page references: 271. (beside "Judicium Edmundi Campiani"); 425. (beside "4) Aonii Palearii").

evicit, hanc Epiſtolam facundo *Palearii* calamo omnino eſſe tribuendam, quanquam ipſe reticuit *Palearius* nomen
Pag. 462. ſuum. 5) Literæ Cardinalis *Creſcentii*, Legati ad Concilium Tridentinum, quibus invitavit D. *Sebaſtianum*, Archiepiſcopum ac Electorem Moguntinum, & ceteros Archiepiſcopos Electores, ad Concilium, e MSto Tridenti d. 18 Cal. Jul. A.
473. 1551 ſcriptæ. 6) Literæ *Aloyſii Lippomani*, quibus eundem Electorem Moguntinum & ſocios hortatus eſt, ut ſe conferrent ad Concilium, cum Præfatione. Duos Purpurato *Creſcentio* Præſides ex ordine Epiſcoporum, ſcilicet *Sebaſt. Pighinum*, Sipontinum Archiepiſcopum, & *A. Lippomanum*, Veronenſem Epiſcopum, adjecit *Julius III*, uti *Pallavicinus* in *Hiſt. Concilii Trident. Tom. II Lib. XI Cap. 13 pag. 84* tradit, qui *Nuntii* nomen geſſerunt. Hinc proceſſit diverſa illa ſcribendi ratio, quam in literis *Creſcentii* & *Lippomani* deprehendes. Ille cothurno incedit altiori, hic humili utitur genere ſcribendi. Scripta eſt hæc *Lippomani* Epiſtola Tridenti
482. d. 18 Cal. Julii A. 1551. 7) Res quædam ad apparatum Concilii Tridentini, ſub *Pio IV* habiti, externum ſpectantes, ex *Jo. Bapt. Fickleri* Actis MStis; nimirum de ſede & ordine Legatorum Pontificiorum in generali illa congregatione, de ſede Oratorum eccleſiaſticorum, Oratorum laicorum, Epiſcoporum, & Patrum, aliorumque, quibus adjectus eſt catalogus officialium, quorum opera uſui eſſet ſacro Concilio, & quantum cuique ſtipendii per menſem exponendum eſſet.
490. 8) Conſultatio, Imperatoris *Ferdinandi I* juſſu inſtituta, de Articulis Reformationis, in Concilio Tridentino propoſitis, ac proponendis, e MStis. Hoc certe ſcriptum præſtantiſſimis annumerari meretur documentis, ex quibus hiſtoria Concilii
576. Tridentini illuſtrari poteſt. 9) Reſponſum ad petitiones, a *Ferdinandi* Imperatoris Oratoribus Synodo Tridentinæ propoſitas, e MSto, ex Actis Concilii Tridentini, a *Jo. Bapt. Ficklero*, J. U. Doctore, & Oratorum Salisburgenſium a Secretis,
586. ſtudioſe deſcriptis. 10) Syllabus præcipuorum poſtulatorum, quæ Imperatori *Ferdinando*, ſi fieri poſſet, in Concilio Tridentino urgenda videbantur, e ſchedis *Friderici Staphyli*.

Ex

Ex his etiam allatis clarissime apparet, nullum fuisse locum Tridenti etiam æquissimis & optimis desideriis ecclesiæ reformandæ, ac e contrario magna pietate & prudentia fuisse Imperatorem *Ferdinandum.* 11) Narratio lectu jucunda de fana- Pag. 598.
tico quodam Episcopo, qui Synodo Tridentinæ interfuit, ex sæpius citati *Fickleri* Actis MStis depromta. Fuit hic futurorum augur, aut potius scurra, *Antonius Ciurelia*, patria Barensis, Episcopus Buduensis. Vaticinium quoddam, ab illo die 21 Aprilis A. 1563 publice in congregatione Patrum latum, cum interpretatione ipsius vatis nobiscum hic communicatur. 12) *Friderici Staphyli* Consultatio de instauranda in 611.
terris Austriacis religione Romano-Catholica, ad Augustissimum Imperatorem *Ferdinandum I*, e MSto. En ipsius Editoris verba de hac Consultatione in Dedicatione ad *Bernh. Raupachium*, oraculorum divinorum apud Hamburgenses interpretem dexterrimum: Varia quidem in hoc consilio ab homine vaferrimo partim evangelicæ doctrinæ addictis tribuuntur dogmata, quæ a libris nostris Symbolicis ac probatorum cœtus nostri Theologorum scriptis longe sunt alienissima, varia quoque in eos contumeliose ingeruntur probra; non uno tamen nomine hoc, quicquid est, consilii nobis utile esse potest. Apparet hinc luculenter, quibus artibus factum sit, ut pius ac mitissimus alias Imperator *Ferdinandus*, apud quem multum polluit *Staphyli* autoritas, Evangelicis, suo imperio subjectis, interdum se tam præbuerit difficilem ac inexorabilem: elucet quoque inde, qui fuerit illo tempore cleri pontificii in Austriacis ditionibus status, & quæ sunt alia. Huc usque *Schelhornius.* 13) *Matthiæ Cithardi* ad *Pium IV* Pont. Max. 679.
de Cæsaris *Ferdinandi I* obitu Epistola, e MSto, cum Præfatione, in qua nonnulla memoratu digna de ipso *Cithardo* exhibentur. 14) Elogium *Georgii Hermanni a Guttenberg*, 695.
Kaufburensis, eximii quondam literarum ac literatorum patroni. Natus erat *Hermannus* patricio genere A. 1491 d. 26 Febr. in libera S. R. Imperii urbe Kaufbura. Optime ibidem educatus, literisque bene instructus, ad exteros suscepit itinera; his peractis, in patriam redux, mercaturam facere hone-

ſtam inſtituit, matrimoniumque iniit. Amicitiam cum doctiſſimis tum temporis viris coluit, & erga illos indulgentiſſimus fuit. Sibi quoque conciliavit gratiam Auguſtiſſimi Imperatoris *Caroli V*, qui illum ac poſteros ejus A. 1528 in ordinem equeſtrem clementiſſime recepit; *Ferdinandus* vero, Romani imperii, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, ampliſſimam in eum contulit dignitatem Conſiliarii A. 1534. Tandem *Hermannus*, annis meritisque gravis, A. 1552 d. 10 Dec. placide
Pag. 751. obiit. 15) Obſervatio de Jeſuitis ante Jeſuitas, & Societate Jeſu ante Societatem Jeſu. Doctiſſimus P. *Bernhardus Pezius* in *Bibliotheca* ſuæ *Aſcet. Tom. IV* e MSto edidit *Henrici Arnoldi*, Cartuſiæ Baſileenſis quondam Prioris, qui Seculo XV vixit, Dialogum de modo perveniendi ad perfectam Dei & proximi dilectionem, e quo in Præfatione locum exhibet, ubi nomen Jeſuitarum diu ante ſtabilitam eorum ſocietatem occurrit. Sed obſervavit *Schelhornius*, diu jam ante *Arnoldum* nomen Jeſuitarum a *Ludolpho*, vel *Leutholfo*, Saxone, fuiſſe uſurpatum, nimirum in illius Vita Chriſti, Argentorati A. 1493
759. impreſſa, *Cap. 10.* 16) Dialogus *Cælii Secundi Curionis* de mirabili ſua e vinculis ac ipſis diræ necis faucibus liberatione, nomine *Probi* inſignitus. Habetur quidem hic Dialogus in *Cælii Secundi Curionis* libro antiquiſſimo & rariſſimo, cui inſcriptio: *Pasquillus Ecſtaticus*, nec non in Vitis ſelectis quorundam eruditiſſimorum Virorum, Vratislaviæ A. 1711, 8, editis, *pag. 637* recuſus; cum vero olim in *Amœnitatum literar. Tom. XIV pag. 325 ſeq. Curionis*, ejusque gentis, hiſtoriam expoſuerit, & varia lectu digna de captivitate illius nobiscum communicaverit *Schelhornius*, non ingratam hujus Dialogi editionem, multa de captivitate *Curionis* in ſe conti-
777. nentis, lectoribus futurum ſperat. 17) Notitiæ librorum quorundam rariorum Decas I. Rariſſimi vero hi libri ſunt: 1) *Oliverii Maillardi* Sermones, Argent. 1506, 4; 2) Geſta Romanorum, cum applicationibus moraliſatis ac myſticis, 1499, fol. 3) *Lucii Apuleji*, Platonici & Ariſtotelici Philoſophi, Epitoma divinum de mundo, ſeu coſmographia, ductu *Conradi Celtis* impreſſum Viennæ, 1497, fol. 4) *Chriſtiani*

ſtiani Druthmari, Grammatici, Expoſitio in *Matthæum* Evangeliſtam familiaris, luculenta, & lectu jucunda, cum epitomatibus in *Lucam* & *Joannem* S. *Martini* Epiſcopi ad *Mironem* Regem, Argentorati, 1514, fol. 5) *Stephani Gardineri*, Wintonienſis Epiſcopi, Angli, de vera obedientia Oratio, Argentorati, 1536, 8; 6) Apologia *Simonis Lemnii* adverſus decretum Academiæ Wittebergenſis, in 8; 7) *Stephani Doleti* Orationes duæ in Toloſam; ejusdem Epiſtolarum *Libri II;* ejusdem Carminum *Libri II;* ad eundem Epiſtolarum amicarum liber, in 8; 8) *M. Jo. Cræſelii*, Vilſeccenſis, Academiæ Ingolſtadienſis Bibliothecarii, Elogia, in duas diviſa Partes, Ingolſtadii, 1584, 8; 9) E. D. L. C. Apologia catholica adverſus libellos, declarationes, monita, & conſultationes, factas, ſcriptas, & editas, a fœderatis perturbatoribus pacis in regno Franciæ: qui inſurrexerunt, ex quo tempore Dominus frater unicus Regis vita defunctus eſt, Pariſiis, 1586, 8; 10) *Ludovici Septalii*, Patricii & Medici Mediolanenſis, & in Canobiana Schola Activæ Philoſophiæ Publici Profeſſoris, de ratione inſtituendæ & gubernandæ familiæ Libri quinque. Senator *F.* edidit, & *Julio Areſio*, Senatus Mediolanenſis Principi, dicavit. Mediolani, 1626, 8. Horum omnium & ſingulorum librorum notitiam ſatis amplam nobis ſiſtit Clariſſ. Autor, & potiora eorum contenta in medium affert.

18) Animadverſiones & Supplementa in *Amœnitatum literar. Tomi IV Caput 2*, quod eſt de artis typographicæ originibus. Pag. 942.
Inſeruerat olim *c. l.* Carmen quoddam incomtum & barbarum, quod nonnulla ad artis typographicæ origines ſpectantia in ſe continuit. Ingenue tunc temporis faſſus eſt *Schelhornius*, tam obſcura & tenebricoſa in eo occurrere, ut Oedipo conjectore opus habere ipſi videretur, præſertim in verſu: *Cum quibus optatum Petrus venit ad Poliandrum*, qui hoc nomine intelligendus eſſet; ſed tenebras iſtas feliciter diſpulit D. *Jac. Chriſtoph. Iſelius*, Polyhiſtor Baſileenſis celeberrimus, Carmenque illud cum animadverſionibus *Iſelii* doctiſſimis hic denuo exprimendum curavit Editor. His omni- 963.

bus tandem adductis, additamenta quædam ad *Tomum* præſentem adjecta ſunt. En hujus *Tomi I* breviſſimum conſpectum. Multa de illo, ſed ea, pro inſtituti noſtri ratione, breviter, diximus. Plura enim in ſcenam producere potuiſſemus memoratu digniſſima, ſed id partim arctiores, quibus circumſcripti ſumus, fines, partim rerum optimarum copia, unde præſtantiſſima quæque ſeligere admodum difficile videtur, prohibent. Hoc ergo Catone contenti ut ſint Lectores noſtri, precamur, ipſumque ut adeant librum, illis ſuademus. Varia enim hic annotata deprehendent, quæ Hiſtoriæ ſacræ lucem affundere poſſunt maximam. Hoc tandem ſilentio præterire haud poſſumus, ſi Operi ſuo Indicem adjunxiſſet Autor perinduſtrius, lectoribus ſuis facturum fuiſſe rem gratiſſimam.

WILHELMI ERNESTI EWALDI, SACR. Theol. Doct. Emblematum Sacrorum Vet. & Novi Teſtamenti Liber V & VI, ſive Pars tertia.

Altonaviæ, apud fratres Korte, 1737, 4.

Alph. 3 plag. 3, cum aliquot numis & fig. æn.

Tres, & quod excurrit, præterlapſi ſunt anni, ex quo Summe Venerab. Autor *Librum III* & *IV*, ſive *Partem alteram, Emblematum ſacrorum* cum erudito communicavit orbe, a nobis in his *Actis* plenius commemoratam. In Præfatione illius *Voluminis* promiſit, *tertiam* hujus Operis ſe additurum *Partem.* Fidem adeoque ibidem datam liberaturus, & amicorum nonnullorum conſiliis ac perſuaſionibus obtemperaturus, nunc *Librum V* & *VI*, ſive *Partem tertiam*, horum *Emblematum ſacrorum* in lucem edidit. Eodem modo, eodemque, quo inceperat, ſcopo, hanc ultimam elaboratam deprehendes *Partem.* Nimirum ea, quæ in hoc Volumine exhibentur, Emblemata & amœnitate & gravitate lectoribus ſeſe commendabunt, quia memoratu digniſſima, nec ubivis obvia, denuo ex ſcriptis tum Veteris tum Novi Inſtrumenti ſelegit Autor doctiſſimus, & quamplurimis Scripturæ ſacræ oraculis

culis lucem ex antiquitate ſacra pariter ac profana, ſucceſſu haud infelici, affundere ſtuduit. Novam præterea tabulam nummorum antiquiſſimorum, quorum ſubſidio varios veterum ritus illuſtravit, æri incidi curavit, una cum figura locuſtæ orientalis, ad cujus formam in loco *Apocal. IX, 3 ſeq.* alludi, in *Exercitatione VIII Libri VI* docuit. Quo vero lectoribus noſtris ſalivam moveamus, ipſas has *Exercitationes*, varia eruditione conſcriptas, adeundi, operæ pretium putamus, ipſis conſpectum *Exercitationum* ante oculos ponere. Ita vero ille ſeſe habet: *Libro V Exercitatione 1*) agitur de *Turre Davidis*, mille clypeis ornata, ad locum *Cant. IV, 4*; 2) de *Torque* ſponſæ aureo, ſymbolo veritatis Evangelicæ, ad *Cant. IV, 9*; 3) de *Sylva*, ſymbolo gentium ac hoſtium regni Meſſiæ, ad *Jeſ. XXXII, 19*; de *Canibus mutis*, ſymbolo pſeudo-doctorum, ad *Jeſ. LVI, 10*; 5) de *Cidari regia* in manu Dei, ſymbolo Eccleſiæ, ad *Jeſ. LXII, 3*; 6) de *Medicis* myſticis, ad *Jerem. VIII, 22*; de *Crocodilo*, ſymbolo Antichriſti, *Ezech. XXIX, 3*; 8) de *Piſcatoribus* myſticis, *Ezech. XLVII, 10*; 9) de *Myrto*, ſymbolo Eccleſiæ preſſæ, *Zach. I, 8*; 10) de *Tintinnabulis* equorum, ſymbolo confeſſionis & præconii veritatis, *Zach. XIV, 20*. En themata, ſelectiſſima ſane, *Libri quinti*. Hunc ſequitur *Liber VI*, cujus *Exercitatio* 1) agit de *Camelo*, ſymbolo hominis avari, in ſpecie Phariſæi, *Matth. XIX, 24*; 2) de *utribus* recentibus, ſymbolo credentium ſub Novo Teſtamento, *Luc. V, 38*; 3) de *Vaſe* electo ad nomen Dei portandum, ad *Actor. IX, 15*; 4) de *Bove* triturante, ſymbolo doctorum Novi Teſtamenti, ad *1 Cor. IX, 9*; 5) de *Fulguribus* ex throno Dei prodeuntibus, ſymbolo verbi Dei, *Apoc. IV, 5*; 6) de *ſeptem Facibus igneis* ardentibus coram throno, ſymbolo Spiritus S. *Apoc. IV, 5*; 7) de *Citharis* aureis, ſymbolo præconii virtutum divinarum, *Apoc. V, 8*; 8) de *Locuſtis* ex fumo abyſſi prodeuntibus, ſymbolo pſeudo-doctorum Antichriſti, *Apoc. IX, 3 ſeq.*; 9) de *Falce* acuta in manu filii hominis, ſymbolo judiciorum divinorum, *Apoc. XIV, 14*; 10) de *Torculari* myſtico, ſymbolo iræ divinæ, ad *Apoc. XIV, 19–21*. In calce hujus *Voluminis* adjectam videbis *Exercitatio*-

nem in locum *Matth. XIX, 28*, de *XII Thronis* Apoſtolorum, & judicio in *XII tribus Iſrael*, quam Diſſertationis loco exhibuit Autor, cum ante aliquot annos ſummos in Theologia honores capeſſeret. Hanc excipiunt porro *Viſiones* quædam *Emblematico-Prophetica*, quarum ſenſum, tum literalem, tum myſtico-propheticum, ex monumentis antiquis pro virili eruere laboravit *Ewaldus* noſter. Harum *prima* ſiſtit nobis gloriam Meſſiæ exaltati, ex *Jeſ. VI, 1 ſeq. altera* gloriam Eccleſiæ Nov. Teſtam. ex *Apoc. XII, 1, tertia* ortum & progreſſum Antichriſti ſub figura mulieris in Epha ſedentis, ex *Zach. V, 5 ſeq.* Hic conſpectus excitabit, procul dubio, & lectores & amatores. Præſertim cum fateri cogamur, varia hic lectu digniſſima occurrere, quæ alibi fruſtra quæſiveris. Specimina non ſuppeditabimus, cum *priores* hujus laboris *Partes* in omnium fere manibus verſentur, ex quibus facile poteſt concludi, quid de poſtrema hac ſperandum ſit. Plura harum deliciarum *Volumina*, vix eſt, quod exſpectemus ab Autore, cum majus quoddam *Opus Biblicum* orbi literario exhibere decreverit. Ad quod conficiendum vires vitamque ex animo ipſi comprecamur. Triplex, qui huic *Volumini* adjectus eſt, Index, locorum ſcilicet Scripturæ ſacræ explicatorum, vocum Hebræarum & Græcarum, Emblematum ac rerum memorabilium, ad uſum lectorum ſatis videtur accommodatus.

JACOBI BRUCKERI Neue Zuſätze, ꝛc.

h. e.

SUPPLEMENTA HISTORIÆ PHILOSOphicæ.

Ulmæ, apud Dan. Bartholomæi, 1737, 12.

Plag. 21.

Poſteaquam ſingulos *Hiſtoriæ Philoſophicæ Bruckerianæ Tomos* his in *Actis* recenſuimus, nec omittenda fuerit mentio horum *Supplementorum*. Quatuor autem

tem sunt genera eorum, quæ hic exhibentur, ut ipse monet Cl. Autor in Præfatione. Primum enim, quæ vel de Philosophorum personis, vel de eorum dogmatibus, dixerat, hic adaugentur, indicatis simul pluribus de utroque argumento scriptoribus. Deinde multis, supra obscurius expositis, liquidior lux hic affunditur. Tum emendantur nonnulla, quæ doctissimus Autor antea minus recte tradiderat, postea partim ipse per se, partim ab aliis monitus, falsa esse, cognovit. Id quod quidem tanquam documentum mentis ingenuæ & vere philosophicæ non solum in præsens laudabitur, sed exempli etiam imitatione digni vim habebit apud posteros. Denique adversus nonnullos, quibus errasse immerito visus fuit, modeste tuetur suam sententiam. Excerpemus nostro more nonnulla. *Pag. 23 seq.* & *262 seq.* relationes doctorum hominum de *Zoroastre*, & ejus philosophia, partim illustrat, partim erudite corrigit. *Pag. 56 seq.* refutat *Cudworthum*, atomisticum philosophandi genus tribuentem pluribus, qui vixerunt ante *Democritum*. Eundem *pag. 64 seq.* refellit, *Asclepium* habentem pro libro γνησίως Hermetico. Eos, qui negant, Druidas Gallorum statuisse humanarum animarum transmigrationem, confutat *pag. 87 seq. Baltum*, *Platonem* ab Hebræis accepisse suam Philosophiam, contendentem, errasse magnopere, docet *pag. 139 seq. Pag. 144 seq.* convellit errorem communem, quo creditur, Academiam *Platonis* sitam fuisse in loco insalubri. Stoicis atheismum, non quidem directum, at indirectum tamen, oportere tribui, pluribus docet *pag. 182 seq.* Multa capita historiæ *Pythagoricæ pag. 192–220* illustrantur. *Pag. 247 seq.* refutat *Jo. Conr. Schwarzii* Dissertationem *de Epicuri theologia*, immeritoque defendi ab eo hunc Philosophum, ostendit. Contra *Moshemium* docet *pag. 281 seq. Potamonem*, sectæ eclecticæ conditorem, tertio demum vixisse Seculo. Ejusdem argumenta, quibus usus est ad negandum, *Chalcidium* fuisse religione Christianum, imbecillia esse, docet *pag. 323 – 342. Pag. 454 seq.* recenset rarissimum librum *Jacobi Mazonii de triplici hominum vita, activa, contemplativa, & religiosa* : ab eoque syncretismum exerceri philosophicum, at minus erudite, judicat.

DEL-

DELLA BIBLIOTECA VOLANTE, &c.

h. e.

BIBLIOTHECÆ VOLANTIS JOANNIS CINELLI CALVOLI, continuatæ per DION. ANDR. SANCASSANUM, Repositorium XXII.

Rovereti, impensis Petri Antonii Berni, 1736, 8.
Plag. 12 ½.

Recensentur in hac *Bibliotheca*, cujus priora XXI *Reposito-
ria* nondum venerunt ad manus nostras, particula scri-
ptores varii, vel potius scripta, quorum indicem cum Lectore
communicandum judicamus. Frontem aperit *Adrianus Vale-
rini*, Poeta Veronensis, ejusque Epithalamium, *Æneæ Sylvii* Ora-
tio funebris, A. 1603 dicta, & *Æneæ Sylvii Piccolominæi* Oratio
Pag. 4. funebris in *Fridericum Augustum*, Poloniarum Regem. Succe-
dunt scripta minora *Alexandri Sperelli* & *Zonzi*, *Alexii Pulcii*,
Andreæ Budrioli & *Naugerii*. Posterioris, Patricii Veneti,
Carmina aliquot ex Codice MSto Bibliothecæ Vaticanæ hic
9. eduntur, inprimis illud in Borguettum catulum. Sequitur *An-
geli Politiani* Carmen ad *Nicolaum Placentinum*, ex Codice
MSto Vaticano nunc demum editum. Sequuntur Opusculo-
rum tituli, referendorum ad *Antonium Possevinum*, *Andream Fran-
ciscum Tacchinium*, *Antonium Loredanum*, *Marinarium*, *Palmu-*
20. *sium*, & *Melchiorium*, *Arnoldum Wesaliensem*, *Augustinum Abarium*
& *de Commitionibus*, & *Vegium Petarellum*. Adjiciuntur Anonymo-
rum aliquot Opuscula, vel potius eorum tituli. Ad elementum alpha-
beti secundum referuntur tituli librorum *Bartholomai Christiani Ri-
chardi*, *Bartholomai Crotti*, *Facii*, *Merula*, & *de Virgilio*, *Bernar-
dini Feliciani*, *Bernhardi Bucci* & *Marcelli*, nec non *Bonaventura Bar-*
30. *berini*. Sed cur nomina suppeditamus nuda? Addemus pauca memo-
36 seq. rabiliora, nominibus plerisque omissis. Recensio Orationum Papæ
Clementis XI non potest non esse gratissima. *Eustachii Manfredii* Ob-
48 seq. servatio eclipseos lunaris, Romæ A. 1732 d. 1 Dec. habita, ex toto hic
est inserta. Suavitatem spirant Carmina nonnulla *Joannis Georgii*
77 seq. *Tressini*, e Codice Vaticano allata. Errorem putat a sese admissum
97. Autor *Cap. 15 Repositorii XXI*, eo quod *Joannem Albertum Fa-
bricium* defunctis annumeravit. Et utinam illum errasset errorem!
109. Sed non erravit. Obiit enim A. 1736 æstate ineunte. *Joannis Coch-
lei* tria laudantur scripta a Nostro, ac passim ea inseruntur, inprimis
poetica, quæ fastidium lectori abstergere valent. De reliquo nec vi-
tæ Autorum, nec summæ scriptorum, nec judicia de iisdem,
hic debent quæri, aut exspectari.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXXVIII.

CAROLI SIGONII OPERA OMNIA, EDITA & nondum edita, cum Notis variorum Virorum illustrium, & ejusdem Vita, a Cl. Viro LUD. ANT. MURATORIO conscripta. PHILIPPUS ARGELATUS nunc primum collegit, suasque Animadversiones in aliquot SIGONII Opuscula adjecit, nec non Indicibus locupletissimis instruxit.

Tomus IV & V.

Mediolani, in ædibus Palatinis, 1734 & 1736, fol. maj. Tom. IV Alph. 6, Tab. æn. 1, Tom. V Alph. 7 plag. 10, Tab. æn. 1.

Præclara sunt & excellentia, quæ peracre nostra ætate Italiæ studium contulit ad renovandam erigendamque, antea collapsam prope & exstinctam, penes se gloriam literarum. Quas illa, e Græcia olim petitas, iisdem, quibus arma & imperium, terminis concludere, inferreque ausa est ultimis gentibus, etiam invitis; ex ista quoque communi & pæne suprema sua nocte emersas, refovendas, immittendasque melioribus auspiciis toti orbi, prima suscepit: donec ad hæc tempora perventum est, quibus omnes terrarum angulos pervagatas, neque tamen usquam dignatas consistere veluti in suo, ut huic cœlo proprium id munus appareat, *Gravinæ, Maffei, Gorii, Muratorii*, & aliorum, tanquam humeris reportatas, amplexatur, colit, adorat; utque in posterum eo habean-

beantur reverentius, hancque ſui amantiſſimam amare patriam velint, de amplioribus earum in dies ornamentis ſola contendere cum omnibus, ac curioſiſſime videtur laborare. Egregio enim *Phil. Argelati* conſilio, *Sigonianos* omnes libros hoc potiſſimum modo conjungendi exornandique, quo profuit omnis ævi memoriæ, nec minus iis, qui templa dedicant, honoravit rerum geſtarum perennitatem, quid præſtantius in literas, in patriam illuſtrius, excogitari fingique poſſit? In his monumentis vetus Palæſtina excitatur, Græcia reſurgit, Roma vivit, imperium antiquum reſtituitur, Longobardi renaſcuntur, & cujus non ævi hiſtoria floreſcit? Inde lucem tota antiquitatis ratio, veritatem rerum geſtarum fides, perſpicuitatem & elegantiam Jurisprudentia, priſcum ſuum robur & ſplendorem Romana eloquentia, recipiunt.

In *quarto* autem *Volumine* primo loco poſiti ſunt *de Republica Hebræorum Libri VII.* In quibus cum per omnem antiquitatem non peregrinatus quidem, ſed omnium tanquam ejus civitatum jure donatus, Autor, earum reipublicæ peritia ita cum iis, qui in illis nati habentur, contendat, ut, quicquid earum ſacris aut publicis monumentis continetur, ille hoc potiſſimum complexus ſit ingenio, quo omnes illos antiquos ſuorum temporum ſcriptores de cura, de ordine, de perſpicuitate & elegantia, in certamen vocaſſe poſſit videri. Doctrinam igitur atque literas præſtantiſſimi *Maffæi* magnas atque illuſtriſſimas eſſe oportuit, quibus iis, quæ majoribus egere non videbantur, longe maxima contulit ornamenta. Iis enim, quos his Libris adjunxit, Commentariis tantas ſanctiſſimarum divinæ gentis literarum & hiſtoriæ divitias explicavit, eam ſe habere linguæ illius notitiam probavit, ut, cujus rei ille fidem de ſe fecit, eam ſi de omnibus ſacrorum hominibus eorundem credere par eſſet, quibus in poſterum de hac gloria concedere deberent, habituri non ſint. Inſequitur *Sulpicii Severi Hiſtoria ſacra*, Commentariis *Sigonii*, pari lima politis, expoſita. Ubi ad ſacrorum librorum tempora, hominum ſanctorum genealogias, & totius eccleſiæ vetuſtioris viciſſitudines, intelligendas multa afferuntur adjumenta.

In

In qua ad umbilicum pervenit volumen, ipſius *Sigonii Hiſtoria eccleſiaſtica*, ea ex manu deſcripto exemplari Vaticanæ Bibliothecæ publicatur primum, continetque a Chriſto nato annos 311. Quo in Opere ne alias ſatis perſpectam Autoris diligentiam & eruditionem, ſint, qui deſiderent, eo minus veremur, quo doctius verſatus eſt *Horatius Blancus*, Jureconſultus Romanus, in iis, quæ ad hunc librum ſcripſit, προλεγομένοις.

Volumine V continentur primo loco *Commentariorum de Republica Athenienſium Libri IV.* Qui cum ſingulari cura ab acutiſſimo homine ſint elaborati, ut duas res, apud alios inſociabiles, miſcuerit, rerum copiam & ſtili brevitatem; non minorem gloriam preſſiori hac opera, quam amplis illis & diffuſis de Romana civitate lucubrationibus, videtur conſecutus. Nam, quemadmodum formam totius reipublicæ in hac urbe, quæ ſoli Romæ ſecunda eſſet, pulcherrime animo comprehendit, ita luculentiſſimo, quo pollebat, orationis genere & ſcribendi arte mirifice illuſtratam propoſuit; ut expedierit hanc unam facillimam viam, qua iretur ad accuratius noſcenda cujuscunque generis florentium ingeniorum Græca monumenta. Qui ergo hac ratione eruditorum hominum judicio abunde ſatisfeciſſet; frequentiſſime, neque minus graviter, reprehendebatur in uno. Videmus enim & *Jacobum Gronovium* quodam loco ſcripſiſſe, *Sigonium in libris, quos de Græcorum republica ediderit, nihil magis caviſſe, quam ne quidquam Græcum in iis reperiretur;* & multorum præterea eandem ſcimus exſtitiſſe accuſationem. Viri ſcilicet minime ignari, quam periculoſa eſſet omnis ad exploratam ſententiæ veritatem expreſſa interpretatio, ægerrime ferebant, ſolius vertentis ingenio autoritatum fidem arbitriumque permitti; ut ejus ſuſpecta libertas tantundem incertos legentium animos teneret, atque ſi rerum nulli pæne, qui ſic nominantur, nominarentur Autores. Quo incommodo ne laborandum in poſterum iis eſſet, qui ex aliis perſpecta *Sigonianæ* diligentiæ præſtantia & felicitate commendatiſſimum hoc Opus ſatis magni erant facturi, Cl. Editor præclara opera uſus eſt eruditiſſimi cujusdam Viri, cujus nomen,

quodcunque id demum sit, literis certe auspicatum & salutare, non justus aliquis pudor, sed sola insignis modestia animi, occultavit. Is, abunde sarciendo, quicquid ex genuina Autorum fide & lingua desiderabatur, horum præfuit ornamentis librorum. Nam & integra Græcorum, nisi longiora quæ essent, testimonia perscripsit, & nova ipse multis in locis retulit, & inter Autores dissentientes subinde repugnantias composuit, multasque difficultates primus indicavit, plures jam notas dissolvit; ut ubique minime ambiguam rerum veritatem, quantum veterum monumenta & Græcorum linguæ peritia usui sunt, expediat. Cujus quidem rei multa habemus exempla, ut pag. 8 not. 23, *de Atheniensium post Codrum Regibus;* pag. 15 not. 36, *de Areopagi conditore & institutione;* pag. 25 not. 80, *de Baccho, cui Dionysii nomine ludi facti sunt in Lenæo contra accusationem* Jac. Gronovii; pag. 36 not. 98, *de tabulis legum, quæ ἄξονες & κύρβεις vocabantur;* pag. ead. not. 100, *de explicatione τοῦ κάθωθεν νόμου;* pag. 52 not. 22, *de* Scaligeri *a* Sigonio *dissensu in quæstione, ex quibus πρόεδροι* & *ἐπιστάται lecti sint;* pag. 113 not. 87, *de his quinque foris, quæ* Meursius, *præter decem memorata a* Sigonio, *affirmat exstitisse, nominibusque ab Autoribus prodita fuisse: τὸ ἐπὶ λύκῳ, ἄρδηττον, βατραχιοῦν, φοινικιοῦν, ᾠδεῖον.* Qua in parte diligentissimus Commentator præclare demonstrat, *confinxisse* Meursium *τὸ ἐπὶ λύκῳ perversa explicatione hujus apud* Pollucem *loci*, qui perscriptus est *Lib. VIII Cap. 10:* Τὸ ἐπὶ λύκῳ, ἀφ' οὗ καὶ ἡ λύκου δεκὰς καὶ ἥρως δὲ ἵδρυται αὐτόθι, ἔχων τοῦ θηρίου μορφήν. πάλαι δὲ συνῄεσαν οἱ συνδεκάζοντες τὰ δικαστήρια. Quo declarari ipse probabiliter putat, locum Athenis fuisse, in quem simul judicia corrupturi coierint, in eoque *Lyci* statuam fuisse; cum autem postea ibi δικαστήριον constitueretur, id monumenti omnibus foris apponi cœpisse, quæ ille per τὴν τοῦ λύκου δεκάδα designari credit, licet numeri hujus rationem se non deprehendere fateatur. *Hesychii* enim, *Harpocrationis*, & *Suidæ*, testimoniis confirmat, omnia fora *Lyci* statuam habuisse. Quantum igitur nos perspicimus, singulare

lare forum, quod *Lyci* vocaretur, ei fuisse non videtur; sed a *Polluce* tantum caussam & initium *Lyci* simulacrorum propter fora collocandi memorari, nullo nominatim prodito, ad quod ea narratio pertineret. Quæ quidem sententia improbanda minime propterea videtur, quod de tali foro alii scriptores mentionem nunquam faciant. De *Lyci* tamen decade dici fortasse possit, *Hesychium* & reliquos, cum omnibus foris *Lyci* statuas tribuunt, de iis tantum sensisse, quæ numero decem reliquis multo celebriora sola potissimum fora haberi debuerint; ideoque recte a *Polluce Lyci* decada nominari. Eodem loco reliquis quatuor, ex *Meursio* commemoratis, ipse novum, *Etymologici* magni autoritate, addit, cui, *Theseio* vocato, *Thesei* fanum prope mare πρὸς τὸ μακρὸν τεῖχος assedisse probat. Quo invento egregie explanavit locum in *Andocydis* Oratione, ubi narrantur στρατηγοὶ *convocati esse, qui quidem in urbe habitarent, in forum, & qui* ἐν μακρῷ τείχει, εἰς γε Θησεῖον: & *Aristophanis* in *Vespis* versus unice explicavit, quibus *alii judicare apud undecim, alii in Odeo, alii* πρὸς τοῖς τείχεσι, dicuntur. Quæ vero *pag.* 178 *not.* 150 afferuntur περὶ τῶν λογιστῶν καὶ εὐθύνων, magnopere incertum doctissimi Viri animum produnt. Quodsi nobis arbitris res ageretur, non dubitaremus *Sigonii* sententiæ album calculum adjicere. Locus enim *Aristotelis Polit. Lib. VI Cap. ult.* ἐπεὶ δὲ εἶναι ἐνίας τῶν ἀρχῶν, εἰ καὶ μὴ πάσας, διαχειρίζουσι πολλὰ τῶν κοινῶν, ἀναγκαῖον ἑτέραν εἶναι τὴν ληψομένην λογισμὸν, καὶ πρὸς εὐθύνουσαν αὐτὴν μηδὲν διαχειρίζουσαν ἕτερον· καλοῦσι δὲ τούτους οἱ μὲν εὐθύνους, οἱ δὲ λογιστὰς, οἱ δὲ ἐξεταστὰς, οἱ δὲ συνηγόρους: sic videtur vertendus: *Magistratibus quibusdam, quamvis non sane omnibus, publica negotia administrantibus quam plurima, necesse alium est magistratum exstare, qui rationes exigat, & correcturam gerat, nihil aliud ipse administrans; vocantur autem tales magistratus alias* (pro diversis scilicet officiis & necessitatibus reipublicæ) *correctores, alias a rationibus, alias quæsitores, alias procuratores.* Ultima enim verba *Ubbo Emmius* & μεταφρασταὶ Philosophi græcismi ignoratione perperam intellexerunt. Qui

enim *Ubbonis* ſententiæ accedere velit, ab eo rationem exigeremus, primo quidem, cur crediderit, a Philoſopho hic grammaticam potius vocabulorum enumerationem, quam diverſarum unius generis formarum, inſtitutam: deinde quibus autoribus affirmaturus ſit, τὰς ἐξετασὰς καὶ συνηγόρες ſemper eosdem eſſe atque εὐθύνες καὶ λογισὰς; quod tamen eadem ratione, qua εὔθυνοι modo & λογισαὶ iidem eſſe colliguntur, efficeretur. Quanta præterea acceſſio facta ſit huic Operi, cum χορογραφίαν accuratiſſimam *Atticæ* adjunctam habeamus, ii judicabunt, qui lectione comperientur, tam exacte atque luculenter eam inveſtigatam, deſcriptam, illuſtratam, ut, qui præcipuas ejus utilitates & opes memorare decreverit, totam referre debeat. Qui itaque jam ſatis gloriæ ob reſtitutas Græciæ antiquitates ſuperiori opere ſperare poterat inquietus hominis Mutinenſis animus, nova *de temporibus Athenienſium & Lacedæmoniorum* ornatiſſima lucubratione, paſci ſe tam ad multos uſus & oblectamenta accommodato labore, declaravit. Quæ quanto artificio ſit perfecta, cum hoc loco explicari non poſſit, quia ejus totam abſolvit præſtantiam, ut in ſe invicem implicata brevitate diſperſæ alias & multæ res unum quaſi ſub adſpectum colligantur, ut inde nulla avelli præcipue particula debeat; jubemus exſpectationi, quam Autoris habere ſingula ſolent, tribuere omnes tantum, quantum judicii integritas cum perpetua conjuncta ſolertia meretur. Qui vero *Sigonii* eruditionem ſequantur in his temporibus ducem, comitem non minori commodo adjungent Editorum præclaram diligentiam, quæ *auctarium* reconditarum & excellentiſſimarum in hanc doctrinam rerum elaboravit. Cum autem nobis in laudando prius loci hujus opportunitatem, quam ullo modo juſtiſſimæ admirationis materiem, defuturam ſentiamus; ea utemur conſolatione, qua honos potius habitus, quam injuria facta, *Sigonio* & præſtantiſſimis Editoribus videatur: ſi ceſſerimus legentium faſtidio & temporis neceſſitati, a quibus quicquid dicetur, non tamen dictum pro eo erit, ac merita in literas tanta poſtularint. Quare potius ad ea properare avet animus, quæ Operis

ris dignitate & excellentia præcipuam a nobis curam haud dubie exigerent, nisi jam dudum doctorum notitia intelligeremus contineri, quicquid de iis posse perspicimus laudatione comprehendi. Ea sunt, quibus *Sigonius* Romanorum Jus publicum, divinum pariter & humanum, nec non civilis scientiæ partes nobilissimas, complexus, partam tot ingenii monumentis ac decoribus jam ante nominis immortalitatem non tantum longioris multo ad spem ævi erexit atque extendit, sed egregio quoque & invicto contra omnium vim temporum monumento firmavit. Adeo enim nihil simile huic Operi elegantioris antiquitatis studiosi norunt, Historici experiuntur, Jurisconsulti fatentur, ut, quicquid veterum scriptorum fide confirmandum, aut vetustatis notitia & luce declarandum, putant, solius hujus viri testimonio committere non dubitent, sicque ejus autoritati confidendum ducant, tanquam hoc uno sponsore interposito omnium vetustatis scriptorum consensum ac sententias usurpassent. Cui pervulgato jam hominum judicio cum non modo nihil detrahere, sed summam quoque rationem & autoritatem afferere, cupiamus; si id ad ignaviam atque inscitiam quorundam valere nolimus, ignoscere nominis *Sigoniani* amantiores debebunt. Quippe qui magna contentione asseveramus, & horum argumenta librorum ad omnes antiquitatis partes cognoscendas satis late patere, & pro unius hominis facultate & ingenio pæne omnia felicissime pertractari, non ferimus eos, qui, antiquitatum & Juris Romani se doctores professi, nihil aliud in Commentariis suis agunt, quam ut ex *Sigonii*, *Cujacii*, *Balduini*, *Hottomanni*, *Brissonii*, & aliorum, libris quibusdam pannis direptis centones suant: non aliter ac si munere Deorum missi essent, qui magnorum virorum scita abs se in ordinem redacta, & pestilentibus succis condita, ignoranti seculo propinent. Quodsi hoc sit literarum barbariem ac solitudinem a patria defendere, si sordes propulsare, si ineptias de mundo tollere; nos ad superiorum temporum infelicitatem revolvi, quam his deliciis frui, malimus. Non enim contenti sunt, veterum Autorum majestatem atque splen-

ſplendorem de ſtatu dejicere, ſed novos ſuos, inauſpicatos, deformes, & infelicibus flammis uſtulandos, fœtus imperitis ingerunt, magnorum ingeniorum fortuitos atque excuſabiles errores ex parvis plerumque maximos efficiunt, & denique, cum omnes ingenii nervos intenderint, id conſequuntur, ne quid omnino in iis, quæ mala manu tractarunt, ſanitatis appareat. Hi ſunt, qui jam a longo tempore *Sigonium*, ignoratione Juris civilis non raro lapſum, interdum ingenio deceptum, negligentia ſæpius incautum, frequentiſſime depravatis Autorum exemplaribus de via aberrantem, tam ſecuri ducem ſibi fecerunt, ut nihil ſuſpicati ſint eorum, quæ multa in longo hoc Opere vitia notavit doctiſſimus *Madernus*, qui utiliſſimos his *de antiquo civium Romanorum, & Italiæ, & Provinciarum, jure*, atque *de Judiciis*, libris Commentarios addidit. Quæ omnia una cum iis, quæ, a *Sigonio* recte tradita, majori cura perpolivit, ſi, quaſi ſummis paſſim capitibus rerum in cenſum relatis, diſcere legentes volent, habebunt hic ſatis multa. *Pag. 8 not. 14* præclare probavit, *Jul. Cæſarem rempublicam non injuſte & per tyrannidem occupaſſe, ſed virtutibus ſuis principem locum meritum, inimicorum factionibus & intemperantia compulſum eſſe purgandæ atque conſtituendæ reipublicæ curam ſuſcipere. Pag. 18 not. 25* notat *Sigonium, non diſtinguentem urbis & Romæ appellationem*, quam tamen diſtinxit *Paulus l. 2 D. de Verb. ſign.* in quam legem *Gothofredi* perverſiſſima exſtat interpretatio. *Pag. 23 not. 28* de *Romano agro* pulchre diſſeritur, tam de eo, quo finiebatur jurisdictio magiſtratuum urbis, quam qui, extra Romanos fines ab hoſtibus captus, a civibus Romanis colebatur. *Pag. 28 not. 31* optima ſunt, quæ de *tribubus* afferuntur, interque ea veriſſima etymologia vocis *tribus* a *tribuendo*, quæ origo vocis nos in eam cogitationem adduxit, ut cauſam inde afferri credamus poſſe, cur *Feſtus* & *Pædianus* tribus curiis permiſcuerint. Cum enim antiquitus tribus ſeparatam aliquam totius partem ſignificarit; omnes populi diviſi partes generali verbo tribus vocandæ fuerunt. Triginta autem ex curiæ *Romuli*, indito peculiari nomine,

effe-

effecerunt, ut illis quatuor partibus, a *Servio* institutis, solum generis nomen, sine periculo confusionis cum curiis, sufficeret. Cum itaque isti Grammatici in quodam antiquo scriptore generale verbum de curiis usurpari deprehendissent, eas & tribus easdem crediderunt esse. *Pag. 39 not. 34*, relatis ex *Livio* & *Dionysio* de *centuriis* verbis, *Sigonium* non perspexisse, demonstrat, *de quo in curiarum numero horum Autorum dissensus fuerit*, cujus ipse causas optime declaravit. *Pag. 49 not. 41* optimo jure castigavit Autorem, quod, *legum XII Tabularum miram obscuritatem desiderasse prudentium interpretationem*, affirmarit; cum potius ad præcipua quædam & generalia civilis disciplinæ capita adstricta brevitas indiguerit prudentium ad multos & varios casus accommodandi peritia. *Pag. 51 not. 43*, *Senatusconsulta ante Imperatores leges non fuisse*, certissimas rationes attulit; quibus si ab *Hubero Observat. Jur. humanior. Lib. I Cap. 3* gravissime atque accuratissime expositas addideris, nihil admodum ad hujus rei fidem præterea desiderabis. *Pag. 53 not. 45 Sigonii* commentum *de Tribunorum edictis* refellit, quos decreta tantum interposuisse constat. Sed ad hoc affirmandum plerisque nostris *Ulpianis Sigonius* autor suffecerat. Loco eodem *Censorum edicta, a Sigonio omissa*, commemorat. *Pag. 57 not. 52 Sigonium, Livii* loco perversissime explicato affirmantem, *vulgo conceptos ex mulieribus, quibuscum nullum connubium esset, servorum numero habitos esse*, clarissimis testimoniis refutavit, cum *Livius* de ea tantum manumissione loco a *Sigonio* usurpato sit intelligendus, qua ex Hispanis fœminis dedititiis & civibus Romani nati latini fiebant. *Pag. 62 not. 55* demonstrat, *Sigonium legi Servii de incensis nimis amplam significationem tribuisse*, cum putaret, *omnibus indiscretim, qui censi non essent, ea libertatem ademtam fuisse*, quæ solam fraudem in subterfugienda census atque militiæ simul necessitate coercuit. *Pag. 64 not. 56* de *causis amittendæ civitatis* diligentissime tractavit: cum in similibus argumentis *Sigonius* vacillare fere, si non labi, consueverit, nulla adjutus disciplina Juris Romani. *Pag. 67 not. 57* justissime reprehendit *per-*

verſiſſimam legis Fabiæ de plagiariis explicationem, quæ *Porciæ* ſolum convenit, arcenti a civium tergo verbera, cum *Fabia* de ſuppreſſis tantum aut venditis per fraudem liberis hominibus lata fuerit. Ex hoc igitur ſolo *Sigonii* errore æſtimari debet eorum Juriſconſultorum eruditio, qui eo Autore præcipue ubique, nonnunquam unico & ſolo, niti non dubitant, ſi quando antiquitatis & elegantiarum doctrina atque opibus ſe beatos putant. *Pag. 70 not. 59* & *60* egregia monuit *de poteſtate in majores magiſtratus ab ipſis Patriciis prodita Tribunis plebis, & de iis decem numero creatis ante legem a* Sigonio *memoratam*. *Pag. 72 not. 61*, *legi Porciæ caput de exilio civis Romani falſo aſſignatum eſſe, &, nulla Romæ de exilio lege lata, nulli quoque civium, præterquam Tarquinio Superbo, a magiſtratu id decretum, , ſed permiſſum tantum confirmatumque*, *Ciceronis* & hiſtoriæ teſtimoniis obtinet. *Pag. 80 not. 64* rationem, *cur ſenatores patres vocarentur*, eximie prodidit. *Pag. 84 not. 65* doctiſſime diſtinxit *auſpicia conſularia ante ipſa comitia ab his, quæ jam peractis comitiis creati Conſules, initio magiſtratus Capitolium adſcendentes, capiebant; ſine illis nullum Conſulem creatum* affirmat, *quia ſtata ac ſolennia unice creandis Conſulibus centuriata comitia ea ſemper habuerint; hæc vero ab ipſis novis Conſulibus neglecta interdum eſſe, unde ii inauſpicato facti dicantur. Pag. 86 not. 67* ingenioſe de *patribus minorum gentium ante Brutum* diſputat. *Pag. 88 not. 69* in diligentiſſima de *ſacris Romanis, & jure eorum*, tractatione *Sigonii* aliorumque artem æquavit, ordinem & diligentiam tenuit, perſpicuitatem & copiam ſupergreſſus eſt. *Pag. 99 not. 70* locum ex *Inſtitutionibus*, quo dicuntur *ſoli cives Romani juſtas nuptias contrahere*, declaravit, ut doceret, *non omnino prohibitas fuiſſe cum externis nuptias; ſed, quibus jus connubiorum non eſſet, iis hoc a Senatu vel populo petere licuiſſe, ut cives per matrimonia fierent: itaque eo ſolum nomine juſtas non fuiſſe ejusmodi nuptias, quod non adeo ſolennes, nec cum vulgari legum obſervantia, fierent.* Quam ejus opinionem veritati plane confirmare nobis equidem videtur *Ulpianus* in *l. Si uxor. §. 13 ff. ad L. Jul. de A-*

dult.

dult. quam legem cum explanaret *Huberus Digreſſ. Juſtinian. P. II Cap. 17*, excogitavit aptiſſime diſcrimen inter ſignificationes *juſti*, unam, quando idem ſit, quod *legitimum*, alteram, cum quod *ſolenne. Pag. 110 not. 82*, de *cauſis effectibusque patriæ poteſtatis, ejusque diſſolvendæ modis*, agens, non minus ornamenti veteri Jurisprudentiæ doctrina & rerum delectu, quam ordine & narrationis concinnitate elegantiaque, voluptatis legentibus, contuliſſe intelligitur. *Pag. 132 not. 88* accuratiſſimam uberrimamque de *acquirendi modis* diſputationem interpoſuit. *Pag. 148 not. 93* de *origine & proceſſu tutelarum* docta commentatur. *Pag. 150 not. 94* de *ceſſitia mulierum tutela Cujacium* refutavit, qui, a *Claudio* ipſam fœminarum tutelam ſublatam, a *Conſtantino* poſtea reſtitutam fuiſſe, prodiderat: cum, ut ipſe accuratiſſime demonſtravit, a *Conſtantino* nequaquam ceſſio revocata ſit. Quare Autorum ſententiam ita exponit, *ut Claudius conſanguineis fratribus & patruis a tutela plane abſtinendi facultatem conceſſerit, cedendi etiam, quæ ante fuerat, neceſſitate remiſſa:* Conſtantinus *vero &* Zeno *tutelas adeo ad priſtinum jus & rigorem vocaverint, ut tollerent inſuper cedendi licentiam.* Qua aſſeveratione quid præclarius? Cumque ii, qui, Compendia aut Syntagmata, ut ipſi pereleganter inſcribunt, fabricando, nihil juventutem docent, quod ex *Sigonii* & antiquariorum voluminum titulis argumentorum, & tabulis ad requirendi facilitatem adjunctis, diſci non poſſit: ad præcantata verba reddendum nata animalia, & laborioſarum nugarum ambitioſi doctores iſti, cum omnia ita confirment, ut iis, ſi non in ſolis *Manutii* alicujus, aut *Sigonii*, aut *Cujacii*, nominibus, at in probationibus certe, pronuntiationibusque eorum ſingulis, ſat ponderis ac rationum ponatur; fieri non potuit, quin nemo adhuc dubitaret, *ſi olim nomen cujusquam, nullo diſcrimine, jure an fraude fieret, in Cenſorum tabulas relatum eſſet, eum extemplo, Diis hominibusque invitis, civem Romanumque rerum dominum effectum eſſe.* Qua in re ne aliqui parum acuti viderentur, addiderunt quoque, *ſervorum manumiſſiones ita fieri ſolitas fuiſſe, ſi*

si cujus nomen clam in censum irrepsisset, eamque libertatem contra Jovis & Romae potentiam ratam fuisse, imaginati sunt. De quo si probationem desideres, nihil agas, cum ii, *Sigonio* nominato, *Ciceronis* eosdem, quos ille, locos proferant, in quibus tamen nullam causam perspicere profecto potuerunt, cur hoc affirmandum crederent. Solos igitur lectores suos se feliciores sperarunt fore, ut eandem, quam *Sigonium* deprehendisse sibi persuaserant, rationem deprehenderent. Nunc vero, quid illi facturi sint, non liquet, cum *Madernus* noster *pag. 154 not. 9* non demonstrarit modo, unum *Ciceronis* locum maximis esse mendis perversum, &, utcunque eum legas, nihil tamen probare, sed reliquorum binorum aciem, qua se tuebatur *Sigonius*, ita in eum retorserit, ut, *Livio* in societatem testium adscito, contrariam veritatem assereret. In quam sententiam nos infinita ex tot legibus de peregrinis, de civitate, latis, ex peregrinitatis causa quamplures dixisse scimus, argumenta adjungeremus, nisi locum nobis praecepisset debita hujus Operis laudibus materies. *Pag. 158 not. 102 Sigonium* a *Graevii* accusatione liberavit, quasi *Suetonii* locum *Jul. Caes. Cap. 41* de censu perperam explicasset. Ipse enim evincit, *ibi omnino de censu in novum morem commutato agi, cum distributio frumenti, quam hic* Graevius *solum admittebat, jam antea vicatim facta fuerit; illud vero de accipientibus frumentum ex publico, pertinere ad legem Clodiam Annonariam, ut quotannis gratis daretur populo frumentum, cum ex censu appareret, quot essent, qui frumentum accipere deberent. Pag. 160 not. 105* iterum *Sigonium* notat, qui *auxilia & socios nominisque Latini homines* non distinxit: cum auxilia tamen extra legiones militaverint, socii & latini ipsis legionibus permisti. *Pag. 162 not. 106* de *legione Romana* multas doctorum tralatitias quaestiones erudita disputatione finivit. *Pag. 191 not. 113* de *magistratibus generatim* doctissime disseruit. Ex his, quae ad solum *primum Librum* hujus *Sigoniani* Operis adjecit in omnibus antiquitatis partibus gloriose versatus homo, satis intelligere volumus Lectores, quanto in pretio habenda haec sint augmenta,

menta, quæ non accessionem aliquam, sed opus profecto alterum, habere possumus. Ne longius progrediamur, multitudo atque varietas rerum, utilium earum atque præstantium, effecit, qua obrui nos citius, quam satiari, intelligimus posse. Tanquam receptui signum ergo dabimus de *Sigonii* hoc similibusque aliorum Operibus judicium, quod non propterea, quod sit nostrum, sed quod aliorum quoque gravissimorum hominum, harumque rerum inprimis peritorum, confidamus fore, placere legentibus cupimus, quasique veterem aliquam Senatus literarii autoritatem obtinere suum jus atque splendorem etiam nostra ope contendimus oportere. Cum majorum nostrorum temporibus in laude poni bonæ cœpissent literæ, & humanitatis longe maxima gloria putaretur; nemo repertus est, qui non amplæ, & per immensa patentis, doctrinæ atque scientiæ, quam curæ atque judicii, spectare famam maluerit. Quo fiebat, ut, de omnibus dum multa potius, quam multum, dicere posse volunt, egregia & in medio posita transvolarent; convectarent undique ambitiosos, & laborantes mole, apparatus, in quibus ingenii præcipuas ubique, rationis interdum atque veritatis nullas, esse partes voluerunt: effecerantque multis Autorum testimoniis perversis, hominibus inanium dubitationum pariter ac mendacium asseverationum argutiis repletis, antiquis denique gravibus & amœnissimis literis ex simplicibus & paucis redditis infinitis, ut hodie doctis & laboriosis hominibus egeamus, qui grandibus eorum libris non minores opponant anticatones, multoque majori diligentia, quid omnes ante se nescierint, quam quid potissimum ipsi sciant, docere allaborent. De scribendi autem arte, & aliis, præterquam scholasticis, perspicua atque jucunda prodendi studio nemo non modo laboravit, sed ne ullo quidem modo cogitavit; nisi *Manutium*, cui alia multa deerant, in aliquo ob id loco velis habere. Innumera itaque eorum vitia nobis adhuc fraudi sunt, quæ, nulla nos spes tenet, animadversum atque sublatum iri, quamdiu erunt aut tanta delicatorum fastidia, aut doctorum mos spectatas tantum fabulas reponendi, & cupido intactas aliis solum minu-

 tias

tias cumulandi. Quibus omnibus cum vix vacare *Sigonius* culpis queat, longe tamen plura bona naturæ & induſtriæ in eo novimus ſupereſſe, quæ nunc adeo non eſt extollendi tempus, ut ſupra multis documentis planum fecerimus, ſi quid ſit, in quo deſiderari hominum de eo juſtum judicium debeat, hoc eſſe, quod ejus autoritate abutendum potius, quam eam contemnendam, ducant.

RACCOLTA D' OPUSCOLI SCIENTIFICI E Filologici, &c.

h. e.

COLLECTIO OPUSCULORUM SCIENTIficorum & Philologicorum.

Tomus I & II.

Venetiis, apud Chriſtophorum Zane, 1728 & 1729, 12.
Tom. I plag. 21½, cum Fig. æn. 1, Tom. II Alph. 1, cum Fig. æn. 3.

Plurima ſunt, eademque graviſſima, in rempublicam literariam merita, quibus ſibi omnes, quotquot ſcientiarum varietate delectantur, devinxit egregius doctiſſimusque hujus Operis Collector, *Angelus Calogiera*. Neque enim tantum ſelectiſſimorum per Italiam ingeniorum conventum egit hiſce in *Opuſculis*, quo nomina eorum, jam penes Italos celebratiſſima, exteris etiam inclareſcere poſſent, ſed id etiam, quod ab unoquoque in ſua arte politiſſime & ſapientiſſime ſcriptum judicavit, ex magna librorum rariorum copia ſelegit, dapibusque his menſas ſuas philoſophicas ac philologicas inſtruxit. Parum contentus, arti ſuæ ornamentum attuliſſe, omnibus, quotquot reperiuntur, ſcientiis ampliſſimas dedit & longe præſtantiſſimas acceſſiones. Theologos, morum doctores, Hiſtoriæ ſacræ æque ac profanæ ſtudioſos, Poetas, Rhetores, Mathematicos, rerum ad naturam ſpectantium curioſos, æquali ſibi beneficio obſtrinxit. Jam quidem viventium ſaltem hac ætate Virorum ſcripta exhibentur; verum, non ſe neglecturum in poſterum, ſi copia detur, inedita antiquo-

quorum Seculorum monumenta, ſpondet. Selectu Opuſculorum pretium laboris ſui auxit. Non enim, niſi quæ aliquo invento novo, vel facti cujusdam raritate, memorabilia viderentur, vel quæ rariora inventu eſſent, hoc in Opere proditura, ea vero, quorum juſto major moles eſſet, contractiora ſe daturum, in Præfatione, ad magnum Medicinæ lumen, *Vallisnierium*, directa, recepit. Tribus ſingulis menſibus ſinguli publicantur *Tomi*, quorum jam *ſex & decem* noſtris manibus tenentur. Dicemus jam de *primo* & *ſecundo*, de ceteris proxime dicturi. *Primo Tomo* habentur *G. Pauli Limperani*, Medici Romani, Epiſtola de partu viperarum per os contingente; quam pullos enitendi rationem viperis ordinariam & ſolennem judicat, ore etiam gravidas fieri arbitratus. Meditationi occaſionem dedit caſus ſingularis. Vidit ſcilicet Autor, quinque pullos viperinos matris ore egredi, ita diſtincte & clare, ut dubitationi nullus ſupereſſet locus. Singula vipera nata membrana circumquaque inveſtita fuit, quam cum ad modum exuviarum depoſuiſſent, repentino incremento, poſt duas ab ortu horas, dimidio, quam natæ erant, auctiores evaſerunt. Accommodatiſſima eſt ad propoſitam quæſtionem *Vallisnierii* reſponſio, qui, æqualem omnibus animalibus naſcendi conditionem aſſerens, organa genitalia viperæ addita icone eleganter declarat, ad oculum demonſtrans, ureteres, oviductus, ſeu uterum bicornem, in cloacam animalis deſinere. Ne tamen irritam omnino hanc de inſolita partus via obſervationem redderet, admittit, forte per canalem inteſtinorum matris viperæ pullos adſcendendo ad os delatos fuiſſe, quod factu impoſſibile eſſe, non omnino judicat, rei novitatem excuſans potius, quam approbans, quandoquidem uterus viperæ bicornis, cum inteſtino ejus recto conſpirare deprehendatur. Succedit huic Commentationi erudita ad *Joannem Polenium*, Mathematices in Academia Patavina Profeſſorem, ab eodem *Vallisnierio* data, de Planiſphærologio, Epiſtola. Parvula iſthæc eſt, ſed immenſi & artificii & uſus, machina, in plano verticali, cujus diameter tredecim uncias regias æquat, tam accurate exhibens, quicquid in Aſtronomia maximi momenti eſt, ut cum opti-

optimis ephemeridibus mirum in modum concordet. Apparent enim non solum varii circuli, partim mobiles, pro motibus diurnis & annuis, partim immobiles, pro designandis horis, earumque scrupulis, tam Astronomicis, quam Italicis, sed & ipse progressus solis in ecliptica, ejusque anomaliæ, & phænomena solis ficti: designantur dies solares, naturales, & artificiales, eorumque æquationes, porro æquinoctia & solstitia, cum illorum præcessione, item horæ ortus & occasus: indicatur præcipuarum fixarum adscensio recta, & motus tam communis, quam proprius. Exhibetur luna cum suo epicyclo & nodis, cum motu medio & vero, cum phasibus, & cum mensibus synodicis & periodicis. Denique etiam eclipsium, tam solarium, quam lunarium, tempora & magnitudines commode reperiri, ope hujus machinæ, possunt. Præcipuum artificium, summumque artificis ingenium, ex admirabili constructione elucet, partim cochlearum, quibus resistentia minuitur, partim ipsarum rotarum, quæ ad exprimendos quoque numeros fractos accommodandæ fuerunt, partim limacis, catenæ, & penduli, quorum ope exacta motus æquabilitas conservatur. Immortalem sibi famam hoc suo labore peperit Autor, *Bernardus Facini*, Venetus, felix profecto, quod tantum præconem nactus est, *Vallisnierium.* Sequitur Consilium *Joannartici*, Comitis *de Porcia*, ad eruditos Italos, *de scribenda sua ipsorum vita*, bonæ frugis plenissimum, ad provehendam in Italia Historiam literariam momenti longe plurimum, si civibus, prouti utique spes est, arriserit, habiturum, & nostris etiam Germanis non tantum, sed & omnibus quarumcunque gentium, maximopere commendandum, lectuque dignissimum. Hoc Consilium excipit exemplum laudatissimum vitæ eruditissimi *Jo. Baptistæ Vici*, ab ipso illo conscriptæ; ex qua volupe nobis fuit propius nosse virum, qui ob scripta edecumatissima, sed in his oris parum nota, atque adeo in *Actis* his nostris, quod utique dolemus, indicta adhuc, inter præcipua Italiæ ornamenta numerandus videtur. Leguntur jam *Jo. Baptistæ* Comitis *Casotti* de origine, incrementis, & statu præsenti, urbis Pratensis Epistola;

TAB. III ad Nov. Act. Erud. A. 1738 Mens. Maj. pag. 257. 275. 277 et 284.

Fig. II.




Fig. I.



Fig. IV.




Fig. III.





Fig. V.



Epiſtolas Anonymi Obſervationes in Decameronem *Boccaccii*, denique *Tubalci Panichii*, Pſevdonymi, Paſtoris Arcadis, de more Italorum, promiſcue ſcribendi *V. S.* & *Voi*, Epiſtola.

Secundi Tomi frontem ornant *Valliſnierii* tres de rebus phyſicis ac medicis Commentationes Epiſtolicæ. De ignibus lambentibus, ſeu phoſphoris, corporum animatorum hic diſſeritur. Nec homines tantum, ſed & bruta animalia, inſecta, & marina, lucem fundunt, imo, quas ignium fatuorum nomine habemus erraticas flammas, comperimus pinguium, terra exhalantium, vaporum, ipſorumque corporum, circa quæ volitant, incendia ludicra eſſe. Ignis ille lucens equidem eſt, ſed non ardens; verum majorem exurendi vim habuerunt meteora ignea, per noctem volantia, & conſtructa paleis tuguria incendio abſumentia, quæ ſuperioribus annis in ditione Trevigiana obſervata fuerunt. Refellitur opinio cujusdam Eremitæ, qui flammarum iſtarum volantium rationem reddere conatus eſt, adducto ſcarabæo lucente, qui, exurendi potentia præditus, ludere iſtas tragœdias potuerit. Adducuntur inſectorum iſtiusmodi lucidorum exempla, ſed quæ adurendi virtutem nullam habeant, quale & ipſum hoc, ab Eremita productum, eſſe merito aſſeritur. Novum inde aliquod deſcribitur, ab impoſtore Anglo, *Boilo*, Pariſiis venditatum, vermium ſyſtema, quibus ille abſconditas morborum cauſas exponere, & inaudita caro vendere medicamina, auſus eſt. Feliciter detectum fuit artificium, quo ille comparere in gutta ſanguinis vel urinæ hominis ægrotantis fecerat beſtiolarum diverſitates, a quibus ſcilicet naturam hujus vel illius morbi dependere, aſſeruerat in libello: *Syſtema cujusdam Medici Angli de cauſis omnis generis morborum*, Gallice ſcripto, & Pariſiis A. 1726 edito. Utebatur fumivendulus microſcopio, cujus iconem appoſitam hic vides. Sit microſcopium A, B, C, D. A ſit ſpectatoris oculus. C ſit vitrum objectivum, ſub quo gutta ſanguinis vel urinæ hominis ægrotantis collocabatur. D ſit ſpeculum, quod mentiebatur adeſſe agyrta, a quo reflectantur radii in E aliudque ibi collocatum ſpeculum, & denique in A, ſpectatoris oculum. TAB. III Fig. 1.

Fraus latet in B. Ibi enim vitrum exſtitit abſconditum cum abſcondita gutta corrupti liquoris ex ſucco plantarum, in quo vera eſſent animalcula. Credebantur ex C venire, qui ex B ad oculum dirigebantur, radii, ſic apparebant identidem diverſi vermes, prout alius artificioſe corruptus quipiam humor in B objectus fuerat. Hos vermes ſuos miris appellat nominibus aſthmaticos, caducos, cancrificos, bubonificos, eriſypelatiſtas, fiſtulares, &c. Verum, detecta fraude, clam aufugit homo temerarius. Hanc veritatis aſſertionem, ſicut alias multas, Celeberrimo *Vallisnierio* debemus. Sequuntur in Collectione noſtra *Camilli Silveſtri* de Inſcriptione arcus *Septimii Severi* Epiſtola, & *Joſephi Bianchini* Apologia pro libro à ſe edito, cui titulus: *le Stampe d'Italia*. Jam, inter tot præclara, etiam ſatis ridicula interpoſita eſt Comitis *Riccati*, Viri ſua opinione non mediocriter docti & faceti, ad *Vallisnierium* Epiſtola: in qua ille patronum ſe profitetur ſententiæ *Vallisnierianæ* de origine fontium, contra noſtram, quam fingit, accuſationem, in *Actis Anni 1726*. Laudavimus eo loco, ut ſæpe alias, Virum, propter ſingularem diligentiam, doctrinam, & humanitatem, nunquam ſatis laudandum. De cetero, quæ, ſalvis ejus experimentis, ac pleriſque placitis, etiamnum attendenda ac magis expedienda in propoſito argumento viderentur, ingenue modeſteque indicavimus. Non tulit hæc æquo animo *Riccatus*, ſpecieque defenſoris Italiæ & *Vallisnierii*, cum propriis vulneribus irritaretur, & nos, & univerſas nationes, qui ultra Alpes incolunt, audaciſſime ineptiſſimeque calumniandi occaſionem arripuit. Non enim integros, quos recenſemus, libros ediſcimus & transſcribimus: non omnibus Autoribus, non denique *Riccatis*, ſatisfacimus. Et magna pars terrarum, cum nonnullos *Riccati* ſimiles non admiratur, velut impio quodam & obſtinatiſſimo fœdere ſociata, contra Italiam conſenſiſſe judicanda eſt. *At*, inquit, *velint nolint Transalpini, noſtra natio illorum magiſtra exſtitit, eosdemque bis barbarie extraxit, incertum, an tertia vice aliquando extrahendos*. Pateremur hæc, nec quemquam in Italia deſipere, aut barbarum eſſe poſſe, crederemus, niſi vel

ſuo

ſuo exemplo *Riccatus* contrarium doceret. Cujus ludos & pugnas ſpectare, & ictus gladiatorios, quibus aerem ferit, ſatis jucundum eſt. Nam primo, recenſionem noſtram Operis *Valliſnieriani*, de origine fontium, quia *Lavinarum Helveticarum* mentionem fecimus, a nobis tantummodo adoptatam, in *Helvetia* vero natam eſſe, ut eſt homo naſutiſſimus, odoratur. Deinde, cum neſcio quem recenſionis Autorem, ſuum ſcilicet & *Valliſnierii* adverſarium, Medicique Anonymi Florentini amicum, ſibi ante oculos poſuiſſet, quæque eum ſtatuere ac defendere conveniret, penitus exputaſſet, tum vero fortiſſime pugnat, ac de miſera larva, proprio gladio jugulata, ampliſſimum agit triumphum. Sed redeundum ad ſeria eſt. Cetera enim, quæ *Tomo* hoc *ſecundo* continentur, hæc ſunt: Epiſtola N. N. ad *Raimundum Cecchettum*, qua *Jo. Baptiſtæ* & *Hieronymi* fratrum *Amalteorum* notitia ſuppeditatur, Italice ſcripta; Vita *Petri Jacobi Martelli*, ab ipſo ſcripta, anno circiter 1718; N. *Caſſarelli* Diſſertationes tres, ad Hiſtoriam naturalem ſpectantes; *P. Thomæpii Maphæi* de uſu Matheſeos in Theologicis, & diverſa circa principium univerſale Staticum *Galilæi* & *Carteſii* ſententia, Diſſertationes duæ Epiſtolares; denique Abbatis *Caroli Hieronymi* ad *Carol. Anton. Valliſnierium* de Monſtro humano, formam ranæ ſimilem habente, Epiſtola.

BERNARDI SIEGFRIED ALBINI, ANAtomes & Chirurgiæ in Academia Batava, quæ Leidæ eſt, Profeſſoris, Icones oſſium fœtus humani. Accedit Oſteogeniæ brevis hiſtoria.

Leidæ Batavorum, apud Jo. & Herman. Verbeeck, 1737, 4. Plag. 20, Tab. æn. 16.

Poſtquam de omni Anatomiæ, qua patet, ambitu admodum præclare promeritus eſt Clariſſ. *Albinus*, tenerioris humanæ ætatis oſſa penitus excutere, & nova luce illuſtrare, ſuſcepit, illo ſucceſſu, qualem a tanti Viri opera ſperare omnes debebant,

bant. Cum deprehenderet, icones offium fœtus, paffim exftantes, aliquo fymmetriæ vitio laborare, limam admovere ifthuic Anatomiæ parti animum induxit. Cumque intelligeret, tenerrima potiffimum, quorum major pars cartilaginea exiftit, offa ideo mendofe apponi, quod, five recentia extricentur nexu fuo cum aliis, de fubftantia quidpiam dimittant, five ficca aut liquoribus affervata habeantur, corrugentur variis modis: quo ipfo facere aliter, quin a natura longe aberrarent, iconographi haud potuerunt; ipfe, pro fua dexteritate, arte, & felicitate, omnium officulorum nativam proportionem ftudio defignandam a magni nominis artifice fingulari, *Joanne Wandelaar*, curavit, & eleganti admodum fermone omnium offium genefin expofuit. Verticis offa in utraque tabula, & externa & interiore, quæ vitrea dicitur, bracteolis radiisque a centro ad peripheriam excurrentibus, paulatim ex membranofo quodam habitu excrefcunt. Retis in modum contextis fibris, confpicitur os frontis, duplex haud raro adultis, & omni ætate divifum permanens; in abortu quodam utrinque triplex denuo obfervatum fuit. Os autem cribriforme triplici parte, duplici offea, intermedia una, quæ hinc crifta galli, illinc feptum narium, eft, conftans habetur. Os occipitis in partes quatuor, anteriorem, pofteriorem, & laterales duas, cartilaginibus connexas, facile refolvitur. Inter pofteriorem & laterales etiam adultis futuræ fpecies haud raro fupereft. Os temporum triplex maturo embryoni eft fquammofum, petrofum, & annulus. Ampliffima eft cavitatum tympani, labyrinthi, & partium in illis contentarum, recenfio, nec quidquam omittitur eorum, quæ difficillimam auris internæ, tantis Viris non fatis defcriptam, hiftoriam luci admovere poffunt. Maturo fœtui os multiforme e quinque fruftis offeis conftat, bafi, proceffibus tenuibus duobus, duabusque partibus lateralibus. Offa jugalia, palati, unguis, nafi, fpongiofa inferiora, ut in adultis, ita & in parvulis abortibus, ex uno offe conftare, maxillare tamen fuperius ex aliquot fruftulis, fed paulo poft confluentibus, conftrui fuit deprehenfum. Maxillæ inferioris duæ funt partes

tes

tes osseæ, quæ paulatim coeunt in unum os, remanente pristinæ divisionis istius ab interna & externa parte vestigio. Ossicula auditus frequenter in parvulis tota cartilaginea invenit Autor. Malleo aliquando manubrium & processus gracillimus cartilago permanent. Ast ante maturitatis terminum hæc ossicula præcoci incremento magna fiunt & indurantur. Vertebris id commune, quod ex cartilagine, prout cartilago omnes sunt ab initio, tribus in partibus os exoriatur, in corpore scilicet, & ad latera foraminis magni. Illud tamen peculiare habet epistrophæus ob processum dentiformem, quod in cartilagine primogenia quatuor in locis ossa exoriantur. Os sacrum una primum cartilago est, ita divisa, ut quinque vertebrarum simulacrum ferat, etsi distincta quinque neutiquam sint corpora. Ast observantur in istis quinque locis ossis sacri diversa phænomena Osteogeniæ; primus, secundus, & tertius, quinque distinctis partibus ossescere incipiunt, reliqui saltem tribus, prout in omnibus vertebris. Atlas cum reliquis vertebris ex triplici fit ossiculo, duplici laterali, & granulo osseo, quod medium circuli cartilaginei occupat, sensimque totum arcum ossescentia absumit. Costarum mira est præcocitas. Nam vix maturo fœtui osseæ sunt; primis tamen mensibus pars, quæ corporibus & processibus transversis vertebrarum inarticulatur, cartilagineum existit. Os coxæ tribus in locis os fieri incipit, primum in ileûm, tardius in ischiûm, & denique in pubis, regione. Ossibus longitudinalibus solenne id est, in media parte primum ossefieri. Hunc morem sequitur os femoris, quod a parvulo grano osseo, cum cartilagineum esset, os efficitur, longo etiam post partum tempore & trochanteres & caput cartilaginea persistunt corpora, sicut & patella post nativitatem demum ossescit. Quod de femore dictum fuit, valet etiam de tibia & fibula, quæ in media sui parte primum ossescunt. Omnia tarsi ossa diu etiam nato homini contingunt cartilaginea; solus talus & calcaneus de osse tantillum participat. Metatarsus & digitorum primus æque ac secundus ordo sibi per omnia respondent, quod in medio, hinc in apophysibus, ossescant primum. Clavicula os

præcox est, & cito ossescit. De ossibus superiorum artuum fere eadem habentur. Omnium desideria non explevit tantum, sed & superavit, Autor.

MECHANICA, SIVE MOTUS SCIENTIA, analytice exposita, Autore LEONHARDO EULERO, Academiæ Imperialis Scientiarum Membro, & Matheseos sublimioris Professore. Tomus secundus, instar Supplementi ad Commentarios Academiæ Scientiarum Imperialis.

Petropoli, ex Typographia Academiæ Scientiarum, 1736, 4. Alph. 2, plag. 17, Tab. æn. 18.

Quæ in *secundo* hoc Operis præstantissimi *Tomo* continentur, ad eos motus spectant, quos Cel. Autor vocat *non liberos*. Diximus in recensione *Voluminis prioris*, tantam ejus vim differentiæ hujus inter motus liberos & non liberos, ut exinde divisio totius Operis sit facta. Exposuimus, motum esse liberum, ubi corpori moto nulla *præscribitur* via percurrenda, sed ea determinatur tam per actiones virium sollicitantium, quam per resistentiam, vel per omnia simul. Secus autem est in motibus non liberis. Hic enim *datur* via, in qua corpus moveri debet, a potentiis quibuscunque sollicitatum in medio quocunque. In hoc itaque casu via, quam corpus percurrere cogitur, quamque facilitatis causa instar canalis excavati licet concipere, pressionem aliquam debet sustinere; cum e contrario in motibus liberis via a corpore descripta omnino non prematur. Quæ igitur in motu corporis aut puncti non libero sunt indaganda, ad hæc redeunt: 1) ut puncti, super data via, recta sit, vel curva, moti, & a potentiis quibuscunque, addita insuper resistentia, sollicitati, determinetur celeritas in singulis locis, quippe qua cognita totus motus perfecte cognoscitur; 2) ut definiatur pressio, quam sustinet canalis sive via data a corpore

pore percursa, in quolibet puncto, illliusque pressionis directio. Corpus enim, a potentiis quibusvis sollicitatum, aliam viam sequi nititur, quæ ex potentiarum actionibus directionibusque combinatis resultat; hicce vero conatus cum a via vel canali dato sufflaminetur, necessum est, ut ipse prematur ab eodem ipso conatu, vi cujus corpus in alia via progrederetur, si liberum esset. Præterea alii sunt modi, quibus efficere licet, ut corpus vel punctum moveri cogatur in data curva; quos inter eminent evolutiones *Hugenianæ* ope pendulorum. Quodsi enim pendulum circumplicetur curvæ, quæ est evoluta ejus, in qua punctum incedere debet, posteaque oscilletur; notissimum existit, punctum grave penduli necessario delatum iri in curva præscripta. Et hæc quidem *prima* est species motuum non liberorum. *Secunda* est, quæ non minus attendi meretur, & hactenus intacta fuit, ubi scilicet non via quidem ipsa præscribitur, quam corpus sequi debet, sed superficies duntaxat, in qua moveri cogitur. Hæc motuum species priore minus est restricta. Quæ vero in ea perscrutanda veniunt, in eo ponuntur, ut 1), datis potentiis sollicitantibus, dataque superficie, determinetur via, quam corpus punctumve in ea descripturum est, 2) celeritas in singulis locis innotescat, & 3) pressio quoque definiatur, quam sustinere debet superficies. Possunt vero hujusmodi motus ope pendulorum pariter obtineri, impellendo scilicet pendulum *oblique*, ut ejus directio non sit amplius in plano verticali. In hisce igitur motuum non liberorum speciebus indagandis occupatur Cel. Autor per totum *Volumen* hoc *secundum*, quod distribuitur in *Capita quatuor*. Quibus ita prælibatis, nostrum est, ut doceamus expressius, quænam in singulis *Capitibus* pertractentur.

Capite igitur *primo*, quod de motu non libero in genere agit, fundamenta sternuntur totius *Voluminis*, fontesque aperiuntur, ex quibus derivanda sunt, quæcunque in motu non libero debent attendi. Et *prima* quidem *Propositione* ostenditur, corpus seu punctum, a nullis potentiis sollicitatum,

tum, & ſuper data linea motum, eandem perpetuo celeritatem ſervare, modo quælibet bina lineæ datæ elementa nusquam conſtituant angulum finitæ magnitudinis. Supponitur autem, omnes omnino frictiones a motu exulare; & ab omni motu rotatorio animus abſtrahitur, quippe qui mutationes inducere poteſt, in ſequentibus demum explicandas. Adeoque punctum conſideratur tanquam motu ſibi ſemper parallelo latum. Exinde patet, quæ de motu puncti hic traduntur, ad corpora finitæ magnitudinis poſſe applicari, quia, dum in motu corpus ſibi ipſi ſemper manere parallelum concipitur, ſingulæ ejus partes eodem motu feruntur. Et hæc quidem probe notaſſe juvat, cum ei hypotheſi per totum hocce *Volumen* locus ſit. In *Propoſitione 2* inquiritur in determinationem preſſionis, quam curva quælibet ſuſtinet a corpore, motu uniformi ſuper ea lato. Ejus directio ad curvam in quolibet puncto eſt normalis, ideoque oppoſita radio oſculi. Exinde fit, ut non incongrue dici poſſit vis centrifuga, reſpectu ad centrum circuli oſculatoris ſemper habito. Demonſtratur autem, vim hancce centrifugam eſſe ad vim gravitatis, ut altitudo debita celeritati, quam corpus habet, ad ſemiradium oſculi. Pulcherrimum hoc theorema primus in lucem protulit Ill. Marchio *Hoſpitalius* in *Comment. Acad. Pariſ. A. 1700 pag. 13 ſeq. edit. Batav.* In ſequentibus ea traduntur, quæ ſpectant ad potentias ſollicitantes corpori moto applicatas, tam eas, quarum directiones ſunt ad curvam normales, quam eas, quæ ſollicitant juxta directionem tangentis. *Propoſitio 5* rem generaliter complectitur. Ibi enim, data curva quacunque, ſuper qua corpus movetur, in medio quocunque reſiſtente, ſollicitatum a potentia abſoluta directionis cujuscunque, definitur effectus tam potentiæ abſolutæ, quam reſiſtentiæ, nec non preſſio, quam curva ſuſtinet. Hæc preſſio ſemper pendet ex duabus cauſis, 1) ex vi centrifuga, de qua modo, 2) ex potentia ad curvam normali, in quam, & tangentialem, potentia data reſolvi poteſt. Quodſi vis centrifuga & potentia nor-

resolvi potest. Quodsi vis centrifuga & potentia normalis ad eandem plagam tendant, pressio, exinde resultans, æqualis erit earum summæ; sin vergant in partes oppositas, differentiæ. Ex pluribus potentiis corpori applicatis per resolutionem notissimam semper inveniri potest vis una normalis *totalis*, altera tangentialis, pariter totalis. Antequam ulterius progrediatur Cel. Autor, ostendit, qua ratione motus super data linea in effectum deduci possit. Rejicit autem canales, ob frictiones inevitabiles, seligitque evolutiones *Hugenianas* ope pendulorum. Quo facto, transit ad tradenda similia principia, pro motu puncti in superficiebus. Igitur in *Propositione* 7 demonstrat, si corpus a nullis potentiis sollicitatum moveatur in vacuo super superficie quacunque, id latum iri motu uniformi, abstrahendo scilicet a frictione. *Propositio 8*, notatu digna, hæc est: Via, quam corpus nullis potentiis sollicitatum, & in vacuo, in superficie quacunque describit ab uno termino ad alium, brevissima est inter hos ipsos terminos. *Propositione 9* res eadem per calculum eruitur. *Propositione 10* ostenditur, pressionem, vel vim centrifugam, qua corpus superficiem premit, hic eadem prorsus ratione se habere, ac in eo casu, quo corpus super data linea movetur. *Propositio 11* versatur circa determinandum effectum cujusvis potentiæ, quem exerit in corpus super data superficie motum, tam in vacuo, quam in medio resistente; sicque *Caput primum* absolvitur. *Caput secundum* agit de motu puncti super data linea in vacuo. Et primo quidem solvitur Problema generale, pro definiendo motu corporis super curva quacunque, id est, pro determinanda ejus celeritate in singulis curvæ punctis, item pro tempore, quo portio curvæ quævis describitur, nec non pro pressione, quam curva in singulis punctis patitur, posito, corpus sollicitari a potentia, quæ directionem habeat axi curvæ parallelam. Deinceps additur conditio, ut potentia sollicitans sit uniformis & constans. Hanc enim hypothesin ante pertractare constituit Autor, quam ad alias progrediatur. Post exempla quædam faciliora statim transit ad considerationem curvarum

ſynchronarum, id eſt, earum, quæ ab infinitis curvis ſimilibus, ex puncto quodam fixo egredientibus, tales arcus reſecant, ut a corpore, quod a puncto fixo deſcendit, eodem tempore percurrantur. Materiam hancce primus in his *Actis Anni 1697* evolvit ſummus Geometra, *Jo. Bernoullius*, & poſtea quoque Cel. *Saurinus*, in *Commentariis Academiæ Pariſienſis*, ſua quisque methodo uſus; Noſter autem aliam adhibet, ſibi inventam, eamque facilem. Solas tamen curvas ſimiles, ut Viri modo dicti, contemplatur, cum inventio ſynchronarum pro curvis diſſimilibus ſit nimis difficilis, & ſæpiſſime vires ſuperet. Notat tamen, ſynchronas pro curvis quoque diſſimilibus eadem ſua methodo poſſe inveniri, modo eæ tales ſint, ut, poſito $ds = pdx$, in p quantitates a & x datum dimenſionum numerum conſtituant. Eſt autem ds elementum alicujus ex curvis ſecandis, x abſciſſa, eidem reſpondens, a parameter, conſtans quidem pro quavis ex curvis ſecandis, variabilis autem in tranſitu ex curva in curvam. Quo facto, in *Propoſitione 15*, ejusque corollariis & ſcholio, illud problema reſolvit, quando ex infinitis curvis ſimilibus ea quæritur, ſuper qua corpus deſcendens ad lineam rectam, vel curvam, poſitione datam, tempore breviſſimo pervenit; quam in rem Viri quoque laudatiſſimi, quos nominavimus, inquiſiverunt. Poſt interjecta quædam, ad motum ſuper curvis ſimilibus magis explicandum ſpectantia, tranſit Cel. Autor ad motum oſcillatorium, cujus proprietates præcipuas, quæ in omni ſollicitationum hypotheſi locum habent, dummodo motus in vacuo fiat, exponit. Deinceps determinare docet tempus adſcenſus ſeu deſcenſus per quemvis arcum circuli, in puncto circuli infimi terminatum. Quæ de circulo demonſtrantur, de curvis quibuscunque ſunt accipienda, ſi oſcillationes ſtatuantur infinite parvæ, cum quævis curvæ portio infinite exigua conſiderari poſſit, ut arculus circuli, a radio oſculi deſcriptus. In *Propoſitione 19* generaliter oſtenditur, quomodo, data potentia ſollicitante, uniformi illa & deorſum tendente, invenienda ſit longitudo penduli, oſcillationes infinite parvas perficientis, quod ſin-

ſingulos itus reditusve abſolvat uno minuto ſecundo. Quando vis ſollicitans æqualis eſt vi gravitatis, prout id in ſuperficie telluris obtinet, provenit penduli talis longitudo = 3, 16625 ped. Rhenan. prorſus ut *Hugenius* invenit, factis experimentis. Per ſuam theoriam reperit quoque Autor Cel. longitudinem talis penduli in ſuperficie ſolis fore = 77, 226 ped. Rhenan. in ſuperficie Jovis = 6, 448 ped. & in ſuperficie Saturni = 4, 054 pedum. Quibus dimiſſis, in *Propoſitione 20* inveſtigatur tempus oſcillationum in cycloide ordinaria, earumque tavtochroniſmus eruitur, qui præcipuam quandam hujus curvæ proprietatem conſtituit, ab *Hugenio* primum detectus. Cum vero, quæ hactenus dicta ſunt, ei ſolum hypotheſi innitantur, qua potentia ſollicitans ſtatuitur uniformis, ejusque directiones inter ſe parallelæ, & deorſum tendentes; ideo in ſequentibus aliis quoque hypotheſibus locus eſt, tractatu difficilioribus. Itaque in *Propoſitione 21* generaliter oſtenditur, qua ratione determinandus ſit corporis motus in curva aliqua, curvæque preſſio, poſito, corpus vi quacunque trahi ad centrum virium fixum; nec non in ſequenti *Propoſitione* definitur motus oſcillatorius in hac hypotheſi. Porro, qua ratione definiendus ſit motus corporis & preſſio, quam curva data ſuſtinet, ubi corpus a duabus quibuscunque potentiis ſollicitatur, quarum directiones ſint ad ſe invicem rectæ, verticalis una, altera horizontalis, ex *Propoſitione 23* intelligitur, quæ latiſſime patet, & omnes illos caſus complectitur, in quibus potentiæ ſollicitantes quævis & quotcunque ſint, modo earum directiones ſint in eo plano, in quo eſt curva; omnes enim hæ potentiæ conflari poſſunt in duas alias, quarum directiones ſint ad ſe invicem normales, uti diximus. Quando autem directio potentiæ non eſt in eodem plano cum curva, ſuper qua corpus movetur, problema eſt aliud, cujus ſolutionem exhibet *Propoſitio 24*, & quidem in hypotheſi potentiæ uniformis, cujus directio recta deorſum tendit. Haſce quæſtiones cum expediviſſet Noſter, ad alias provehitur, in quibus alia ſumuntur pro datis, unde reliqua ſunt invenienda. Et primo

mo quidem data esse jubet pressionem, quam curva patitur, & potentiam sollicitantem, unde invenienda sit ipsa curva, & motus corporis super ea lati. Hæc pertractantur a *Propositione* 25 ad 27. Comparet hic inprimis curva pressionis æquabilis, quæ, a *Jo. Bernoullio* proposita, geminam jam nacta erat solutionem, primam ab Ill. Marchione *Hospitalio* in *Commentar. Paris. Anni 1700*, alteram a Cel. *Hermanno* in *Phoronomia.* Noster inversum quoque hujus problematis non solum tractat, sed monstrat etiam, quomodo ejusmodi curva invenienda sit, ut pressio totalis, quam a corpore moto sustinet, habeat rationem ad pressionem, a vi normali ortam. Quæcunque fuerit potentia deorsum sollicitans $= P$, si requirantur curvæ ejusmodi, ut pressio totalis sit duplo major, quam sola vis normalis, dictis, abscissa curvæ quæsitæ $= x$, applicata $= y$, & constante quadam $= a$, erit æquatio curvæ quæsitæ talis: $dy = \frac{dx \sqrt{\int . P dx}}{\sqrt{(a - \int . P dx)}}$, vel, posito $\int . P dx = X$, erit $dy = \frac{X dx}{\sqrt{(a X - X^2)}}$. Hoc exemplum est notatu dignissimum; in sequentibus enim Cel. Autor demonstrat, curvas, hac proprietate gaudentes, simul esse brachystochronas. Jam vero ad alias problematum species transit Autor, in quibus pro datis assumit alias motus proprietates, missis tamen facilioribus, e. g. scala temporum, vel celeritatum. Itaque in *Propositione 28 & seq.* occupatur circa Problema de curvis recessus & accessus æquabilis, tam ad lineam horizontalem, quam (quod novum est) versus plagam aliquam datam, vel ad punctum quoddam fixum, quæ quidem curvæ inter principes Geometras sub finem superioris Seculi jam celebres exstiterunt sub nomine isochronarum paracentricarum. *Propositio 31* hæc est: Potentia sollicitante existente uniformi & deorsum tendente, invenire curvam, super qua corpus datæ cum celeritate initiali ita moveatur, ut æqualibus temporibus æquales angulos circa datum

tum punctum fixum absolvat. *Propositione 32* & *seq.* varia evolvuntur Problemata nova, quæ tantum habent elegantiæ, quantum difficultatis. Investigantur scilicet curvæ, super quibus corpus æquabiliter ad centrum virium accedit, idque in quavis sollicitationum centralium hypothesi; investigantur porro eæ, super quibus motum corpus motu angulari circa centrum virium æquabiliter movetur, quas inter præcipue continetur circulus, qui in generali Problematis solutione latet. Deinceps quam diligentissime explicatur Problema, in sequentibus maximo usui futurum, quo quæritur curva, super qua corpus ita descendat, ut tempus per arcum quemcunque proportionale sit radici quadratæ ex applicata respondente alterius cujusdam curvæ datæ. Exinde enim pendet solutio Problematum difficillimorum, a Cel. Autore feliciter suscepta. Illa autem sunt quæstiones ejusmodi, quæ sunt indeterminatæ, ita, ut tempus descensus non per arcum aliquem curvæ, sed per integram curvam, detur, & exinde curvarum indoles investigetur; quæ quantum difficultatis habeant, nemo non videt. Indeterminatæ autem sunt quæstiones, cum infinitæ curvæ iis satisfaciant. Igitur in *Propositione 35* & *seq.* ostenditur, quomodo, posita potentia sollicitante uniformi, & deorsum directa, inveniri queant omnes curvæ, super quibus corpus ex quiete descensum incipiens *dato tempore* perveniat ad rectam horizontalem, vel ad aliam, ad horizontem utcunque inclinatam, vel ad verticalem, vel adhuc ad curvam quamcunque datam, vel denique ad punctum quoddam datum. Hasce quæstiones cum enodasset Cel. Autor, pedem profert ad pertractandam de curvis brachystochronis materiam, quam primus in scenam produxit & evolvit incomparabilis Vir, *Jo. Bernoullius*, in *Actis* hisce *Anni 1697*, & post eum primarii totius Europæ Geometræ. Noster autem Problemati celeberrimo tantam dedit universalitatem, quantam nemo ante eum quisquam. Quoniam curva brachystochrona, ceu constat, eam habere debet proprietatem, ut corpus, super ea descendens, citissime perveniat ab uno ejus puncto ad aliud quodvis; ideo in *Propositione 40* eruitur lex generalis, secun-

 dum

dum quam curva dispofita esse debet, ut corpus, super ea descendens, ea, quam diximus, ratione feratur. Formula, quæ legem hancce exprimit, longe est generalissima, ita quidem, ut extendi ad potentias quascunque sollicitantes possit, etiam resistentia non excepta. In omni enim potentiarum hypothesi ex curvæ per demonstrationem Autoris erunt brachystochronæ, *in quibus pressio, quam exercet corpus, super iis motum, duplo major est ea pressione, quæ resultat ex sola vi normali, quæ in hoc casu ei æqualis erit.* Quod inventum certe unum est ex nobilissimis, quæ continentur in toto Opere. Exinde errores quosdam correxit Noster, quos commiserat *Hermannus*, ubi curvas brachystochronas pro mediis resistentibus dare conatus est in *Commentar. Petrop. Tom. II.* Quodsi itaque potentia sollicitans deorsum tendat, brachystochronarum æquatio illa erit, quam superius attulimus, cum de linea pressionis æquabilis verba faceremus. In aliis quoque potentiarum sollicitantium suppositionibus, dici vix potest, quanta facilitate ex Theoremate hoc generali æquationes differentiales pro brachystochronis obtineantur. Existente vi centripeta directe ut distantia corporis a centro, invenit Cel. Autor, brachystochronarum proprietate gaudere omnes hypocycloides, genitas rotatione circuli, cujus diameter est $= \frac{a\sqrt{(b+2f)} - a\sqrt{b}}{\sqrt{(b+2f)}}$, super concava parte peripheriæ, ex centro virium radio a descriptæ. Significant autem a rectam, quæ ab initio motus ad centrum virium ducitur, f distantiam a centro, in qua vis centripeta æqualis est gravitati, & b constantem arbitrariam. Hisce Problematibus confectis, determinandam sibi Cel. *Eulerus* proponit curvam illam, super qua corpus motum brevissimo tempore perveniat non ad punctum, sed lineam datam; demonstratque *Propositione 44*, in omni potentiarum sollicitantium hypothesi corpus a dato puncto ad datam lineam citissime pertingere super ea linea brachystochrona, quæ datæ lineæ occurrit orthogonaliter. Problema, in *Propositione 45* exhibitum, ad isoperimetras simul spectat,

ſpectat, eſtque tale: Inter omnes curvas, data duo puncta jungentes, easque æqualis longitudinis, eam determinare, ſuper qua corpus celerrime ab uno puncto ad aliud moveatur, in hypotheſi potentiæ ſollicitantis uniformis, & deorſum tendentis. Hujus quæſtionis primus autor & ſolutor exſtitit *Jo. Bernoullius* in *Actis* hiſce *Anni 1718*. Poſita abſciſſa curvæ quæſitæ $= x$, ordinata $= y$, arcu reſpondente $= s$; a & m duabus quantitatibus arbitrariis, invenit Noſter æquationem, quæ curvæ naturam exprimit, ſequentem, & a *Bernoulliana* non multum diverſam: $dy = \frac{m\,dx\sqrt{x}}{\sqrt{(a - 2\,ax + (1 - m^2)x)}}$ vel etiam, $ds = \frac{dx(\sqrt{a} - \sqrt{x})}{\sqrt{(a - 2\sqrt{ax} + (1 - m^2)x)}}$. Quoniam a & m ſunt arbitrariæ, effici poterit, ut hæc curva per datum punctum tranſeat, ſitque datæ longitudinis. Si a & m ponantur infinitæ magnitudinis, prodibit æquatio pro cycloide, quæ adeo non ſolum inter iſoperimetras, ſed omnes omnino alias, curvas eſt brachyſtochrona, prout repertum fuit a Cel. *Bernoullio*. Si $m = 1$, erit $dy = \frac{dx\sqrt{x}}{\sqrt{(a - 2\sqrt{ax})}}$ cujus integralis eſt, $y = -\frac{(4a + 4\sqrt{ax} + 6x)\sqrt{(a - 2\sqrt{ax})}}{15\sqrt{a}} + \frac{4a}{15}$, quæ eſt æquatio ad curvam algebraicam, ad quintum ordinem, ſublata aſymmetria, adſcendens, cumque illa conſpirans, quam dedit Vir modo laudatus *l. c. pag. 76*. Eſt vero hæc curva rectificabilis quoque; erit enim $s = \frac{2a}{5} - \frac{(2a + 2\sqrt{ax} - 2x)}{5\sqrt{a}}\sqrt{(a - 2\sqrt{ax})}$; imo & tempus per quemlibet ejus arcum algebraice poterit exhiberi.

Hæc

Hæc de brachyſtochronis; quibus miſſis, Autor progreditur ad eas curvas conſiderandas, ſuper quibus plures deſcenſus inter ſe comparati datam habent relationem. Huc maxime pertinet quæſtio de curvis tavtochronis, ſuper quibus vel omnes deſcenſus ad punctum infimum usque curvæ fiunt eodem tempore, vel integræ oſcillationes, ex deſcenſu & adſcenſu conſtantes. Itaque in *Propoſitione 46 ſeq.* in legem generalem tavtochronarum inquiritur, ſuper quibus omnes deſcenſus abſolvantur temporibus æqualibus, ubicunque motus initium ſumatur, idque in omni unius, vel plurium, ut libuerit, ſollicitationum hypotheſi. In caſu vis centripetæ diſtantiis a centro proportionalis *Newtonus* & *Hermannus* pro tavtochronis in vacuo ſolas dederunt hypocycloides. Noſter autem oſtendit, in hac hypotheſi virium tavtochroniſmo gaudere primo omnes hypocycloides, deinde omnes lineas rectas utcunque ductas, tertio omnes ſpirales logarithmicas, & quarto infinitas curvas alias, hac æquatione contentas, $p^2 = \frac{(2a - f) y^2 + c^2 f}{2a}$, ſiquidem fuerit $2a > f$, & c non $= 0$. Significant autem, p perpendiculum ex centro virium in tangentem curvæ demiſſum, c rectam ex centro virium ad punctum curvæ infimum ductam, f idem, quod ſupra, y rectam ex centro ad curvæ quodvis punctum ductam, a conſtantem aliquam. Quanta ſit vis methodi, qua Vir ingenioſiſſimus in inveſtigatione tavtochronarum utitur, ex eo problemate cognoſci poteſt, quod ipſi quondam, ut longe difficillimum, propoſuerat Cl. *Daniel Bernoullius*, cujusque ſolutionem & conſtructionem prorſus ſingularem videre eſt in *Propoſitione 50.* Ita autem habet: *In hypotheſi gravitatis uniformis, & deorſum tendentis, ſi detur curva aliqua, invenire aliam ei adjungendam, ut omnes deſcenſus ſuper hac curva compoſita ad punctum infimum usque ſiut æquidiuturni, in quocunque curvæ adjunctæ puncto ſumatur initium deſcenſus.* Tandem *Caput* hocce *ſecundum* clauditur ſolutione quæſtionis, qua, poſita gravitate conſtante & deorſum tendente,

quæ-

quæritur curva, alteri datæ adjungenda, ut oscillationes, super curva composita confectæ, sint isochronæ. De illa integram Dissertationem inseruit Noster *Tomo IV Commentariorum Academiæ Scientiarum Petropolitanæ*, quam in *Actis Anni 1737* recensuimus, ut adeo, plura eo pertinentia hic addi, non sit necesse.

Capite tertio Cel. Autor versatur circa motum corporis vel puncti super data linea in medio resistente. Cum difficilis sit & intricata hæc tractatio, eam raro accommodat ad plures vis sollicitantis hypotheses, sed ad eam duntaxat, quæ vim statuit uniformem & deorsum directam. Ex quo consequitur, ut medium quoque resistens uniforme ponere debuerit. Porro curvam, in qua corpus movetur, assumit totam in eodem plano positam, ut plurimæ difficultates, eæque parum fructuosæ, præcidantur. Igitur *Propositione 53 seq.* in eo est, ut formulas eruat universales, ad motum corporum in hac hypothesi spectantes, nec non pressionem, quam curva a corpore moto sustinet. Formula, ex qua motus corporis determinatur, ita est comparata, ut separationem indeterminatarum non nisi in quibusdam casibus admittat, quos Autor ad tres generaliter reducit, & secundum eos tam descensum,quam adscensum, corporum primo loco pertractat, si scilicet detur curva, super qua motus fieri ponitur. Cum vero breviores jam esse nos oporteat, singula non enumerabimus, nobiliora quædam, & nova, attigisse contenti. Sciendum autem, eam resistentiæ hypothesin, quæ sequitur duplicatam rationem velocitatis, præsertim a Cel. Autore pertractari, utpote naturæ quam maxime consentaneam, & calculo quoque accommodatissimam. Non tamen alias negligit, quæ calculo tractari queunt. Igitur a *Propositione 55* ad *59* occurrunt Problemata quædam, quæ calculo patent, posito, resistentiam sequi quamcunque multiplicatam celeritatum rationem. At vero a *Propositione 59* ad *63* occurrunt ea, quæ spectant ad resistentiam quadratis celeritatum proportionalem, & ad motum in ea hypothesi determinandum. In *Propositione 61* comparantur adscensus & descensus corporis in curvis

Mm diver-

diversis, sed in puncto infimo conjunctis. *Propositione 63* determinatur motus oscillatorius super cycloide, in ea resistentiæ ratione. Quando oscillationes sunt infinitæ parvæ, congruent oscillationes in pleno cum oscillationibus in vacuo. In majoribus autem excursibus cyclois tavtochronismi proprietate destituitur. Præterea, cum resistentiæ ratio ea, quæ est duplicata celeritatum, in oscillationibus perexiguis non amplius observetur, sed alia locum habeat, quam Cel. *Newtonus* in ultima *Principiorum* editione ostendit esse illam, quæ partim ex duplicata celeritatum, partim ex constante aliqua, conjungitur, hanc quoque hypothesin Cel. Autor examinat *Propositione 64*. Quoniam resistentia constans non immutat tempora oscillationum, cyclois quoque tavtochrona erit in medio resistentiæ constantis. In *Propositione 65* & *66* examinatur motus oscillatorius super cycloide, posita resistentia in simplici celeritatum ratione, quo in casu cycloidi adhuc competere tavtochronismum, primus invenit *Newtonus*. Notabile vero existit, quamvis tempora omnium adscensuum & descensuum in cycloide inveniantur æqualia, eorum tamen absolutam quantitatem non posse determinari, quippe latentem in formula quadam complicatissima. *Propositione 68 seq.* alia adhuc consideratur resistentiæ ratio, quæ scilicet est quadruplicata celeritatum. Hanc in calculo multis gaudere prærogativis, observat Cel. Autor, ea præcipue, ut ex dato unico descensu vel adscensu reliqui omnes possint determinari. At vero unicus hic descensus adscensusve erutu longe est difficillimus. In hac autem resistentiæ hypothesi multa Problemata inversa solvi possunt, quæ in aliis sunt insuperabilia. Quodsi resistentia sit perexigua respectu potentiæ sollicitantis absolutæ, & proportionalis celeritatum potestati cuicunque, determinari potest motus corporis super qualibet curva, ceu monstrat Cel. Autor *Propositione 70*, progressurus jam ad quæstiones inversas, quas evolvit *Propositione 71 seq.* ex quibus nos delibabimus paucissimas. Scilicet *Propositione 74* continetur Problematis de curva accessus & recessus æquabilis ad horizontem, pro quavis resisten-

ſiſtentiæ hypotheſi, cujus ſolutionem in *Commentar. Pariſ. ad A.* 1730 dedit Cel. *de Maupertuis*, alia uſus methodo. Quæſtiones autem de iſochronis paracentricis, quas in vacuo tractaverat, hic omittit Noſter, cum nihil concinni exinde deducere potuerit. Novum prorſus, idque non parum curioſum, aſt difficile etiam, Problema ſolutum comparet in *Propoſitione* 75, quod in ſolis mediis reſiſtentibus locum habet. Inter omnes enim curvas, quæ in plano verticali duo puncta data jungunt, ea quæritur determinanda, ſuper qua corpus deſcendens ab uno punctorum datorum *A* ad aliud *C* maximam acquirat celeritatem. Curva igitur *AMC*, optatam proprietatem habens, debet ita eſſe diſpoſita, ut etiam per duo quævis elementa, *Mm*, $m\mu$, corpus deſcendendo maximam acquirat celeritatem, exiſtente reſiſtentia in quacunque multiplicata celeritatum ratione, & potentia uniformi deorſum tendente. Igitur, ſi elementis *Mm*, $m\mu$, proxima ſint elementa *Mn*, $n\mu$, augmentum celeritatis per $Mm\mu$ debet æquari augmento celeritatis per $Mn\mu$ vi methodi de maximis & minimis. Poſitis ergo $AP = x$, $Pp = p\pi = dx$, $PM = y$, $mF = dy$, potentia ſollicitante $= g$, exponente reſiſtentiæ $= k$, altitudine celeritati in *M* debita $= v$, indice dignitatis celeritatis, cui reſiſtentia proportionalis eſt, $= 2m$; hujus ratiocinii veſtigia & calculum dextre ſequendo, Cel. Autor pervenit ad æquationes ſequentes: *A.*) $mg\,ds = -(kdp\sqrt[m]{g}) : p(1-pp)^{\frac{1}{2}} \sqrt[m]{\left(\alpha p + \sqrt{(1-pp)}\right)}$, *B.*) $mg\,dx = -kdp\sqrt[m]{g} : p\sqrt[m]{\left(\alpha p + \sqrt{(1-pp)}\right)}$, atque *C.*) $mg\,dy = -kdp\sqrt[m]{g} : (1-pp)^{\frac{1}{2}} \sqrt[m]{\left(\alpha p + \sqrt{(1-pp)}\right)}$, ex quibus facile eſt, curvam quæſitam conſtruere. Notandum adhuc, eſſe $dy = pds$, & α conſtantem in integratione introductam, cum quæreretur v, quæ reperta fuit $= k\sqrt[m]{g} : \sqrt[m]{\left(\alpha p + \sqrt{(1-pp)}\right)}$.

TAB. III Fig. 2.

Notari meretur, in omnibus hisce curvis celeritatem corporis nusquam esse æqualem nihilo; adeoque corpus in *A* non ex quiete descensum incipere debet, sed cum aliquo velocitatis gradu. Noster hasce suas æquationes ad duo exempla applicat, ubi $m = \frac{1}{2}$, & ubi $m = 1$. Quo facto, transit in *Propositione 76 seq.* ad brachystochronarum in medio resistente inventionem, statimque demonstrat, proprietatem illam generalem, quam pro curvis hisce in vacuo repererat, quamque in *Capite secundo* recensuimus, adhuc obtinere in pleno. Exinde Problema brachystochronarum in summa generalitate solvit, posito medio resistente quocunque, & potentiis sollicitantibus quibuscunque. Attamen, si sollicitationes sint centripetæ, æquationes nec concinnas, nec ad constructionem redigendas, emergere observavit, quæ causa est, cur casus istos persecutus haud fuerit. Missis igitur iis, ad alias quæstiones provehitur, in quibus curvæ requiruntur, quæ a corpore super iis moto datam sustineant pressionem. Itaque *Propositione 79* solvit Problema de invenienda curva æquabilis pressionis in medio, quod resistit in ratione quacunque velocitatum. Quod cum expedivisset, ad illas transit curvas eruendas, super quibus plures diversi descensus vel adscensus datam inter se teneant legem; quæ res est altissimæ indaginis. Ad eam autem feliciter absolvendam opus est, ut celeritas corporis in singulis locis possit exprimi per quantitates, quibus curvæ natura determinatur. Quod cum in omni resistentiæ hypothesi non succedat, restringendæ sunt quæstiones ad hypotheses particulares, quas inter inprimis eminent duplicata & quadruplicata ratio celeritatum, quas sequi ponitur resistentia. Inter Problemata hic soluta dignum admiratione inprimis est illud de tavtochronis, in medio, quod resistit ut quadratum celeritatis, cujus solutionem peculiari Dissertatione Cel. Autor exhibuit in *Tomo IV Commentar. Petropol.* de quo *Anno* superiori a nobis est dictum. Vir quoque ingenio maximus, *Jo. Bernoullius*, Nostri quondam in re mathematica magister, plenam ejusdem enodationem dedit in *Commentar. Parif. A. 1730.* In aliis autem resi-

stentiæ

ſtentiæ hypotheſibus, excepta ea, quæ ſimplicem celeritatum rationem ſequitur, nemo adhuc curvas tavtochronas in lucem produxit. Quodſi tamen medium ſit rariſſimum, modum tavtochronas quam proxime inveniendi propoſuit Autor *Propoſitione 82*, exiſtente reſiſtentia in quavis multiplicata celeritatis ratione. Has quæſtiones excipiunt aliæ, ſpectantes ad motum oſcillatorium. E. g. *Propoſitio 85* hæc eſt: Poſita reſiſtentia quadrato celeritatis proportionali, & potentia ſollicitante uniformi, ſi data curva ſit *MA*, ſuper qua deſcenſus abſolvantur, invenire pro adſcenſibus curvam *AN*, hujus proprietatis, ut adſcenſus cujusque tempus ſit æquale tempori deſcenſus præcedentis. Quare, ſi curva *MA* fuerit tavtochrona deſcenſuum; erit curva *AN* tavtochrona adſcenſuum. Notatu dignum exiſtit, quod quidem ſuperius monere debueramus, in hac reſiſtentiæ hypotheſi curvam tavtochronam & brachyſtochronam unam eandemque eſſe, perinde ac in vacuo. Vid. *Scholion 1 Propoſitionis 77*. In *Corollario 5 Propoſitionis 88* oſtenditur, in medio rariſſimo fieri poſſe, ut ellipſis ſit tavtochrona, adeoque magis ſatisfaciat ac cyclois. In ultima denique hujus *Capitis Propoſitione*, manente eadem gravitatis & reſiſtentiæ lege, oſtenditur, quomodo, data curva quacunque *am* pro deſcenſibus in vacuo, inveniri poſſit in pleno curva *AM*, ejus indolis, ut omnes deſcenſus ſuper *MA* ſint iſochroni reſpective omnibus deſcenſibus ſuper *ma*, ſi celeritates in punctis imis *a* & *A* fuerint æquales. Exinde in medio reſiſtente pendet ſolutio Problematis, quod Autori tanquam difficillimum in vacuo propoſuerat Cl. *Daniel Bernoullius*, de quo ſupra. Vid. *Scholion 3 hujus Propoſitionis*, ubi traditur ſolvendi modus.

TAB. III Fig. 3.

Fig. 4.

Supereſt *Caput quartum*, de motu puncti ſuper data ſuperficie; quæ materia, uti nova prorſus eſt, & a nemine adhuc tractata, ita quoque tractatu eſt difficillima, ob naturam & proprietates ſolidorum nondum ſatis perſpectas, neque ad calculum revocatas. Fundamenta quidem hujus tractationis Autor jam poſuit in *Capite primo*, uti monuimus. Primum itaque, quod in *quarto* hoc *Capite* enodandum aggreditur, in eo conſiſtit,

ut, data via in superficie quacunque, inveniatur ejus positio respectu plani dati, radiique osculi in quovis viæ puncto tam positio, quam longitudo, nec non situs lineæ normalis in superficiem. Methodus eadem est ac illa, qua Vir laudatissimus usus est pro determinanda linea brevissima in superficiebus, in *Commentar. Petropol. Tom. III*, & cujus fundamenta data opera exposuit *Clairaltius* in Tractatu de Curvis duplicis curvaturæ. Pendet nimirum ex æquationibus, tres variabiles involventibus, quibus definiuntur superficies. Deinde progreditur ad investigationem linearum, quæ a corpore a potentiis quibuscunque sollicitato in superficiebus describuntur; quem in finem ante omnia in effectum cujusque potentiæ curatius inquirit. In sequentibus igitur *vim prementem* vocat eam vim normalem, cujus directio est normalis ad ipsam superficiem, in qua corpus movetur; quæ adeo auget minuitve vim centrifugam, prout ejus directio directioni radii osculi lineæ brevissimæ vel contraria est, vel in eam incidit. *Vim deflectentem* vocat eam vim normalem, cujus directio est in plano superficiem tangente, & perpendicularis in viam a corpore descriptam. Hæc itaque vis corpus a via brevissima, quam a nullis potentiis sollicitatum describeret in superficie, deturbat, & abstrahit. Quocirca in *Propositione 92* determinatur effectus vis prementis; in *Propositione 93* vis tangentialis, & in *Propositione 94* vis normalis deflectentis. Tandem *Propositione 95* rem simul complectitur. Ostendit enim, si corpus super superficie motum a quotcunque potentiis sollicitetur, quomodo definiendæ sint vires, premens, deflectens, & tangentialis, ex resolutione omnium orta. Hisce præstructis, in *Propositione 96* determinatur linea, quam corpus super superficie quacunque projectum describit in vacuo, & hypothesi gravitatis uniformis, deorsum directæ. Ab omni enim resistentia, & aliis sollicitationum hypothesibus, consulto animum abstraxit Cel. Autor, cum calculus, quamdiu subsistitur in generalibus, alias evaderet prolixissimus, & tractatu perdifficilis. Et sane in simplicissima, quam sequitur, hypothesi, formulæ, ex quibus symptomata motus inve-

inveniuntur, ſatis adhuc longæ ſunt & complicatæ. Earum uſus oſtenditur in ſequentibus, ubi determinatur motus corporis in ſuperficie cujuscunque cylindri, cujus axis ſit verticalis, vel etiam horizontalis; item in ſuperficie ſolidi rotundi cujuscunque, hoc eſt, talis, quod generatur revolutione curvæ cujuscunque circa ſuum axem; id quod illuſtratur exemplo, ubi ſolidum rotundum eſt conicum. Finem denique *Capitis*, totiusque Voluminis, facit brevis, ſed nova, tractatio de motu illo, quem Cel. *Jo. Bernoullius* primus in *Actis* hiſce *Anni 1715* expoſuit ſub titulo motus turbinatorii; qui nihil eſt aliud, niſi motus penduli, non in plano verticali impulſi. Cum Vir modo laudatus eum ſolummodo caſum enucleaverit, quo pendulum abſolvit circulos; Noſter animadvertit, præter circulos motu turbinatorio deſcribi poſſe alias curvas haud parum elegantes, quæ omnes ſunt, ut facile patet, in ſuperficie ſphæræ, cujus centrum eſt punctum ſuſpenſionis, & radius æqualis longitudini penduli. Igitur coronidis loco *Propoſitione 99* ſolvit Problema ſequens: *Penduli, ad motum turbinatorium incitati, determinare motum, & curvam, quam in ſuperficie ſphærica deſcribit;* & ex eo copioſam Corollariorum, æque novorum, ac elegantium, ſegetem obtinet. Præcipuum eſt, quod diligenter admodum verſatus fuerit in determinando progreſſu abſidum, qui in hoc motus genere locum habet. Et hic quidem præſtantiſſimi Operis finis eſt; finis quoque recenſionis noſtræ, quam par fuit paulo copioſiorem efficere, cum noſtrum ſit, præcipua in *Actis* hiſce inventa commemorare & conſervare. Abſolutis itaque iis, quæ ad motus puncti pertinent, operam ſe daturum pollicetur Autor Clariſſimus, ut corporum quoque finitorum, & primo quidem rigidorum, ſive inflexilium, motus in ordinem reducat, atque eadem methodo exponat, quamprimum licuerit. Obſervavimus cetera, Virum acutiſſimum aliquoties provocaſſe ad methodos ſuas, quas exhibuerit in iis *Commentariorum Petropol. Tomis*, qui lucem publicam nondum adſpexerunt, adeoque in MStis adhuc latent; quos adeo nobiſcum tota reſpublica mathematica avidiſſime exſpectabit, cum præcipue *nonum* jam citari viderimus.

CON-

CONGRESSUS MERCURII CUM SOLE, in Astronomica specula Bononiensis Scientiarum Instituti observatus die 11 Novembris Anni 1736 mane, referente EUSTACHIO MANFREDIO, ejusdem Instituti Astronomo.

Cum mihi ob adversam valetudinem transitum hunc Mercurii sub Sole non nisi per intervalla spectare, neque in eo mihi ipsi satisfacere, licuerit; referam paucis, quæ in hac specula non tam a me, quam a Viris doctissimis, qui frequentes huc adventare consueverunt, observata fuerint, præsertim vero ab egregio Juvene, *Eustachio Zanotto*, Philos. Doct. qui meas in Astronomica Professione vices gerit; deinde ea subjungam, quæ postmodum ex Observationibus in typum relatis, atque ad calculos expensis, una cum illo definivi.

In supremo speculæ conclavi, unde majores tubi optici promi aptarique possunt, intenderat *Zanottus* in Solem optimæ notæ telescopium, a *Campano* elaboratum, pedes 22 Bononienses longum, quo ipsum, si fieri posset, Mercurii in marginem Solis incursum notaret; ac, quando incursum illum quorundam Astronomorum calculi maturius, aliorum serius, complurium scrupulorum dissidio, pollicebantur, cum *Josepho Roversio* condixerat, si quando ipse cessasset, ut is confestim eidem telescopio succederet. Alii interea aliunde brevioribus tubis in idem intendebamus. Cœlum erat nitidissimum, aer nullo ventorum flatu perturbatus. Obtigit *Roversio*, ut omnium primus Planetam ad Solis marginem deprehenderet hora post meridiem 22. 8. 37, ac mox interiorem ejus cum Sole contactum definiret hora 22. 11. 12. Horologiis utebamur ad meridianam lineam per eosdem dies expensis, quam ipsam lineam *Zanottus* per æquales altitudines matutinas ac vespertinas pluries ad Solem exegit.

Observatoribus aliis paulo serius Planeta in Solis limbo est animadversus. Mihi, ex inferiori conclavi collimanti telescopio *Campani* pedum 11, non ante horam 22. 9. 5 est conspectus, cum jam fat notabili sui parte Solem delibaret,

conta-

contactus autem interior eodem tubo æstimatus hor. 22. 10. 53. Sed longe certior est prior illa observatio, quippe quæ præstantiori instrumento est habita. Quoniam tamen ex temporibus egressus Planetæ mox afferendis constitit ejus corpusculum in excessu impendisse min. 3. 16, si tantundem ex tempore contactus interioris, a *Roversio* notati, subduxerimus, fiet contactus exterior, sive primus Mercurii ad Solem appulsus adhuc certior hor. 22. 7. 56.

Deinceps observationes eo spectarunt, ut puncta aliquot invenirentur ejus semitæ, quam Planeta in Sole describere visebatur. Ea puncta singula ad circulum horarium, nec non ad parallelum per centrum Solis ductum, retulimus, *Cassiniana* methodo, notatis ex horologio temporibus, quibus & limbi Solis, & Mercurius filum horarium micrometri, hic vero præterea etiam obliqua pertransiret, interea dum Sol boreo sui margine filum ipsum parallelum perraderet. Multa ejuscemodi puncta nactus est *Zanottus* telescopio pedum 8; unum ego vel alterum tubo pedum 6, cui tubo micrometrum aptatum erat exquisiti operis, a Viro Cl. *Jo. Jacobo Marinonio*, Mathematico Cæsareo, excogitatum, atque huic observatorio dono missum. Eodem & *Roversius*, & *Thomas Perellus*, Med. Doct. nonnulla puncta alia determinarunt. Huc etiam pertinet observatio, a *Perello* in ipso meridiano habita, murali semicirculo, qua observatione inventa est Planetæ adscensio recta secundis 11 ½ temporariis major, declinatio autem secundis 58 ½ temporariis minor, quam centri Solis. Illud præterea *Zanottus* sibi sumsit, ut insigniorum macularum, quæ plures eo die in Sole cernebantur, positus describeret. Ab iis maculis facile erat Planetam internoscere, & quod exacte rotundus, & quod nigerrimus, & quod nulla areola esset obseptus.

Ad Mercurii egressum quod attinet, *Franciscus Algarottus*, qui nuper ex Gallia & Britannia in Italiam redux hujusce phænomeni spectandi gratia Bononiam se contulerat, tubo pedum 8 usus, initium notavit hora a meridie 0. 50. 1, finem hor. 0. 53. 6; ego vero telescopio illo 11 pedum initium hor. 0. 51. 7, finem hor. 0. 53. 44; *Roversius* tele-

ſcopio pedum 14 finem tantum advertit hor. 0. 54. 1; verum hæ obſervationes minus certæ, cum ob mediocrem tuborum præſtantiam, tum quod ventus id temporis coortus tubos ipſos nonnihil agitaret. Præferenda ergo hiſce omnibus obſervatio, teleſcopio illo pedum 22 habita, quo *Franciſcus Vandellius*, in hoc Scientiarum Inſtituto militaris Architecturæ Profeſſor, interiorem contactum definivit hor. 0. 50. 50, exteriorem hor. 0. 54. 6, unde mora planetæ in limbo min. 3. 16, & tempus egreſſus centri hor. 0. 52. 28, quod ex mea obſervatione foret hor. 0. 52. 25.

Hactenus obſervationes ipſæ; nunc, quæ ex earum inter ſe collatione una cum *Zanotto* deduxerim, perſequar. Aſſumta Solis diametro min. 32. 34, ac tempore ejus tranſitus per circulos horarios min. 2. 17, (quos numeros & recentiorum Aſtronomorum tabulæ exhibent, & obſervationes ipſæ comprobarunt,) puncta illa planetariæ ſemitæ obſervando definita in typum retulimus; ac, cum ob exiguas obſervationum fallacias minime omnia examuſſim in eandem rectam lineam inciderent, nullam eorum conciliandorum rationem aptiorem invenimus, quam ſi ſtatueremus, perpendicularem lineam, ex centro Solis ad planetæ ſemitam ductam, angulum cum horario circulo comprehendere grad. 23. 40 ad ortum: ejus vero perpendicularis longitudinem a centro ad ipſam ſemitam poneremus min. 13. 58 ad boream. Ex his reliqua omnia calculo deduximus in hunc modum:

		′ ″
Initium ingreſſus Mercurii in Solis diſcum	hor.	22. 7. 56
Ingreſſus centri	hor.	22. 9. 34
Totalis ingreſſus	hor.	22. 11. 12
Initium egreſſus	hor.	0. 50. 50
Egreſſus centri	hor.	0. 52. 28
Totalis egreſſus	hor.	0. 54. 6
Mora centri Mercurii in diſco Solis	hor.	2. 42. 54
Semimora	hor.	1. 21. 27
Tempus medii tranſitus	hor.	23. 31. 1

An-

		′ ″
Angulus lineæ perpendicularis ad ſemitam planetæ cum circ. horario ab obſervationibus definitus, ad ortum	gr.	23.40
Angulus eclipticæ cum horario ex tabulis Aſtronomicis ad ortum	gr.	105.48
Inde angulus eclipticæ cum perpendiculari ad Mercurii ſemitam apparentem	gr.	82. 8
Et angulus ſemitæ apparens cum ecliptica	gr.	7.52
Diſtantia ſemitæ a centro Solis ab obſervationibus inventa ad bor.	gr.	0.13.58
Semidiameter Solis	gr.	0.16.17
Longitudo ſemitæ intra Solis diſcum	gr.	0.16.45
Ejus longitudinis dimidium	gr.	0. 8.22
Ex his motus horarius Mercurii in ſemita apparenti	gr.	0. 6.10
Motus horarius apparens in ecliptica	gr.	0. 6. 6
Inde portio ſemitæ inter medium tranſitus & conjunctionem	gr.	0. 1.58
Portio ſemitæ ab ingreſſu ad conjunctionem	gr.	0.10.20
Portio ejusdem a conjunctione ad egreſſum	gr.	0. 6.24
Differentia longitudinis Mercurii & Solis in ingreſſu	gr.	0.10.15
Differentia longitudinis in egreſſu	gr.	0. 6.21
Tempus a medio tranſitus ad conjunctionem	hor.	0.19. 2
Tempus ipſum conjunctionis Bononiæ t. ver.	hor.	23.50. 3
t. med.	hor.	23.34.25
Longitudo Solis & Mercurii in ipſa conjunctione e *Caſſinianis* tabulis *Scorpii*	gr.	19.23.30
Huic longitudini reſpondet intra ſec. 4. obſervatio a *Petro Lilio*, J. U. D. eodem die habita gnomone meridiano ad Divi Petronii.		
Latitudo Mercurii in ingreſſu bor.	gr.	0.12.37
Latitudo in egreſſu bor.	gr.	0.14.54
Inde motus horarius in latitudinem	gr.	0.0.50½
Et latitudo in ipſa conjunctione bor.	gr.	0.14. 1

 Ex

Ex his intervallum temporis a transitu Mercurii per nodum adscendentem ad conjunctionem		hor.	′ ″ 16. 39
Et tempus ipsum transitus per nodum	t. ver.	hor.	7. 11
	t. med.	hor.	6. 55
Ex tabulis *Cassinianis* motus Mercurii in orbita e Sole visus intervallo horarum 16. 39 circa hoc tempus, seu argumentum latitudinis in conjunctione		gr.	4. 15. 47
Idem motus ad eclipticam reductus		gr.	4. 13. 56
Inde locus nodi adscendentis Mercurii e Sole visus	*Tauri*	gr.	15. 9. 34
Distantia Mercurii a Sole ad tempus conjunctionis e tabulis *Cassinianis*		Log.	449301
Distantia Telluris a Sole ex iisdem tabulis		Log.	499503
Inde latitudo Mercurii in conjunctione, e Sole visa bor.		gr.	0. 30. 31
Unde inclinatio orbitæ Mercurii ad eclipticam		gr.	6. 51
Tempus a contactu interiori Mercurii ad exteriorem in egressu ex obs.		hor.	0. 3. 16
Portio semitæ hoc tempore a Mercurio peragrata		gr.	0. 0. 20
Angulus semitæ ipsius cum semidiametro Solis in egressu		gr.	58. 50
Inde diameter apparens Mercurii quam proxime.		gr.	0. 0. 10

TAB. III Fig. 5. Schema ipsum Congressus Mercurii cum Sole exhibetur Lectori in *Tab. III Fig. 5.*

M. JO. GOTTFR. HERMANNI, ECCLES. PEgaviens. Ministri, Historia Concertationum de pane azymo & fermentato in Cœna Domini, variis Commentationibus explanata. Subjuncta est Græci Theologi de Christo Pascha suum præmature atque in pane fermentato

tato celebrante Dissertatio, a Theologo Latino censoriis notis dispuncta, primum Patavii A. 1730, nunc iterum, emissa, novisque animadversionibus aucta.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii B. Fil. 1737, 8. Alph. 1 plag. 13.

Argumentum nobile & doctorum virorum studio dignum Pl. Rev. Autor elegit, idque, stilo elegantiori exornatum, argumentisque partim historicis, partim dogmaticis, confirmatum, solide pertractavit. In *Partes* hunc laborem divisit *quatuor*. *Prima* antiquissimas, si quæ exstiterunt, de panibus vel fermentatis, vel sine fermento consecrandis, quæstiones evolvit. *Secunda* celeberrimam, & ad annum prope septingentesimum ea de re agitatam, controversiam Græcorum cum Latinis edisserit, adjectis partium argumentis. *Tertia* in enarrandis recentioribus Christianorum occidentalium eadem de causa dissensionibus, & in explicandis, quibus usi fuerunt, rationibus, versatur. *Quarta* denique momentum controversiæ ad præcepta & instituta præcipuarum Christi ecclesiarum examinatum ponderat. Seculo I ea de re fuisse litem ab Apostolis, a doctoribus Judæo-Christianis, vel ab Ebionitis, Pag. 16 seq.
excitatam, graviter negatur. *Alexander I* Pontifex Romanus legem de azymo non tulit, quicquid tandem in contrarium tradiderint nonnulli. Seculo IV Apollinaristas pro azymo decertasse, dubio est plenum. In Concilio Nicæno, vel Seculo proximo quinto, quæstionem de azymo subortam esse, in incerto po- 26.
nitur. Nec liquet, an Seculis VI & VII vel in Armenia, vel in Synodo Trullana, vel in Concilio Toletano XVI, ea de re sit a- 40.
ctum. Ut verbo dicamus, ante Seculum XI controversia illa quievit, quæ tandem auspice & duce *Michaele Cerulario* suscitata est, homine sacri ordinis inter Græcos antistite summo, qui præsulis Romani principatum ac imperium quam molestissime ferebat. Ipse itaque non suo tantum, sed etiam *Leonis*, Præsulis Acridani, nomine literas ad *Joannem*, Tranensem 46.
in Apulia Episcopum, dedit, exhibitas a *Canisio* in *Lect. Antiq. Tom. III pag. 281*, omnibus ecclesiæ Romanæ filiis aperiendas. Quo ipso volumine Græci Latinos antistites & audacter & vehementer, tum propter alios errores, tum vero omnium acerbissime

biſſime ob panis azymi uſum in ſacra cœna, objurgarunt. Perlectam *Humbertus* Cardinalis de Græcis Latine factam Epiſtolam, Trani cum eſſet, *Leonis IX*, Pontificis Romani, oculis ſubjecit. Reſpondit irritatus Epiſtola illa *Leo* & *Michaeli* & *Leoni* longis ac copioſis literis, Græcosque tanquam degeneres filios
Pag. 49. imperioſe magis, quam paterne, reprehendit. Hiſce adjungit deinde ſingularem Epiſtolam, qua defenſionem panis ſine fermento offerendi complexus fuit, & quam per Legatos ſuos ad *Cerularium* miſit. *Humbertus* etiam *Cerularii* argumenta Dialogo cuidam inſeruit, notans ſingula, preſſo pede inſecutus,
50. virgula cenſoria. *Dominicus*, Venetorum Patriarcha, leniſſime ad *Petrum*, Antiochiæ Patriarcham, ſcripſit, demonſtrans, magna uſus lenitate, panem vel fermentatum, vel fermento expertem, æque habilem ad conſecrandam ſacram euchariſtiam. *Petrus Antiochenus* ei reſpondit, ſignificans, Græcos ab azymo abhorrere. Utraque Epiſtola habetur in *Cotelerii Mon. Eccl. Græc. Tom. II pag. 108 ſeq.* & *pag. 112 ſeq.* Enata tum fuerunt invidioſa nomina Azymitarum & Fermentariorum.
54. *Leo* Papa deinceps in Concilio, Romæ A. 1053 indicto, Græcos azymi detrectatores abſentes ab omni Chriſtianorum commu-
57. nione ejectos diris devovit. Exeunte autem anno Legatos miſit Conſtantinopolin, qui de fœdere inter utramque eccleſiam
60. faciendo laborarent. Legatorum primus erat *Humbertus* Cardinalis, Silvæ candidæ Epiſcopus; ſecundum locum obtinuit *Petrus*, Amalfitanorum Archiepiſcopus; tertius erat *Fridericus*, Romanæ eccleſiæ Archidiaconus & Cancellarius, *Stephanus X*
63. in numero Pontificum poſtea dictus. In mutuis diſceptationibus Latini Conſtantinopoli importunitate, Græci modeſtia, ſeſe reddiderunt inſignes. Quantuscunque vero exiſteret Impe-
70. ratoris Græci favor, opera tamen Legatorum erat irrita. Jactabantur a Legatis ſemel iterumque in Græcos minæ diræque cœleſtes, nec non in ipſa æde S. Sophiæ Conſtantinopolitana *Cerularium* & *Leonem* Acridanum horribili minarum fulmine
74. percutiebant. *Cerularius*, profectis Legatis, binas ad *Petrum*, antiſtitem Antiochenum, dedit literas, quibus imperioſam Legatorum perverſamque agendi rationem expoſuit, ſuamque ſen-
82 ſeq. tentiam corroborare ſtuduit. Edidit præterea in vulgus comme-

memorationem, qua edisseruit modum, quo ipse a Legatis Constantinopoli publice a communione ecclesiæ fuerit proscriptus. *Petrus Antiochenus* de discrimine panis fermentati ac Pag. 85.
fermento carentis mitius sentiebat. Græci paulo post par pari 86 seq.
retulerunt, & publice in Azymitas execrationem dixerunt, nomen Pontificis Romani ex diptychis ejecerunt, ac litigatio illa in causis discessionis præcipuis inter utramque ecclesiam numerata. Insedit illud vulnus pertinax in ecclesia ad Conci- 94.
lium usque Florentinum, quo conjunctio diligentissime, licet nequicquam, fuit tentata. Inanis fuit consensionis illius apud 135.
Latinos ostentatio. Ex eo tempore ad ætatem nostram per- 146.
stitit illa controversia. Sectæ in orientali ecclesia inter hæc non defuerunt, aliis enzymum, aliis azymum, consecrantibus. Argumenta deinde percensentur, quibus pro pane fermentato 172 seq.
contra Latinos depugnant. Græci, Christum pascha uno die antevertisse, contendunt. Provocant ad consuetudinem ab ultimis temporibus deductam. Azymum esse panis nomine indignum, perhibent. Fermentati panis magnam esse præstantiam, & aptam tanto mysterio significationem, existimant. A- 195.
zymi esum ab hæreticis ortum, credunt. Provocant eo nomi- 202.
ne quoque ad præcepta & typos Scripturæ divinæ, ad autoritatem Canonum ecclesiæ, & Pontificum Latinorum consensionem. Subjunguntur argumenta Latinorum pro pane azymo contra Græcos, additis suo quoque loco horum responsionibus. Præcipuum argumentum Latini desumunt ex exemplo 234.
Christi, die azymis proprio pascha comedentis, ex exemplo Apostolorum, & consuetudine ab omni antiquitate accepta, ex natura & significatione optima, at fermentati mala, ex testimoniis Scripturæ Græcæ, & ex una unius Romanæ ecclesiæ autoritate. Cum vero Latini rem ipsam cœpissent subtilius in- 249.
vestigare, dissidiis intestinis cœperunt collidi. *Claudius Espencæus* & *Latinus Latinius* subdubitarunt. *Jacobus Sirmondus*, ec- 254.
clesiam per multa Secula a morte Christi non nisi fermentato pane etiam inter Latinos eucharistiam celebrasse, docuit, cui *Joannes Bona* Cardinalis accessit, rationibus novis in supplementum adjunctis, quamvis postea sententiam suam emolliverit. *Joannes Mabillonius Sirmondi* argumenta evertere sustinuit

cum

Pag. 264. cum *Joanne Campiano*, & *Luca Holstenio*. *Sirmondo* & *Bonæ* applauserunt Refor-
matæ ecclesiæ Doctores, *Joannes Dallaus*, *Samuel Basnagius*, *Jacobus Basnagius*,
Matthaus Larroquanus, & *Fridericus Spanheimius*. Promiscuus certe olim in ec-
269 seq. clesia Latina usus panis tum fermento imbuti, tum eo expertis. Subjunxit Autor
Pl. Rev. argumentorum seriem, quæ in sacrificio Latinorum usque ad Seculum
IX & ultra panem fermentatum regnasse docent. Palmarium est illud, ex pani-
bus vulgo oblatis eucharisticum panem fuisse delectum. *Jo. Franc. Buddei* error
275 seq. quidam insignis detegitur. In decretis Pontificum eucharistia nonnunquam
vocatur *fermentum*, e. g. *Melchiadis*, *Siricii*, *Innocentii I.* Multi summi Viri
279. sunt, qui negare id haud audent. Urgent præterea silentium vetustatis, & ad-
293 seq. eo ipsius *Photii* de azymo. Alii e contrario perpetuum azymi usum propu-
299. gnant, provocantes ad Servatoris & Apostolorum exempla, ad consuetudi-
nem diuturnam, ad testimonium *Epiphanii*, perquam tamen controversum,
311. ad suffragia Conciliorum veterumque doctorum ecclesiæ, ad pronuntiatum
Leonis IX, & ad silentium antiquitatis de azymi origine, ad formam & con-
323. ditionem panis eucharistici Latinorum. Addit Autor argumenta, inprimis
325. *Bonæ* Cardinalis, pro usu panis utriusque ante *Photium* promiscuo. Descen-
dit porro ad dissensionem Reformatorum ab iis, qui azymum consecrant,
licet Angli & Tigurini azymum adhibeant. Pugnant iidem adversus pla-
334. centulas eucharisticas orbiculares. Afferuntur argumenta Reformatorum
pro usu panis fermentati. Consecrationem panis vulgaris vetustate
353 seq. esse robustissimam, Noster ostendit solidissime, isque mysterio optime respon-
det, addens, quomodo Lutherani causam suam dicant. Ex omnibus vero sub
unum conspectum revocatis patescit, rem omnem ecclesiæ Christianæ esse
reservatam, nec ideo concursationes ac dissensiones moliendas. In calce suf-
fixa est Græci Theologi de Christo pascha suum præmature atque in pa-
ne fermentato celebrante Dissertatio, a Theologo Græco, *Sosimo Perastiano*,
436. Cephaloniensi, paucis ante annis in Academia Patavina studiorum causa
commorato, elaborata, ad quam Theologus celeberrimus in Academia
437. Patavina, *Jacobus Hyacinthus Serry*, responsionem edidit, qui omni ni-
su contendit, ut, quam possit, certissime det probatum, a Christo una
cum Judæis, aut omnibus, aut certe plerisque, quod posterius ipsi sit
verosimillimum, agnum paschalem comedente, & diem legibus fixum, &
441 seq. azymi esum, sine ulla dubitatione in cœna extrema fuisse observatum. Quis
fuerit dies parasceves paschæ & prosabbatum, animadversionum Autor do-
450 seq. ctissime expedit, ratus, per sabbatum intelligi dies festos. Hebræi pascha ita
appellarunt, teste *Abarbanele* in *Leg. pag. 162*. Conf. *Jo. XX, 1, 9*. Præluxis-
set Autori doctissimus *J. C. Harenbergius*, cujus Dissertatio *Tom. II* Thesauri
Philologico-Theologici *pag. 538 seq.* exstat, si ea ipsi fuisset ad manus. In ea
enim ostenditur, Christum eadem die naturali Judaica, qua Judæi agnum
paschalem ederunt, comedisse. Eadem felicitate dictionisque venustate ex
toto Autor causam suam peroravit, qua telam cœperat. Nostrum est, Vi-
ro Illustri, Academiæ Lipsiensis ornamento maximo, *Joanni Jacobo Masco-
vio*, gratias habere & agere, qui Autorem ad Opus tam egregium digne
elaborandum inflammavit & permovit. Cum vero publicæ literatorum rei
intersit, plures ejusmodi labores, tam eleganter perfectos, ab Autore exspe-
ctari, non possumus, quin eum ad consimiles perpoliendas tractationes exci-
temus, unde & ecclesiæ rebusque divinis robur ac honorem maxi-
mum, & famæ doctissimi Autoris insigne incre-
mentum, certissime ominamur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXXXVIII.

Pars I.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΕΦΡΑΙΜ τȣ̃ Σύρȣ τὰ ἑυρισκόμενα πάντα.

h. e.

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAEM SYRI Opera omnia, quæ exſtant, Græce, Syriace, Latine, in ſex Tomos diſtributa, ad MStos Codices Vaticanos caſtigata.

Tomus I.

Romæ, ex typographia Vaticana, 1732, fol.
Alph. 4 plag. 6.

Splendidiſſimam hanc ac præſtantiſſimam *Ephraem Syri* editionem debemus Cel. *Joſepho Simonio Aſſemano*, qui eam juſſu ſuaſuque *Angeli Mariæ Quirini*, S. R. E. Cardinalis Bibliothecarii, adornavit. *Tomo I*, præter Dedicationem laudati modo Cardinalis *Quirini* ad *Clementem XII*, Pontificem, apparent duæ Præfationes Doctiſſ. *Aſſemani*, quarum altera paucis exponit de univerſo inſtituto in evulgandis *Ephraem Syri* Operibus tenendo, altera vero ad hunc ipſum *primum Tomum* ſigillatim pertinet, in qua breviſſimis docet Editor, qua ratione verſatus ſit in perpoliendo hoc *Tomo primo.* Has Præfationes excipiunt Prolegomena ejuſdem *Aſſemani*, in quibus agit *Cap. I* de iis, qui res geſtas *Ephraem Syri* ſcriptis

tradiderunt, vel ejus encomium, aut lucubrationum catalo-
Pag. 12. gum, texuerunt; *Cap. II* de Latinis antiquis verſionibus, tum
13. manu exaratis, tum impreſſis; *Cap. III* de editione *Ambroſii*
14. Camaldulenſis; *Cap. IV* de editione *Zini*, Canonici Veronen-
15. ſis; *Cap. V* de editionibus *Julii Clementis*, *Lipomani*, *Surii*, *Bollandianorum*, *Chantelou*, *Combefiſii*, & *Corderii*; *Cap. VI* de Latinis editionibus e Syriaco adornatis a *Guidone Fabricio Boderiano*, *Gerardo Voſſio*, *Joanne* Cardinali *Bona*, &
16. *Abrahamo Ecchellenſi*; *Cap. VII* de Latina editione *Gerardi*
19. *Voſſii*; *Cap. VIII* de editionibus Græco-Latinis *Gretſeri*, *Bollandianorum*, *Cotelerii*, *Corderii*, & *Junii*; *Cap. IX* de Græ-
20. ca editione Oxonienſi; *Cap. X* de Græcis MStis *Ephraem* Operibus, quæ in Bibliothecis exſtant. Ex quo *Capite* apparet, *Barberinum* Codicem, qui A. 892 exaratus eſt, omnium eſſe antiquiſſimum, eique antiquitate proxime accedere *Baſilianum* A. 1020, *Clementinum* A. 1039, *Coislinianum* A. 1056, & *Vaticanum* A. 1073, deſcriptos. Atque hæc quidem omnia ita præmittuntur ipſis *Ephraem Syri* monumentis, ut & ipſa verba Autorum, tam antiquorum, quam recentiorum, qui vel vitam Patris illuſtrarunt, vel de ipſius ſcriptis mentionem fecerunt ac judicium tulerunt, copioſius exhibeantur, & ex Codicibus MStis indicetur, quot & quos ſinguli Sermones *Ephraem* contineant. Sermones, qui in hoc *Tomo I* leguntur, eodem ordine ſunt expreſſi, quo conſpiciuntur in editione Græca, quæ prodiit Oxonii A. 1709. Primus autem eorum eſt *de virtutibus & vitiis*, atque agmen claudunt centum Capita *de humilitate*. Neque tamen ordinem ſolum Sermonum, verum etiam ipſa Græca verba, ſeu vulgo dictum textum, ejusdem editionis Oxonienſis, ſervandum ſibi duxit Cel. *Aſſemanus*. Hinc factum eſt, ut plerumque lectio retineretur, quam dedit illa editio, licet in margine interdum alia fuerit ſubminiſtrata. Sic *pag. 6* cum textu Oxonienſi exhibetur: *Χρηστὸς ἐστι Κύριος*, &, *ἀλλ' ἐν πολλαῖς ἀρεταῖς ζητεῖται*, cum tamen in margine pro *Χρηστὸς* referatur *Χριστὸς*, & pro *ζητεῖται* conjiciatur legendum *ζυγοῦται*. *Pag. 8* in Sermone *de manſuetudine* ex editione Oxonienſi ſiſtitur,

ſtitur, τὸ ὑπερβάλλον μέτρον τȣ̃ πλȣ́τȣ τῆς ἐπαγγελίας ζητώσατε ἐπιχϑῆναι, tametſi per conjecturam aſſeratur in margine ἐπιϑεῖναι. *Pag.* 10 cum Oxonienſibus legit & exſcribendum curavit *Aſſemanus*, Μακάριος, ὃς ἐν ἀληϑείᾳ τὸν βίον αὐτȣ̃ ἐρύϑμισε, ubi tamen alii, annotante margine, præferunt ἠρίϑμησε. *Pag.* 19 textus Oxonienſis habet, Πεπώρωταί μȣ ἡ καρδία, ἠλλοίωταί μȣ ὁ ἐυσεβὴς λογισμὸς &c. quem ſequi maluit Doctiſſ. Editor, quam quæ margo monet, ubi alii pro πεπώρωται habent πεπύρωται, & pro ἐυσεβὴς ex conjectura traditur ἐυτελὴς, & eadem pagina retentum ψύγω, quamvis iterum in margine doceatur, ψύχω ſcribendum eſſe. *Pag.* 28 in *Sermone compunctorio*, marginali lectione poſtpoſita, λάβωμεν ἔυνοιαν καλὴν, ipſe textus ab Editoribus Anglis exhibitus fuit ſervatus, λάβωμεν ἔννοιαν καλήν. *Pag.* 40 hæc nova editio refert, præeunte Oxonienſi, ποῖος πόρνος ἢ βέβηλος; marginalis autem lectio præfert, ποῖος πονηρός. Sed, quamvis in his aliisque plerisque locis, ubi lectionum deprehenditur varietas, Cel. *Aſſemanus* ſecutus ſit ipſum textum Græcum, quem Oxonienſes nobis dederunt, tamen etiam hinc inde cernere nobis datum fuit, marginalem lectionem editionis Oxonienſis in hac nova editione prælatam lectioni in ipſo textu exhibitæ. *Pag.* 2 in Sermone *de timore Dei* textus Oxonienſis refert, μὴ πᾶς ἐξαίφνης ἥξει. Cum vero in margine, ex conjectura licet, legatur ἥξη, id ſibi in ipſum textum recipiendum exiſtimavit *Aſſemanus*, qui etiam *pag.* 3 pro ϛέργει, quod eſt lectio Oxonienſis editionis textualis, maluit ex margine exhibere ϛέγει. *Pag.* 112 in Sermone *ad correctionem eorum, qui vitioſe vivunt, & honores appetunt*, ex conjectura marginali Oxonienſium pro νοσȣ̃μεν in ipſo textu expreſſum jam legitur hic in textum receptum νοȣ̃μεν *Pag.* 120 in Sermone *de reprehenſione ſui ipſius & confeſſione* exſcribendum curavit Editor ἄυριον ὄψεσϑε καὶ τȣ̀ς ὑφ' ὑμῶν ἀδικȣμένȣς, cum in Oxonienſi legatur, ἄυριον ὄψει καὶ τȣ̀ς ὑφ' ἡμῶν ἀδικȣμένȣς. Atque hæc quidem ſatis jam demonſtrant, Oxonienſi cumprimis editioni Cel. *Aſſemanum* in adornanda hac nova editione inhæſiſſe.

Qua tamen in re ita se gessit, ut, licet maximam partem vel ipsam Oxoniensem editionem, vel ejus lectionem in margine repræsentatam, exhibuerit, tamen minime raro ab utraque discesserit. Fidem huic rei facient, quæ brevissimis indicabimus, exempla, pluribus pro instituti ratione jam prætermissis. *Pag. 8* in Sermone *de iracundia*, ex monito fortasse Editorum Anglicanorum, in verbis *ἀκέσῃ τȣ̃ ἁγίȣ* Ἀποςόλȣ *Παύλȣ λέγοντος*, omissa est vox Παύλȣ; nam in margine Oxoniensis editionis annotatum est per errorem interpretis, nomen *Pauli* hoc loco conspici, cum *Jacobi* Apostoli afferatur oraculum. *Pag. 230 Cap. I in illud, attende tibi ipsi,* eleganter omnino per interrogationem restituit Cel. *Assemanus* *Τοιγαρȣ̃ν νομίμως ἤρξω; νομίμως καὶ ἐπιτέλεσον*; nam Oxoniensis habet sine interrogatione, *τοιγαρȣ̃ν νομίμως ἤρξω, νομίμως καὶ ἐπιτέλεσον*, ubi simul in margine monetur, alios hic legere, *ἐὰν νομίμως ἤρξω* &c. Ceterum, quemadmodum in editione sæpius laudata Oxoniensi non adjecta est Græcis interpretatio Latina, sic e contrario Doctiss. *Assemanus* eam ubique Græcis e regione posuit, quam *Gerardus Vossius* adornavit, propterea quod & plura, quam aliorum, *Ephraem Syri* Opera comprehendat, & sæpius typis exscripta manibus eruditorum teratur. Quam ipsam interpretationem *Vossii* Latinam in iis locis non dubitavit vel relinquere, vel emendare, in quibus sensum a Græcis diversum repræsentat. Nos certe non possumus, pro nostro in rem literariam studio, ex animo non optare, ut, qui supersunt, & promittuntur a Doctiss. Editore, *Tomi V* eodem apparatu, eodemque splendore, proxime in lucem prodeant adspectumque eruditorum.

ANNALES MINORUM, SEU TRIUM ORdinum a S. Francisco institutorum; Autore A. R. P. LUCA WADDINGO, Hiberno, S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo. Editio secunda, locupletior & accuratior, opera & studio R. P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA, S. T. Lect. Jubilati,

lati, S. & V. Inquisitionis Consultoris, S. C. Consistor. Votantis, Episcop. Examinatoris, Ord. Discreti & in Rom. Curia Commiss. Generalis.

Tomus V -- VIII.

Romæ, typis Rochi Bernabo, 1733, fol.

Tom. V Alph. 7 plag. 2, Tom. VI Alph. 7, Tom. VII Alph. 7, Tom. VIII Alph. 7 plag. 5.

Operis præstantissimi, de cujus nuper instituto copiose diximus, *Tomus V* ab A. 1276 usque ad A. 1300 tradit, *Philippum* Pag. 8 seq.
Bonaccorsium in Marchia Travisina institutum fuisse Inquisi- 29 seq.
torem, Minoritas ad *Palæologum* de profectu unionis & negotiis imperii acturos, ad magnum Cham Tartarorum Imperatorem, ejusque nepotem, *Abagham*, Regem, fidem propagaturos, & ad Romanos, missos fuisse; pacem inter Prædicatores & Minores reformatam fuisse; *Bonagratiam* fratrem, in- 62 seq.
dictis Assisii Comitiis, Ministrum generalem factum, pluresque a Pontifice, qui Protectorem Ordinis dedit nepotem
Matthæum Rubeum Ursinum, Cardinalem, ex Minoritis Epi- 90.
scopos creatos, Legatosque ex iisdem ad res graviores institu- 139.
tos fuisse; Mediolani Comitia generalia celebrata, & Ministrum generalem creatum *Arlottum a Prato*, & in Sardicensi insula inquisitionis officium institutum fuisse; Minoritas ad
Tartaros, Armenos, Æthiopes, & universas Orientis nationes 194.
fide Catholica imbuendas, missos fuisse Legatos, & in Comitiis generalibus, quibus interfuit Pontifex, *Carolus* Rex, & *Maria*
Regina, factum esse Ministrum generalem *Raymundum Gau-* 252.
fridi; *Nicolaum* Pontificem Minoritas misisse, qui orientalium Principum auxilium implorarent contra Soldanum Ægypti, qui, capta Ptolemaide, Minoritas & Clarissas trucidave-
rat; Regem Armeniæ Minoritas Legatos misisse ad Pontificem 291 seq.
& Reges Europæ, ad auxilium contra Saracenos petendum;
Jacobum, Regem Aragonium, misso Legato Minorita, Romam 345.
vocatum fuisse; Generales Præfectos Minorum & Prædica- 397.

torum ad compescendos bellorum tumultus, inter Gallum, Anglum, aliosque Principes, exortos, legatos Gandavum missos, & in partibus Serviæ, Russiæ, Dalmatiæ, Inquisitores insti-
Pag. 435. tutos fuisse. Adjungitur pariter Regestum Pontificium, in quo leguntur Bullæ Pontificum, res in hoc *Tomo* memoratas calculo suo comprobantes.

Tomus VI, ab A. 1301 usque ad A. 1322, memorabilis cumprimis est descriptione vitæ *Joannis Dunsii Scoti*, nobilissimi inter Scholasticos magistri, & Fratricellorum historia, quorum origo, dogmata, mores, vitæque instituta, clarissime ex-
32. ponuntur. Præterea vero hic *Tomus* docet, Festum sacrorum stigmatum S. *Francisci* institutum fuisse; *Artanisium*
101. Minoritam cum aliis ad Regem Russiæ missum fuisse, ad fi-
166. dem in iis regionibus propagandam; Pontificem, exorta gravi controversia in religione circa gradum observandæ Paupertatis, præcipuos Ordinis Patres ad se vocasse; Minoritas in Livonia a Theutonicis multa perpessos fuisse; Imperatorem Tartarorum simul cum matre ad fidem per Mi-
209. noritas conversos fuisse; *Raymundum Lullum* mortuum fuis-
260. se, de cujus vita & doctrina disquiritur; Pontificem ex Prædicatorum & Minorum Ordinibus nuntios ad tollenda schismata & bella, in Italia, Flandria, & Francia, exorta, misisse; *Ludovicum*, Episcopum Tolosanum, in Sanctorum numerum
307. solenni ritu relatum fuisse; Inquisitores in Poloniæ & Bohe-
353. miæ regnis institutos, atque eos condemnatos fuisse hæreseos, qui ab Ordine recesserunt sub specie majoris observantiæ; nuntios ex Minoritis a Pontifice ad Regem Georgianorum & Tartaros missos fuisse; adjecto ad calcem simili modo Regesto Pontificio, Pontificum Bullas, huc facientes, complectente.

1 seq. *Tomus VII* ab A. 1323 usque ad A. 1346 recenset, gravissimas turbas circa controversiam de paupertate Christi a Pon-
23. tifice *Joanne XXII*, edita Constitutione, sopitas fuisse; Minoritas ac Prædicatores inter Lithuanos fidem amplificasse, & ex iis Inquisitores multam operam posuisse ad infringendam
38. hæreticorum & hostium Ecclesiæ audaciam; *Fabianum* Mino-
53. ritam in principatu Bosnensi Inquisitorem institutum, & *E-*

lisa-

lisabetham, conjugem *Dionysii*, Regis Lusitaniæ, Franciscanam
factam fuisse, multoque virtutum incremento claruisse; solis
Minoritis, rejectis aliis, inquisitionem pravitatis hæreticæ in
Principatu Bosnensi & adjunctis provinciis commissam fuis-
se; in Persiam & Indiam interiorem Minoritas ad fidem pro- Pag. 77.
pagandam, & in Armeniam majorem, missos fuisse, & Mini- 131.
strum generalem, adhibito socio ex Prædicatoribus, ablega-
tum, ut Reges Angliæ & Scotiæ pacificaret, ex eodemque
sodalitio alium amandatum ad Regem Majoricarum; Lega-
tos Minoritas inter Castellæ & Aragoniæ Reges pacem con- 203.
ciliasse, & Caturci Comitia generalia celebrasse; Regem Ar-
menorum *Danielem* Minoritam Legatum ad *Clementem VI* 310.
Pontificem misisse de fidei puritate in illis partibus restituenda,
& ex eodem Ordine *Ludovicum*, Pannoniæ Regem, misisse
Legatum Avenionem pro impetrando *Andreæ* fratri regni Nea-
politani dominio; quibus pro more subjungitur Regestum Pon- 345.
tificium, Bullis Pontificum, Annales adjuvantibus, repletum.

Tomo VIII, ab A. 1347 usque ad A. 1376, memoratur inpri- 1.
mis: *Gerardum* ex Minoritis, Patriarcham Antiochenum, ad
Siculos amandatum, & ex eodem sodalitio *Landulphum*, Ar-
chiepiscopum Amalphitanum, sequestrum pacis ineundæ in-
ter Reges Siculos cum aliis delegatum; Legatos ex Minoritis 29.
& Prædicatoribus ad *Cantacuzenum*, Imperatorem Constanti-
nopolitanum, missos fuisse pro uniendis ecclesiis Græca &
Latina, Minorumque opera *Clementem VI* Pontificem in va-
riis functionibus usum; nonnullos Prædicatorum & Minori- 40.
tarum destinatos pacificatores in Aragoniam & Cataloniam,
& a Pontifice domesticis obsequiis destinatos; *Fortanerium
Vassallum*, ex Minorita Archiepiscopum Ravennatem, & Pa- 50.
triarcham Gradensem, amandatos fuisse ad pacificandos Ve-
netos & Genuenses, & *Antonio*, Archiepiscopo Dyrrachino,
curam procedendi contra hæreticos Albaniæ, Sclavoniæ,
aliarumque partium, demandatam, *Vesianum*que, ejusdem Or-
dinis sodalem, rectorem Campaniæ & Maritimæ constitutum
fuisse; nuntios Constantinopolin ablegatos fuisse, ut *Joannem* 107.
Pa-

Palaeologum Imperatorem ad Ecclesiæ unionem admitterent,
Pag. 155. & prius agerent cum *Ludovico*, Hungariæ Rege, de conversione
170. ne Rassianorum; *Marcum* Viterbiensem, Ministrum Minoritarum gereralem, multos pacificasse Principes in Italia, & in
212. pacificandis Florentinis & Pisanis laborasse, Principesque Italiæ contra iniquas societates Anglorum convocasse; *Joannem Palaeologum*, Græcorum Imperatorem, Minorum suasionibus, abjurato schismate, Romanam fidem in urbe ad Basilicam Principis Apostolorum professum fuisse; *Urbanum V* Pontifi-
234. ficem Minoritas in Orientem, Corsicæ insulam, & Principatum Bosnensem, misisse; *Thomam*, Ministrum generalem, ad pacificandos Genuenses amandatum; *Petrum* Aragonium Minoritam Cyprum abiisse filiam Reginam consolaturum, & rebus fluctuantibus regni consulturum; *Franciscum Godiensem* cum aliquot sociis in Tartariam ablegatum fuis-
289. se; Viros doctos Ordinis Prædicatorum & Minorum ad Græcos missos fuisse, de unione utriusque ecclesiæ acturos; Minoritas in partibus Hungariæ & Tartariæ diligenter incubuisse
343. ad Schismaticorum conversionem. His accedit pro more Regestum Pontificium, quod Bullas Pontificum, res Minorum stabilientes, complectitur.

THEOPHRASTI CHARACTERES ETHICI, Græce, cum versione Latina ISAACI CASAUBONI, & Notis JOANNIS CORNELII DE PAUW.

Trajecti ad Rhenum, apud Joannem Evelt, 1737, 8.
Plag. 16½.

Pergit hic in Græcis literis, laudabili conatu, illustrandis Vir eruditus, cujus operam, in *Aristaeneto* collocatam, nuper demum indicare meminimus. Unum saltem iterum optaremus, ut confidentiam minorem, majorem vero modestiam, præ se ferret. Interea magis sibi temperasse, & ad illustres eximii Critici virtutes propius hic accessisse, videtur.

Secu-

Secutus eſt potiſſimum optimam huc usque *Needhami* editionem, Cantabrigiæ anno hujus Seculi duodecimo perfectam. Inde quanquam varias lectiones derivavit Noſter, nihil tamen in ipſo, qui dicitur, contextu novavit, quod quidem *Needhamum* nonnunquam auſum fuiſſe, ſerio deteſtatur. Nec minorem adverſus *Theophraſti* verba religionem in ipſis deinde, quas ſingulis paginis ſubjectas habemus, animadverſionibus declaravit, licet in Præfatione poſtremorum quinque Characterum γνησιότητα in dubium vocaſſet. Exempla curioſæ, quam præſtitit, diligentiæ reperimus *pag. 87 ſeq.* atque alibi paſſim. Adjunxit etiam accommodatas plerumque illuſtrationes & conjecturas, ingenioſas ſatis, neque omnino contemnendas. Ita *pag. 34* τὰ γυμνὰ αὐτοῦ per obſcœnioris nominis honeſtam ἀποσιώπησιν appellari, non ſine cauſa, animadvertit, quando magnus ille *Caſaubonus* de Hebraiſmo neſcio quid cogitarat. Ita *pag. 120* pro τόμον, τόκον repoſuit, non ἄκαιρον ratus, ab epulantibus fruſtum petere, maxime contra, uſuram, inter convivia atque lætitias, flagitare. Ita denique loco θύειν, præeuntibus aliis, legendum eſſe arbitratur ἐσθίειν. Neque minus circumſpecte, quibus ſuccedit, interpretes tractare videtur, illosque, ſuo plerumque jure uſus, reprehendit, e. g. *Stephanum pag. 160*, quando μάλιστα μὲν κ. τ. λ. quæ verba ſanum omnino ſenſum præferunt, in numero habuit mutilorum; *Sylburgium pag. 57*, quando, Græciſmum non agnoſcens, alterum verborum, χερῶν ἐπιδείκνυσθαι, abeſſe debere, putavit. *Caſaubonum* ſexcenties, e. g. in Præfatione ſtatim *Theophraſti*, ubi pro τῆς ἑλλάδος, τῆς πόλεως legerat. Et, ut verum fateamur, Noſter accommodatius haud ſemel conjicere videtur, quam ipſe ille *Caſaubonus*, e. g. *pag. 35 ſeq.* quem locum, paulo longiorem, ipſis Lectoribus conſulendum relinquemus, ut pateat indidem, Criticam, quam divam ibi nuncupavit, religioſius ab ipſo cultam. Caſtigavit præterea magnum Criticorum heroa, *Petrum Burmannum pag. 77 – 83*, verba ἐπιβαλὼν ἐρωτᾶν ad *Petronii Cap. 7* minus accurate interpretatum: *& caput involvens veſte rogare* &c. Qua vero ſurrepta occaſione, de

aliis etiam erroribus, huc non pertinentibus, acrius Virum Celeberrimum postulavit. At enim non carpendo solum valet Cl. *de Pauw*, sed laudes etiam atque assensionem declarare novit. Sic, cum *Sylburgio* faciens *pag. 148*, *σκίλλη* pro *σκύλλη* legendum esse ostendit, cum *Casaubono pag. 28* pro *καὶ ὁ ἀγρὸς εἰς γέωτα γεωργήσει* legit: *καὶ ὅτι ἀγρὸν κ. τ. λ.* quemadmodum etiam *pag. 10 seq. Duporti* de vocabulo *συσσιτῶν* explicationem laudat non leviter, atque confirmat. Ita vero, celebratis eruditissimi Viri virtutibus, vitiorum pariter, quæ sub initium appellavimus, indicem subjungere deberemus. At enim, ut taceamus, facile isthæc occurrere quærenti, res ejusmodi odiosas, postquam emendationis spes affulget, silentio involvisse licebit. Duo tantum, quæ dictionem spectant, elegantem satis, sed haud raro peculiarem, pace Cl. *de Pauw*, modeste atque amice monebimus. *Hercule* nimirum jurantis vocabulum & *fors* pro *fortassis* frequentissime reperimus, quorum alterum non satis pium, alterum in puriore Latinitate poeticum esse, veremur.

GLOSSARIUM GRÆCUM IN SACROS N. Fœderis Libros. Ex MSS. primus edidit, notisque illustravit, JOANNES ALBERTI, Ecclesiastes Harlemensis. Accedunt ejusdem Miscellanea critica in Glossas Nomicas, Suidam, Hesychium, & Index Autorum ex Photii Lexico inedito.

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmans, 1735, 8 maj. Alph. 1 plag. 3.

Jam ex multis annis in eo fuit S. Rev. Autor, ut *Hesychii* Lexicon Glossographorum, pro votis eruditorum, cum Notis literatissimorum virorum, ederet. Præter subsidia ex Anglia exspectata, notas *Jani Viti Pergeri* Cel. *J. A. Fabricium*, *νῦν ἐν ἁγίοις*, expertissimum ejusdem literaturæ Virum, rogaverat, quarum mentio fit *Biblioth. Græc. Vol. IV pag 553*, & specimen Cel. *Wolfius* in *Anecdot. Græc. Tomo IV* emisit. His facile impetra-

petratis ex humanitate inexpectata illius quidem duo Glossaria nondum edita accessere, quæ etiam *Biblioth. Græc. Vol. X pag. 52* & *62* indicata constat. In his cum Autor Rev. Glossas ad IV Evangelia, Actus Apostolorum, & Epistolas *Paulinas*, non sine delectatione offendisset, consilium subnatum est, Glossarium istud sacrum, quod jam olim in usum privatum conscripserat, his locupletandi augmentis. Consilio a Cl. *Fabricio* possessore probato, haud gravatim nova impetravit subsidia, a Cel. *Burmanno* quidem *Vossianos* Codices, ab *Hemsterhusio* vero varia ejusdem generis scripta, quæ nondum literatæ prostitisse reipublicæ, noverat. Quibus & aliis sedulo inter se collatis, hanc demum Glossarii formam ad interpretandum N. F. apta, eaque felicissima, contexuit opera. Glossæ satis sunt antiquæ, ab *Origene*, *Cyrillo*, aliisque Ecclesiæ priscæ doctoribus, profectæ, & ab aliis subinde adauctæ, quæ mentem veterum non solum proponant, sed & lectiones hodie ab illis forsan diversas uberrime sistant. Scinditur Opus literatissimum in *duas* præcipue *Sectiones*, quarum prior Glossas nomicas sive veteres verborum juris, quæ passim in Basilicis reperiuntur, illustrare conatur; altera vero, ut ad modicum efficeretur volumen, Miscellanea critica complectitur, quam ob causam animadversiones in *Suidæ* Lexicon tum ex ingenio, tum ex *Photii* Lexico inedito, & in Bibliotheca Oxoniensi asservato, succedunt. Denique ad exemplum *Pricæi* accuratissimum Indicem addidit Autorum, qui usquam in *Photii* Lexico citantur; sub finem vero tabellam abbreviationum adjecit, quibus ad lectionem antiquæ scriptionis inprimis junioribus quam maxime opus est. Non dubium est, quin justi rerum æstimatores tantum gratiæ sint habituri operæ Rev. Autoris, quantum emolumenti studiis in eruenda integritate sensus accessisse apparet. Maxima ubique elucet cura in inspiciendis MStis, quæ quidem unquam fando superesse quis audierit; maxima in conferendo eorundem qua consensu, qua dissensione; maxima in emendandis, quæ vel dubia, vel minus apta, vel ob antiquitatem temporum ferme obliterata, obvenerunt. Quantum lu-

minis vocum singularum explicationi hac opera sit affusum, ipse quemvis utentem usus edocturus est. Præter ordinem accuratissime digestum præsertim cognitio & mentio rarissimorum MStorum Opus hoc commendat. Nec sibi ipsi satis videtur fecisse Autor versatissimus, cum aliorum fragmentorum sibi non copiam potuisse fieri conqueratur, quæ quidem, ut ipse subodoratur, vel quoad nomina ob aliis citantibus perperam confusa fuerint, vel ob arctiorem custodiam altius adhuc latitent in pulvere Bibliothecarum. Certe pro ardore desiderii nihil gratius sibi obtingere posse profitetur, quam si de Codice *Hesychii* MSto, a *Thoma Brunone* laudato, item de ejusdem editione Basileensi, a *Voetio* & *Morhofio* forsan leviuscule memorata, certiora quis attulerit.

Eigentliche Vorstellung der vortrefflichen und kostbaren Käyserlichen Bibliotheck, &c.

h. e.

DILUCIDA REPRÆSENTATIO BIBLIOthecæ Cæsareæ Viennensis.

Viennæ, sumtibus Autorum, apud Jo. Petr. de Ghelen, 1737, fol. expanso.

Plag. 6, Tab. æn. 13.

Nulla est ætas, quæ Augustissimos Austriacæ domus *Augustos*, illos sago invictos, verendos toga, Heroas, Musagetas non exhibeat egregios, quorum auspiciis per omnem Germaniam lætissime floreant literarum studia, & laborum suorum exquisitis præmiis homines eruditi fruantur. Nec ullum unquam Viennæ tam infaustum sidus affulsit, ut aut literas contemtas, aut neglectos Musarum alumnos, aut abjectos libros, aut denique emotas sacrariis suis doctrinarum elegantias, legamus. Non certe obscurum est, quantis semper, quaqua patet orbis eruditus, laudibus augusta effulserit libraria, quantos nobis ostenderit *Sambucos*, *Tengnagelios*, *Lambecios*, *Nesselios*, *Gentilottos*, *Garellios*, quanta etiam hinc rei literariæ, suas hic divitias, tan-

tanquam in ſplendidiſſimo quodam ſacrario, reconditas habenti, decora acceſſerint. Sint, qui *Attalos* ſuos laudent, qui *Ptolemæos* celebrent, qui *Ludovicos* extollant, Germaniæ noſtræ quis lætandi cauſam manibus extorqueat? cum, æterna otia præbente Auguſtiſſimo *Carolo*, quæ incerto antea loco vagabantur, nec ſatis ſe a ſordido ſqualore defendebant, ſapientiæ præſidia, collecta nunc, habituque auguſtiore induta, quin ſplendidis locata ſedibus, ac æterna pace munita, amplectatur. Nec lituorum clangor, aut bellorum tumultus, aut ſumtuum magnitudo, aut curarum, quas civium ſalus depoſcit, amplitudo, avocare auguſtum pectus a placidiſſimis conſiliis, nova, venuſta, magnifica, Muſis domicilia parandi, potuerunt. A. 1723, moderante Illuſtriſſimo Comite *Gundakero ab Althan*, conſtruere hoc cœpit ædificium *Joſeph Emanuel L. B. de Fiſcher*, idque A. 1735 pulcherrima coronide ornavit. Jam vero etiam, ne privatis concluſa parietibus Imperialis magnificentia deliteſceret, prudenter curatum eſt. Latino enim & Germanico ſermone tredecim illæ Tabulæ illuſtrantur, quæ vel ſtructuræ partes omnes, vel picturas admirandas, exhibent. Illas, numero octo, dimenſus eſt, delineavit, ac æri incidit, *Salomon Kleiner*, Archiepiſcopalis Moguntinus Mathematicus; has, quinque numero, ſimili arte expreſſit *Jeremias Jacobus Sedelmeyer*. Prima, faciem Bibliothecæ primariam, id eſt, ſeptentrionalem; ſecunda eam, quam meridianus ſol colluſtrat; tertia ichnographiam contignationis primæ; quarta ſuperiorem ac primariam; quinta ſupremam oſtendit, in qua umbulacra habentur & fores, quibus ad conclavia Bibliothecarii itur; ſexta orthographiam internam ſecundum longitudinem, & cum Imperatoris, tum veterum Græciæ ac Latii ſapientum, imagines, *Senecæ* puta, *Horatii*, *Antiſthenis*, *Euclidis*, *Socratis* *Pythagoræ*, *Hippocratis*, *Platonis*, *Architæ*, *Ciceronis*, *Homeri*, & *Ariſtippi*, ſpectandas affert; ſeptima ſectionem ſecundum latitudinem per medium tholi; octava vero ſectionem ſecundum latitudinem extra tholum, habet. In his deprehendimus, quæ ad mirandam tan-

tæ molis ſtructuram pertinent. Tranſitur poſtea ad picturas egregias, in quibus excogitandis jam ante jacta ædificii fundamenta *Conradus Adolphus de Albrecht*, S. R. I. Eques, & Conſiliarius Cæſareus, vires ſuas exercuit. In Tabula enim nona magnifica quædam pompa, in ſupremæ tholi regionis tectorio picta, comparet, qua virtutes Imperatoris, tanto nomine digniſſimæ, bellorum pacisque adminiſtrandæ peritia, fortitudo, prudentia, liberalitas, & generoſum pectus, eleganter exprimuntur, gaudiumque publicum annuntiatur, quo Germania, quo Vienna, quo quatuor ſic dictæ Facultates, quo Hiſtoria, quo Minerva, quo Mercurius, exſultant; uſus tandem commonſtratur, quem tam ſplendida & inſtructa ſuppeditant armaria, ignorantiam omnem, barbariem, ac ſuperſtitionem, profligando. Ingenioſum Architectonices opus, quod pompam hanc cingit, & reliquas Tabulas complet, dum literarum quodcunque genus in ſcenam producit, ſive ex Martis ſtudiis, ſive forenſibus negotiis, ſive eruditis receſſibus, ſive metiendis Solis Lunæque viis, ſive compeſcendis marium fluctibus, inſerviant, commune ſcientiarum concilium adumbrat, ut ad celeberrimi illius Athenæi ſplendorem proxime accedere videatur. Erit forte tempus, cum *altera Parte* priſca æque illa, ac recens ex Illyrico advecta, vetuſtatis monumenta, cum aliis ſpectatu dignis, æri inciſa conſpiciamus. Felix nimirum *Carolus*, qui non literas tantum vindicare a contemtu, & optimis artibus illuſtriſſimum ſplendorem conciliare, ſapienter novit, ſed eruditos etiam, recluſo ſapientiæ ærario, ad proferendas ex ſuis tenebris Græciæ Latiique opes invitat, allicit, cohortatur.

FRIDERICI HOFFMANNI, MEDICINÆ rationalis ſyſtematicæ Tomi quarti, quo ſpecialis morborum Pathologia, & huic ſuperſtructa ſolida Therapia, cum medendi methodo, cautelis clinicis, & morborum

rum enarrationibus, adjuncta epicrisi, exhibentur, Pars quarta, doctrinam morborum ex viscerum labe, partiumque solidarum atonia, perspicua & demonstrativa methodo, tradens.

Halæ, in officina Rengeriana, 1737, 4.
Alph. 3 plag. 3.

Illustris Autor, nulla adhuc ætatis vacatione usus, nec senii gravitate a laboribus absterritus, optime de humano genere, cum difficiliorum morborum curationibus, tum doctrina medica, & viva voce, & literarum monumentis tradenda, etiam nunc meretur. Cumque inter libros ipsius ætatem laturos, quos exteri quoque amant, & enixe cupiunt, certatimque in suis provinciis recudunt, imo quos Genevenses nunc in unum corpus redactos conjunctim edere moliuntur, Medicinæ systematicæ Opus primas jure suo teneat, nobis quidem nunc eo magis lætandum est, postquam novus hic *Tomus* in publicam lucem prodiit, qui impatientius quodammodo exspectatus fuit, sed nunc argumenti sui docta, accurataque, & ad rectum rationis pariter atque experientiæ usum exacta, tractatione, rerumque ad cognoscendos & curandos morbos comparatarum copia, boni ordinis delectu, dictionis perspicuitate, & nativa tersaque facilitate, omnibusque, ut summatim cuncta complectamur, iis decoribus & ornamentis, quibus priores *Tomi* excelluerunt, spem & desiderium omnium cumulate nunc esse expleturus videtur. Morbos chronicos, ad quos pertractandos Cel. Autor nunc progreditur, duplicis esse generis observat, quorum alii a solidorum motu nimis adaucto nascuntur, quorsum morbi spastico-convulsivi pertinent, alii contra a solidarum partium motricium imbecillitate, tonoque ac robore dejecto, & ab hinc pendente languidiori fluidorum motu, oriuntur. Cumque de illis in præcedenti *Tomo* copiose egerit, horum indolem & effectus medelamque in præsenti exponere aggreditur. Hi

&

& ipsi vero in duo denuo genera commode dividuntur, quorum alii, qui mentem ac sensus afficere solent, in suprema corporis parte sedem suam ac domicilium constituunt, alii ex viscerum medii & infimi ventris, quibus humores vitales cum elaborantur, tum repurgantur, atonia ortum trahunt. Illis itaque *priora* hujus *Voluminis Capita*, his *posteriora*, destinavit. Ut vero in limine statim pateat, quam viam in iis explanandis fuerit ingressus, quamque medendi rationem Medicis præcipue commendandam putet, multa de his morbis generatim præclare in Præfatione disputat. Ubi quidem observat, horum morborum sanationem summam medentis prudentiam, & accuratiorem idoneorum summeque efficacium remediorum cognitionem, requirere, & in nullo morborum genere artis medicæ vim magis apparere, quam in horum curatione, quoniam sub iis parum potens natura haud facile vitium, quod altas egit radices, suis viribus excutiat: e contrario autem artem in acutis parum valere, in quorum scilicet medela sibi plus natura vindicet, ibique Medicus sæpenumero spectatorem tantum agat. Id quod egregie ex natura corporis humani, quo nomine autem non sapiens quidam in corpore animali spiritus, qui pro domicilii sui salute excubias agat, functionesque naturales gubernet, sed jugis ac perennis sanguinis & humorum per compagem corporis mere vasculosam in orbem motus, a cordis & vasorum omnis generis systaltica vi pendens, intelligitur, commode illustratur, planumque redditur. Ut vero peritia Medici, ita & ignorantia ejus atque imperitia, hisce in morbis se prodere solet, paucosque horum morborum indolem, causas, sedes, efficacemque medendi rationem, perspectas habere, Noster contendit. Exempli loco eos notat, qui nostra ætate ex plethora atque sanguinis excretionibus deficientibus & suppressis omnem passionum chronicarum originem derivant, hincque omnis fere generis chronicos morbos per venæsectionem in pede crebrius instituendam, & per medicamenta, quæ fluxum sanguinis præcipue in viris hæmorrhoidalem

lem proliciunt, & avertere & persanare summo studio elaborant, effectu tamen minus auspicato. Quæ vero exinde redundare solent, damna Autor pluribus persequitur. Multi etiam propterea in chronicis morbis rectam medendi rationem non tenent, quod remediis fortioribus, chemico igne excoctis, & ex minerali regno petitis, utantur. Illustris vero Autor, qui per sex & quinquaginta annos artem exercuit, & præ multis aliis in vincendis chronicis malis felix fuit, candide testatur, maximi in iis usus esse exquisitam victus rationem, moderatum vitæ regimen, & remedia leniora, temperata, diætetica, & paregorica, e. g. convenientem aeris & locorum mutationem, corporis variam exercitationem, aquæ puræ & aquarum mineralium, tam frigidarum, quam thermalium, lactis, ejusque seri dulcis & aciduli, ptisanæ, infusorum, specierumque convenientium ex aqua, potum, interne remedia valde temperata, corrigentia, & temperantia, item balsamica, nervina, balnea, insessus, pedilavia, fomenta, & demum quoque abstinentiam & tenuem victum, si modo patientia, ægrotantiumque obedientia, & sufficiens ad medendum tempus, accesserint. Inter causas denique difficilioris chronicorum morborum sanationis refertur crebra medicamentorum mutatio & copia, quibus & Medici & ægrotantes, quorum multi, inprimis malo hypochondriaco affecti, quadam pharmacomania interdum laborare videntur, indulgent. Nunc ad Opus ipsum convertimus oculos, eadem via, quam in recensendis superioribus *Tomis* iniimus, incessuri, ut scilicet brevissime exponamus, qua in re Celeb. Autor veram genuinamque cujuslibet morbi rationem pariter atque præcipua curationis momenta collocet. Orditur autem ille a nervorum resolutionibus, eoque nomine morbos apoplecticos, hemiplecticos, & paralyticos, complectitur, ex quibus de existentia hemiplexiæ, sive paralysis universalis, quæ totum corpus tenet, dubitat, nisi forsan ea sub ipsa apoplexia acciderit. Nec credit, esse paraplexiam, qua totum corpus, salvo manente capite, resolveretur; saltem sibi nunquam ejusmodi morbum obvenisse refert. Utut vero inter se discrepent Cap. I.

 hæc

hæc morborum genera, eorum tamen ratio proxima eadem eſt, & in plus minusve intercepto fluidi nervei influxu conſiſtit. Influxum vero eum intercipere ſolent, non obſtructio quædam nervorum, ſed vel ſolutio continui nervorum, vel compreſſio eorundem, aut principii illorum, a quacunque re, ipſis præter naturam incumbente, facta. Quod vero unica hæc cauſa diverſos pariat effectus, ejus rei fundamentum unice in loci, qui fovet mali cauſam, diverſitate quærendum eſſe, obſervationes Anatomicæ teſtantur Unde facile colligitur, in omni apoplexia cauſam, nervos comprimentem, intra cerebrum, in paralyſi vero intra ſpinalem medullam, & ſpeciatim in hemiplexia circa alterutrum medullæ principium, conſiſtere. Medendi rationes eo redeunt, ut cauſæ, quæ tam proxime, quam remotius, ad intercipiendum fluidi nervei in nervos influxum quidquam tribuerunt, removeantur, & deinde pars affecta, totumque nervorum genus, ita roborentur, ut priſtinum ac naturalem recuperet tonum.

Cap. II. In diſtinguendis affectibus ſoporoſis, qui confuſiſſime alias tractantur, Ill. Autor quam maxime veſtigiis *Bartholomæi de Moir* inſtitit, cujus doctrinam cum natura maxime convenire vidit. Quapropter & ipſius nomina retinet. Coma igitur vigil denotat maximam in ſomnum propenſionem, ſine ſomno tamen omni, vel ſaltem non continuo, ſed interrupto, ita, ut, poſtquam vix obdormiverunt, mox parum levati expergiſcantur, ab omni adhuc immunes delirio. Symptomatice ſemper obtingit. Coma ſomnolentum eſt, quando ægroti languentes perpetua ſomnolentia vexantur, &, poſtquam brevi vigilarunt, illico rurſus ſomnolenti obdormiſcunt. Idiopathice ſemper evenit. Carus denotat ſoporem profundiſſimum, ex quo ægrotantes nec per clamores, nec agitationes, nec acus irritationes, ſimilesque cauſas, excitantur, idque nunc idiopathicum, nunc ſymptomaticum, malum eſſe ſolet. Lethargus denotat gravem aſſiduumque ſoporem, quo ægroti perpetuo fere, ſine vigiliarum intervallis, minimum vero non tam longis, ut in comate ſomnolento fit, obruuntur, & a caro diſtinguitur febre ſym-

ſymptomatice ſuperveniente mitiori, magisque pulſuum frequentia, & ſpiratione rara febrilique, cognoſcenda. Carus vero ut ſymptoma febribus accedere, vel easdem conſequi, obſervatur, & ſentiendi quoque impotentiam habet comitem. Cauſam proximam horum affectuum ſoporoſorum in valde languido & imminuto fluidi nervei ex cortice cerebri in hujus medullam, & inde in nervos ſenſui motuique dicatos, influxu collocat. Cauſæ, hunc influxum præter naturam impedientes, tres potiſſimum eſſe videntur, nimirum vel nimia ipſius fluidi penuria, vel tubulorum, illud vehentium, laxitas, vel denique compreſſio cerebri corticalis, eaque vel per ſanguinem, tardius per cerebrum, & ejus involucra, procedentem, vel plane ſtagnantem, vel aliam peregrinam, dicto cortici incumbentem, materiam, effecta. Unde medulla, undique cortici annexa, comprimitur ſimul, nec ideo ſatis fluidi recipere valet. In comate vigili cauſa mixta eſſe videtur, qua in uno cerebri loco fluidi nervei influxus languidior, in altero auctior, eſt. In comate ſomnolento tranſitus fluidi nervei ex cortice in medullam non in uno loco, ſed per totum impeditur cerebrum, idque vel ex nimia relaxatione vaſorum ſanguiferorum, vel ſanguinis, præſertim ſpiſſi ac impuri, difficiliori per caput circuitu. Carus nunc fit propter nimiam ſanguinis abundantiam & ebullitionem, qua cerebri, & ejus membranarum, vaſa adeo expanduntur, ut comprimant mollem cerebri ſubſtantiam, & nervoſi ſucci introitum in medullam per totum impediant caput; nunc fit ex vaſorum debilitate, nervei ſucci penuria, cerebrique compreſſione, a ſanguine, difficilius per illud progrediente, profecta. Lethargus easdem, quas coma ſomnolentum, cauſas habet, ſed graviores tantum, ac profundius corticalem cerebri ſubſtantiam penetrantes. In comate enim perinde ac caro nulla adhuc exiſtit ſanguinis vel ſeri extra vaſa ſua profuſio, ut demum tanquam effectus prodeat, & in iisdem ſpeciebus adſit potius circulus ſanguinis per vaſa meningum & cerebri corticalis valde debilitata difficilis, ejusdemque plus minus ſeroſi ſtagnatio. Lethargus vero

caufam habet vel feri tenuioris per arteriarum poros factam fecessionem, vel plane effufionem. Medicus, morbum curaturus, id agat, ut ægrotum ex fopore excitet; deinde ut fanguinis & humorum difficilem per caput circuitum, ftagnationem, & effufionem, removeat; denique ut robur membranarum vaforumque cerebri deperditum

Cap. III. inftauret. Vertiginis ratio in fluidi tenuiffimi influxu in nervos opticos per eorum compreffionem imminuto confiftit. Nervi autem comprimuntur a partibus vicinis, præter naturam fe habentibus, plexu fcilicet choroideo, arteria carotide, & ventriculo cerebri tertio, quod fectiones teftantur. Huic itaque imminuto fluxui fluidi nervei in nervos opticos præter varias vifus læfiones debetur in vertigine fenfus circumgyrationis. Sed, quomodo ideæ in mente excitentur, & quantum influentis fluidi ad fingulam excitandam requiratur, determinatu & difficillimum & inutile effe, monet Nofter. Quoniam vero circumgyrationis fenfum comitatur idea cafus, eaque cum metu conjuncta, a metus autem idea fit pedum vacillatio, quæ confufo fluidi nervei in mufculos, fitum erectum efficientes, influxu abfolvitur, fatis conftat, quare fenfum circumgyrationis fubfequatur pedum vacillatio. In curando morbo Medicus eo refpiciat, ut fanguinis & humorum in capite ftagnationem difcutiat, eorumque raptum ad inferiora derivet, & deinceps, ut fyftema partium nervofarum, a tono fuo dejectarum, roboret, caufarumque, quæ majorem fanguinis ad caput compellunt quantitatem, rationem habeat. Quando cum vertigine confociantur affectus arthritici, Autor ufum duorum remediorum efficaciffimorum & veluti fpecificorum perquam extollit. Guttam

Cap. IV. ferenam efficit paralyfis nervi optici, &, quod inde confequitur, tunicæ retinæ, uveæ, ac proceffuum ciliarium. Unde patet, partes has nec tenfas fatis effe, nec recipere poffe radios luminofos, fed pupillam ampliatam, atque ob relaxatos proceffus ciliares dilatatam, apparere. In curatione humor ftagnans, & nervos comprimens, difcutiatur, partesque affectæ roborentur. In gutta ferena, inveterata difcuffionis cau-

fa,

ſa, Autor aliquam laudem ſulphuri antimonii, ſua methodo præparato, tribuendam eſſe profitetur, formulamque pulveris exhibet. Quando excretoria glandularum ocularium, ex nerveis & fibroſis tunicis conflata organa a ſero ſubtili acri, vel etiam ab acribus effluviis, arroduntur, nerveæ glandularum membranulæ criſpari, & ſpaſmodice contrahi, ſolent, ut ſanguinis per arteriolas advecti refluxus ob venas conſtrictas minus libere fieri queat, ſed tubuli glanduloſi a ſecedente ſub mora hac ſero plus juſto amplientur, & hac ratione ingens oriatur ſeri ſalſi lachrymalis effuſio, viſusque adeo imbecillitas ex lippitudine. Suffuſio, quam vulgo pro cataracta incipiente & ſpuria habent, quando ſcilicet de variis variarum rerum ſimulacris, de nigris punctis, muſcis, oculis obverſantibus, de nebula, aranearum telis, &c. conqueruntur, inde fit, quando aqueus pellucidus humor ab admixtis corpuſculis & moleculis opacis, propter nimis dilatata vaſculorum adducentium oſcula, pelluciditatem ex parte amittit, atque variæ & obſcuræ, præſertim in chartis atque parietibus candidis, viſui imagines ſiſtuntur, adeo, ut pro majori hujus humoris opacitate major etiam obtingat objectorum obſcuratio. In lippitudine ſerum ſalſum edulcoretur, ab oculo ad alia loca derivetur, & glandularum nimis remiſſarum robur reſtituatur. In ſuffuſione humorum impetus a capite & oculis ad alia loca revocetur, & humores craſſi impuri per convenientia remedia educantur, ut hac ratione per abducentia vaſcula, quæ *Hovius* nervoſo-lymphatica vocat, impuri ſucci abſorbeantur, & per adducentia puri advehantur, atque ſic priſtina humoribus claritas reddatur. Varia quoque auditus vitia ex atonia oriuntur, tinnitus ſcilicet & ſuſurrus aurium, auditus gravitas, & ſurditas. Ea vero nunc malæ conſtitutioni partium, nunc ſpaſmo & ſiccitati auris, nunc laxitati partium ad audiendum neceſſariarum, debentur, de qua poſteriori cauſa hic potiſſimum agitur. Et ſigillatim quidem tinnitus excitatur, ſi cauſæ intra aurem internam adſint, quæ nervos acuſticos in tremulum ac undulatorium, externis campanarum, aut alius corporis ſonori, ſonis ſimilem,

Cap. V.

VI.

motum abripere valent. Tales in malo recentiori, corporibusque ſanguine plenis, non aliæ ſunt, quam rapidiores ac fortiores arteriolarum, membranas aurium perreptantium, nervosque earum comitantium, pulſationes, quæ majorem ſanguinis ad caput auresque congeſtionem, & in iis factam ſtagnationem, ſubſequuntur. Hæ vero ſtagnationes, ſi diutius perſiſtunt, diſtendunt vaſa, relaxant membranas, ſubſiſtensque ſanguis naturali majorem tenuioris ſeri quantitatem per poros vaſorum dimittit, quod intra meatus internos in vapores reſolvitur, & ſic, accedente præſertim ductus *Euſtachiani* obſtructione, indeque impedito tam aeris, quam vaporum, exitu, auget tumultus, murmura, ac tonitrua aurium. Eadem quoque ratione ſtagnatio ſanguinis, pariter ac copioſa ſeri tenuioris exhalatio, comprimendo nervos, ſufficientem liquidi tenuiſſimi influxum remoratur, inducitque membranarum laxitatem. Unde ſoni externi debilius percipiuntur, & generatur auditus difficultas, quæ, compreſſis penitus nervis, ceſſanteque omni fluidi nervei influxu, in perfectam omnino mutatur ſurditatem. Ut adeo tria illa auditus vitia eandem originem, easdemque cauſas, licet gradu diverſas, agnoſcant, quæ generatim in humorum ad aures decubitu, & inde pendente relaxatione partium dictarum, conſiſtit. In curatione rationali impetus ruentium ad caput humorum derivetur, ſtagnantes in aure ſucci diſcutiantur, & obſtructiones reſerentur, influxusque fluidi nervei ſufficiens

Cap. VII. reſtituatur, adeoque robur membranarum inſtauretur. Aphoniæ ſedem in quinto nervorum pari quærendam, ejusque cauſam proximam in plus minusve imminuto fluidi nervei in illum nervum influxu poſitam eſſe, exiſtimat. Quapropter in morbi medicatione cauſæ, influxum fluidi nervei in nervos linguales, hos comprimendo remorantes, tollantur,

VIII. roburque affectarum partium confirmetur. Delirium melancholicum atque maniacum, ab aliis quam maxime disjuncta, hic conſociantur, quoniam ex una eademque origine & cauſa continente, videlicet nimio ſanguinis ad imbecille cerebrum appulſu, ſuboriuntur, ac non niſi gradu, & invaſionis

tem-

tempore, variant. Causa itaque continens melancholiæ in sanguinis crassioris nimio ad imbecille & flaccescens cerebrum impulsu, stagnatione, ac difficillimo progressu; furoris autem maniaci origo & fundamentum in sanguinis crassioris ac melancholici vehementiori & impetuosa per cerebri vascula & fibrillas motu, collocatur. Ad felicem igitur morborum sanationem pertinet, ut sanguis, in cerebro nimia copia congestus, ad interiora derivetur, æquabilisque ac liber per caput & universum corpus progressus procuretur; causæ materiales & occasionales, quæ naturalem sanguinis temperiem pervertunt, ejusque metastasin efficiunt, removeantur, & consuetæ naturales & salutares excretiones in ordinem redigantur. Vasis denique cerebri ac membranis vis naturalis systaltica, quæ nimis dejecta est, restituatur. Ubi de virium Cap. IX.
lapsu, & animi deliquiis, agitur, syncope pariter atque lipothymia in considerationem venit. Illius ratio ab impedito vel minus sufficienti liquidi spirituosi per nervos, & sanguinis probe temperati per vasa coronaria, in musculosam cordis substantiam influxu arcessitur. Lipothymia vero tantum gradu diversa est, atque fit a non prorsus quidem sublato, sed tantum nimis debilitato, cordis motu. In utriusque mali paroxysmo motus cordis per idonea & efficacissima remedia citissime restituatur. Extra paroxysmum causæ tollantur, ne redeat malum. Subitam mor- X.
tem morbosque varios insanabiles efficiunt polypi, vitali sanguinis in suis vasis circuitu intercepto. Materiam horum polyporum suggerunt particulæ chyli & lymphæ graviores viscidioresque & fixiores, utpote quæ motu facile coeunt, & in unam coagulantur massam, quæ fibroso-membranaceum corpus constituit. Polypus itaque est concretum solidum fibrosum, ex viscidiori lymphæ parte, ope fortioris motus seu impulsus, coagmentatum. Ut vero per diætam idoneamque medicationem corpus a polypo immune conservare licet; ita eundem jam præsentem tollere difficilius est. In polypo tamen incipiente & pituitoso non omnis spes est abjicienda, cui salia alcalina & duplicata, diæta tenuis, potus suffi-

ſufficiens, & aquæ Carolinæ, aliquam opem ferunt. Quando autem fibroſa jam fuit & durior ſubſtantia, nimia tantum ſanguinis abundantia impediatur, & fluiditas conſervetur.

Cap. XI. Phthiſis debetur inſigni pulmonum læſioni, per ſcirrhoſam vel ulceroſam corruptionem aut abſceſſum inductæ. Medicatio in curativam, mitigativam, & præſervativam, dividitur. In curativa acrimonia temperetur & mitigetur, viſcidi & craſſi humores detergantur, ulcus repurgetur, affluxus humorum a partibus affectis divertatur, & poſt hæc partes ſauciatæ conſolidentur & conglutinentur, viresque deperditæ reparentur. Quibus ex cauſis reliquis remediis anteferri meretur lac, ſive lac ipſum ſolum, ſive ſerum lactis, ſive lac aliis medicamentis, aquis ſalubribus, infuſis, & decoctis pectoralibus laxantibus, anodynis, & diureticis, admixtum. Imo cum lacte & balſami pectorales commode aſſumuntur. In mitigativa methodo acrimonia humorum temperetur, acris ſalſaque eorum dyſcraſia repurgetur, ulterior pulmonum exulceratio avertatur, & tonus pulmonum conſervetur. In præſervatoria cauſæ tempeſtive avertantur, vel, ſi jam adſit quædam in pulmonibus læſio, ea convenienti remediorum uſu vel plane tollatur, vel, ne ulterius progrediatur, impediatur. In enarrationibus morborum notabile præ ceteris eſt exemplum tuſſis phthiſicæ, cum corporis tabe conjunctæ, & irritis remediis aliis ope fragorum hortenſium, magna copia comeſtorum, feliciter ſanatæ. Icteri cauſam proximam conſtituit

XII. regurgitatio bilis ad vaſa lymphatica, ipſumque ſanguinem, ab impedito vel prorſus intercepto ejus ad inteſtina itinere, ſive a ſpaſmis, ſive obſtructione ductuum hepaticorum & veſiculæ felleæ, proficiſcatur. In ictero, qui a vehementiori ductuum biliariorum per hepar diſperſorum ſtrictura oritur, tenſæ & conſtrictæ partes relaxentur, adeoque bilis tam ſecretio ſuſpenſa, quam ad inteſtina deſcenſus impeditus, naturali reſtituatur libertati, & demum bilis acrimonia, quæ ſpaſmorum genitrix eſt, mitigetur ac contemperetur. In contumaciori autem vaſorum biliariorum obſtructione, ea bilio-

biliosa viscida & terrestri cretacea amurca invicem concreta proveniens, dissolvatur, atque hac ratione liberior bilis ad duodenum cursus restituatur, vasa quoque bilis secretoria, a sanguine tenaci viscido infarcta, convenientibus remediis reserentur, ut succum biliosum ad ductus biliarios libere transmittant, denique valde retardatus & impeditus sanguinis circuitus, qui obstructionum concretionumque constituit fundamentum, per totam vasculosam hepatis substantiam naturalis reddatur & æquabilis. Cachexiæ & chloroseos causa proxima residet in sanguinis impuri & humorum viscidorum minusque spirituosorum abundantia, ob vehementer labefactatum tonum, vigorem, & robur partium solidarum, maximeque viscerum, quibus chylus præparatur, & sanguis conficitur ac repurgatur, in corpore collecta. Ad persananda hæc mala sanguis & humores crudi, spissi, & impuri, corrigantur, & per congrua emunctoria e corpore ejiciantur; horum vero loco subtilis chyli sanguinis & humorum procuretur generatio; deinde, reseratis viscerum, minimorumque vasorum, oppilationibus, liber & æquabilis sanguinis per omnes corporis tam externas, quam internas, partes restituatur circuitus, & denique nimis dejectus ventriculi & intestinorum viscerumque tonus roboretur. Ceterum singularis est observatio de peculiari urinæ vaccarum in cachexia virtute. Hydropis vera ratio continetur in circulari sanguinis per venas motu & progressu valde difficili, tardo, & variis ex causis præpedito, quo fit, ut serum a sanguine separetur, atque intra cavitatum interstitia subsistat. Si medicationi locus adhuc superest, primo aqua, intra cutim & cavitates collecta, evacuetur, & deinde causa, ob quam accumulata fuit, & quotidie adhuc accumulatur, tollatur. Flatulentiæ ventriculi & intestinorum causam materialem suppeditant cibi consistentiæ tenacis, mucidæ, & ad gignendos flatus admodum proclivis. Proxima autem causa debetur insigni motus peristaltici debilitati, ab impedito fluidi nervei & sanguinis arteriosi in intestina influxu exortæ. Tympanifici vero affectus causa in spastica tunicarum intestinalium strictura collo-

[Margin notes: Cap. XIII (beside "reddatur & æquabilis. Cachexiæ…"); XIV. (beside "Hydropis vera ratio…"); XV. (beside "tidie adhuc accumulatur…")]

catur, utpote qua diutius inhærente, pori & meatus inteſtinorum, per quos vapores transſpirant, anguſtantur & obſtruuntur, ut poſtea intus retenti, vi ſua elaſtica propter admixtum aerem expandente, tam violentam inteſtinorum diſtenſionem efficiant. His itaque flatibus in curatione exitus paretur, materia tenax viſcida attenuetur, & per alvum leniter educatur, inteſtinorumque robur confirmetur. Cachexia uterina, ſeu fluor albus, oritur ob infarctum & ſtagnationem ſanguinis & ſeri in matrice, ob tonum motumque ejus facile læſum & dejectum, tardumque admodum per circumflexa & in ſerpentinos ductus porrecta vaſa ſanguinis & humorum curſum, lentiorem etiam ſanguinis per venulas valvulis deſtitutas regreſſum. A ſtagnatione tandem ipſe lymphaticus & ſeroſus humor ſegniori progreſſu lenteſcens, exitum ſibi parat, ac per orificia, paſſim in utero & vagina obvia, profunditur. Quare ante omnia prima regio & univerſum corpus a nimia ſeri colluvie per congruas evacuationes liberetur; deinde tonus ac robur uteri deperditum reſtituatur, quo facilior & expeditior ſanguinis & humorum per ejus vaſa fiat progreſſus, & inde moleſtæ pravorum humorum ſtagnationes ac ſeceſſiones, pororumque & glandularum relaxationes, tollantur, & ulteriores avertantur. Poſthæc ventriculi habeatur ratio, ut boni ſucci ad ſanguinem ferantur, qui vitioſos corrigant, & bonos corporique ſalutares amiſſos reſtituant. Denique in malo graviori, & ſimul cachectico, tota ſanguinis & humorum maſſa in meliorem reducatur temperiem, excretiones naturales adjuventur, & viſceribus priſtinum ſuum robur ac naturalis reddatur functio. Gonorrhœæ malignæ cauſa eſt miaſma, ex impuro coitu cum fœmina, vel gonorrhœa maligna, vel lue venerea, infecta, ad viri genitalia, & deinceps per poros ad lympham, vel liquorem ſeminalem, translatum, cujus craſin mixtionemque naturalem plane deſtruit & diſſolvit, partim cauſticam & erodentem, partim putredinoſam, indolem inducendo, unde dolores, ardores, tumores, inflammationes, & exulcerationes genitalium, ſuam habent originem. Gonorrhœa benigna autem fit ex ſeminis nunc abundantia,

Cap. XVI. (margin, beside "tur, inteſtinorumque robur…")

XVII. (margin, beside "turalis reddatur functio…")

nunc

nunc acrimonia, & a labefactato organorum genitalium tono. In hac igitur benigna idoneis remediis laxantibus copia impuri seri, si in corpore abundat, evacuetur, & a parte affecta derivetur, partesque nimis relaxatæ & flaccidæ accommodata roborante medicina confirmentur. In maligna susceptum in genitalia virus venereum celerrime e corpore expellatur; deinde, si a virium lenta materia relaxatæ jamjam, erosæ, vel ulceratæ fuerint, semini tam conservando, quam excernendo, dicatæ partes mundentur, consolidentur, & roborentur, adeoque uberiorum humorum affluxus antevertatur. Satis nunc de libri præstantissimi summa dixisse videmur, ex qua prudens Lector facile intelliget, quorundam adhuc restare morborum expositionem. Ut itaque *octavus*, quem Illustris Autor pollicetur, *Tomus* eo maturius in lucem exeat, atque adeo Opus hoc integrum, nec ulla sui parte mutilum, prorsus ad umbilicum deducatur, iterum conceptis verbis Celeberrimo Viro vitam longam, senectutem vegetam & tranquillam, viresque semper sibi constantes, publice comprecamur.

OBSERVATIONES QUÆDAM MEDICO-practicæ & physiologicæ, inter quas aliquanto fusius agitur de Asthmate & Hydrophobia; quarum etiam decem ultimis subjiciuntur administrationes totidem corporum, morbis, quorum tituli Observationibus iis præfiguntur, affectorum, Anatomicæ, cum particulari & non ante observata de cordis in embryone vasorum structura, & sanguinis juxta eam circuitu, Dissertatione, Autore HUM. RIDLEY, Med. Doct. Coll. Reg. Med. Lond. Soc.

Lugduni Batavorum, apud Gysbertum Langerak & Theodorum Lucht, 1738, 8.

Plag. $14\frac{1}{2}$, cum Tab. æn. 1.

Etsi selectissimæ hæ Observationes, varii ad Pathologiam & Therapiam spectantis argumenti, singulæ mererentur exponi,

poni, quo ipſo Lector habiturus eſſet rerum uberrimarum ex materia medica per Britannias uſitata farraginem, malumus tamen Obſervationis, quæ tertia & trigeſima eſt, contenta integra ob materiæ dignitatem Annalibus noſtris inſerere, quam tantillum decerpere ex omnibus. Cor Embryonis cum vaſis & annexis pulmonibus ad examen revocatum fuit. Pulmones aqua ſubmerſi fundum petebant. Foramen ovale eo in loco repertum fuit, quo a *Lovero*, *Lanciſio*, aliisque, indicatur, nempe citra tuberculum *Lovero*, quod cum valvula *Euſtachii* coincidit, hoc truncus adſcendentis venæ cavæ in venæ pulmonalis finem patet. Prætenſa foramini valvula, & poſt nativitatem embryonis ob novos pulmonum uſus obſerata, aliam reſpirantis animalis ſanguini directionem conciliat, quam quæ antea fuit. Quem in finem, pront in vitulino corde nitide apparet, chordæ fibræque muſculares illi, qua venam pulmonalem reſpicit, regioni annectuntur. Ipſum prædictum *Loveri* circa foramen ovale tuberculum haud parum ad aperturam foraminis ſervandam contulit, cujus nexu nunc ſoluto, in ſe rediit valvula, & ſtabilis ante oſtium permanet. Examinatur Cl. *Merry*, Chirurgi Pariſienſis, de uſu iſtius foraminis ſententia, quæ habetur in Commentariis Academiæ Regiæ Pariſienſis. Argumentatur Clariſſimus ille Vir, contra receptam ſententiam de ſanguinis a cava in pulmonalem tranſitu, ſequentem in modum: *Arteria aorta deberet amplior eſſe pulmonali, ſi verum eſſet, omnem ſanguinem in ſiniſtrum ventriculum effundi, ſed contrarium apparet ex avtopſia, ſiquidem pulmonalis duplo capacior eſt.* Hinc novam ſibi excogitavit de circuitu ſanguinis ſententiam, nempe, ſanguinis columnam, quæ eſt in vena cava, opinatur, omnino præterfluere foramen ovale, & in ventriculo dextro conſtitutum, tripartito dividi, unam tertiam majorem per canalem arterioſum, qui communicationis dicitur, in arteriæ truncum deſcendentem ferri, reliquas intrare pulmones, inibi circulum peragere, poſtea redire ad venam pulmonalem, hinc per foramen ovale regurgitare ad cor dextrum, &

priora

priora repetere. Inde *Merryus* finiſtrum cor & aortæ truncum otiari putat in embryone. Oppugnarunt hancce ſententiam, poſt *Verbeynium* & Cl. *Buſſierium*, omnium recentiſſime Clariſſ. Vir, *Treuius*. *Verbeynius* opponit valvulam foraminis, quam *Merryus* negat, itidemque foraminis diametrum, pro tantillo, quod ex pulmone reflueret ſanguinis, majorem. *Buſſierius* inæqualitatem diametrorum in utraque arteria cordis, tanquam princeps argumentum, negat. *Ridleyus* ab utraque ſententia tantiſper diſcedit, & probe penſitans, in eo recte ſentire *Merryum*, quod canalem arterioſum aortæ diametro fere æqualem judicaverit, hinc accurate conſiderans utriusque rami arteriæ pulmonalis declivem ſitum, valvularumque ſemilunarium renitendi robur, opinatur, minus, quam hactenus creditum fuit, ſanguinis, non tamen omnino nihil, in quo a *Merryo* diſſentit, ad cor ſiniſtrum ferri, interea majorem ſanguinis partem per communicationis canalem ad aortam tranſire, nonnihil tamen ad pulmones evadere, quandoquidem ſanguinem ex pulmone vitulino (abortivo ſine dubio) præſciſſis arteriis expreſſerit. Opinatur adeoque, ſanguinis aliquem, ſed lentum, per pulmones eſſe tranſitum. Adduntur alia, differentiam partium adulti & embryonis attinentia, momenta; habentque haud leve meritum Editores, quod novam hujus elegantis libelli nobis procuraverint editionem.

DE OBSERVATIONIBUS, PRO FIGURA Telluris determinanda in Gallia habitis, Diſquiſitio, Autore ANDREA CELSIO, in Acad. Upſal. Aſtronom. Prof. Regio, Chriſtianiſſ. Franc. Regis Penſionario, Soc. Reg. Lit. & Scient. Suec. Secretario, Societatum Reg. Lond. & Berol. atque Academiarum Nat. Curioſ. & Inſt. Scient. Bonon. Membro.

I. Figuram Telluris ſphæroidicam, ex gradu meridiani ad circulum polarem arcticum, Chriſtianiſſimi Galliarum Re-

gis jussu, nuper mensurato, demonstrari, notissimum jam est. Scilicet planetæ globus, quem incolimus, haud aliter ac Jovis stella, circa axem revolvitur, diametro Æquatoris minorem, prout olim divinaverat Vir immortalis, *Isaacus Newtonus*, suis principiis merito fisus Hæc autem figura e diametro opponitur hypothesi, quam, observationibus in Gallia a se factis inducti, asserere non dubitarunt Astronomi famigeratissimi, *Cassini*, Pater & Filius. Unde *Jacobus Cassini* coram Academia Regia Scientiarum in observationes Tornenses diligentius inquisivit, probationem dioptrarum telescopicarum per conversionem Sectoris neglectam esse, maxime urgens. At huic objectioni argumentis adeo validis respondit Cel. *Maupertuis*, ut tandem a parte contraria nihil plane regeri potuerit. Quare *Cassinum*, & ratione *Newtoniana*, & experientia Tornensi, convictum, sententiam suam, ut Philosophum decet, dudum mutasse, nullus dubito. Interim tamen hæ disputationes, in Academia agitatæ, locum dedere vel imperitis, vel invidis, rumorem de observationibus Tornensibus, ob probationem instrumenti omissam incertis, non modo per urbem, sed per universum orbem, spargendi. Nova enim publica, & amicorum meorum ex diversis Europæ partibus literæ, eandem cecinere cantilenam. Proinde me, cui honori fuit, hisce observationibus sociam commodare operam, rem bonis omnibus haud ingratam facturum spero, si originem & falsitatem rumoris publice ostendero.

II. Non miror, hanc instrumenti rectificationem necessariam censeri a Cl. *Cassino* & aliis, qui justam ideam Sectoris, a nemine adhuc descripti, ab organis tamen in Gallia usitatis toto cœlo differentis, sibi formare non possunt. Etenim *Cassinus* instrumentis usus est, quæ aut per partes, aut integra transportata, curruum vehementi quassatione facile luxari poterant. Unde ipsi, ut de se fatetur in Opere *de Fig. Tell. pag. 275 edit. Holl.* in arcu cœlesti determinando distantias stellarum a vertice veras quæsituro, e re omnino fuit, Sectorem suum convertere, hoc est, limbi facie divisa ad orien-

rientem primum expoſitâ, & deinde eadem facie ad occidentem converſa. Hac ſane methodo error, ex mutata dioptrarum poſitione ortus, ſemper detegitur. Nobis vero, de differentia tantum inter diſtantias ſtellæ a Zenith, in utroque gradus termino obſervatas, ſollicitis, minime opus fuit, dioptrarum ſitum, utpote eundem ſemper & invariatum, examini ſubjicere. Nulla certe ſuſpicio nobis ſuboriri potuit de mutatione dioptrarum in hoc inſtrumento, exquiſitiſſime adornato cura & ſagacitate Cl. *Grahami*, cui Aſtronomia practica ſubtilior ſuum debet faſtigium. Præcipuam Sectoris partem conſtituit tubus, ex orichalco ſolide compactus, & 9 ped. Lond. longus, cui firmiter annexum eſt medium limbi, 5 gradus cum dimidio continentis. In hoc teleſcopio vitrum objectivum nullo modo e ſitu ſuo divelli poteſt; fila autem argentea dioptræ ocularis, ne calore vel frigore laxari aut prorſus rumpi queant, ab elateribus ſemper tenſa tenentur. Præterea, ne ulla externa vi dioptræ teleſcopicæ in profectionibus læderentur, tubus, cui limbus adhæret, in ciſta bene clauſa firmiter reconditus, navigii ope per fluvium transferebatur Tornenſem; hieme vero multo fœno circumvolutus, traharum lento motu ſuper nives vehebatur. Imo hæc arca tanta cura & attentione a nobis fuit cuſtodita, ut Lappones, in illa idolum quoddam ſervari, facile ſibi perſuaderent. Quare etiam, Cl. *Picardum* hanc probationem nunquam inſtituiſſe, Cl. *Caſſinus* nobis perſuadet *pag*. 274; licet *Picardo* multo major fuerit difficultas, magnum ſuum inſtrumentum *Malvoiſina Ambianum* ſine dioptrarum læſione transportandi. *Picardianas* tamen obſervationes ut accuratiſſimas multis laudibus ubique merito extollit *Caſſinus*. Conf. *pag*. 2, 243, 275, 310; & *Commentar. Acad. A.* 1718 *pag*. 315. Ceterum minime credendum eſt, in climate Tornenſi, ubi cœlum raro ſerenum fuit, ubi unica tantum ſtella certo anni tempore obſervationibus eſt idonea, ubi denique, ut cetera taceam incommoda, non ſemper trahis vel navigiis iter inſtitui potuit, tempus, quod vix obſervationibus neceſſariis ſuppeteret, in operationes ſupervacaneas impendere nobis licuiſ-

ſe.

ſe. Verum argumentum omni exceptione majus nobis ſuppeditant ipſæ obſervationes. Menſe enim Septembri per ſtellam δ *Draconis* arcus cœleſtis Torneam inter & montem Kitis primo inventus eſt. Deinde menſe Martio anni ſequentis eundem arcum per ſtellam α *Draconis* inveſtigavimus, non niſi tribus ſecundis cum dimidio a priori differentem; quamvis inſtrumentum ab uno gradus termino in alterum bis fuerit tranſportatum. Qua quidem accuratione in ſimili negotio antea neminem verſatum fuiſſe, vel ipſe fatebitur Cl. *Caſſinus*, cujus obſervationes, diverſis ſtellis inſtitutæ, ſi non duobus minutis primis, certe quadraginta ſecundis, in arcu cœleſti determinando inter ſe diſcrepant; licet organa ſua per converſionem probare nunquam neglexerit. Sed omnia hæc fuſius dilucidantur in ipſo *Obſervationum Tornenſium Commentario*, qui Pariſiis jam ſub prelo ſudat.

III. Stabilita ſic figura Telluris vera, merito quæritur, quid de operationibus *Caſſinianis* ſentiendum ſit? Ingenue fateor, me viribus meis, utut exiguis, magis fidere in obſervationibus Tornenſibus defendendis, quam in judicio meo qualicunque ferendo de laboribus Viri Celeberrimi, quem ob multa in rem Aſtronomicam merita veneror, & cui pro ſingulari in me, Pariſiis degentem, benevolentia & humanitate ſum obſtrictiſſimus. Pace itaque tanti Viri, pauca in medium proferre liceat momenta, quæ obſervationes ejus dubias reddere videntur. Menſuræ graduum, in boreali Galliæ parte Lutetiam inter & Dunkerkam inſtitutæ, a veritate multum aberrare non poſſunt. Triangulis enim exquiſitis Cl. *Picardi* viginti adhuc alia adjecit Cl. *Caſſinus*, ipſum præeunte *de la Hirio*, qui A 1683 triangula *Picardiana* confirmavit, & haſce operationes usque ad Montem Caſſellum ſolita ſua continuavit diligentia. Conf. *du Hamelii Hiſt. Acad. pag. 222.* Præterea Cl. *Caſſinus* ſuas dimenſiones, per duos tantum gradus productas, baſi, in planitie litoris arenoſi prope Dunkerkam menſurata, ſtabilivit. Trium tamen pedum diſcrepantia inter menſuras baſeos bis repetitas juſto major nobis apparet, qui in linea multo longiori duplici vice hexa-

pedis

pedis æſtimata non niſi quatuor digitorum differentiam invenimus. Quod vero ad obſervationes Aſtronomicas ſpectat, Sectoris radius 9 pedes habuit, ejusque limbus 12 gradus, in vigeſimum quodvis minutum ſecundum diviſos. Poſitionem centri, & diviſionem limbi, diverſis modis Pariſiis examinavit Cl. *Caſſinus*, Dunkerka reverſus. Ut tamen correctio illa, mutationi centri conveniens, obſervationibus Dunkerkanis tuto applicari poſſet, examen centri Dunkerkæ quoque inſtituendum fuiſſet. Siquidem incertum eſt, num inſtrumentum vel in itinere Pariſiis Dunkerkam, vel in reditu, luxatum aut incurvatum ſit. In arcu cœleſti determinando inter diverſarum ſtellarum obſervationes 41 ſecundorum differentia enormis videtur. Credibile quidem eſt, ſtellas plerasque minus lucidas tubo 3 ped. non ſat bene viſas fuiſſe. Cui tamen incommodo obviam ire potuit Cl. *Caſſinus*, Sectori ſuo teleſcopium applicando 9 vel 10 pedes longum, idque circa centrum & medium limbi, ut a Cl. *Picardo* & omnibus aliis factum eſt. Obſervationes poſteriores anni 1719 prioribus, ſtatim poſt reditum Pariſiis habitis, præferendas eſſe, arbitror: quippe quæ, eodem fere anni tempore cum Dunkerkanis inſtitutæ, correctione Bradleyana fixarum non indigent. Quæ tamen cautio minus forte neceſſaria cenſeri poteſt, ubi errores in obſervandis ſtellis commiſſi hac correctione ſæpe ſunt majores. Arcus itaque erit per obſervationem ſtellæ

				°	′	″
β *Draconis*	—	—		2.	12.	17½
γ	—	—	—	2.	12.	4
κ Cygni	—	—		2.	12.	9½
ι	—	—	—	2.	12.	18½
ϑ	—	—	—	2.	11.	48
α	—	—	—	2.	12.	28½
Medius	—	—	—	2.	12.	11

Sed, omiſſis duabus ultimis, quæ a ceteris & inter ſe nimis differunt, medius ex quatuor prioribus erit 2. 12. 12¼

Si per hunc arcum diſtantia parallelorum inter Dunkerkam & Lutetiam 125454 hexap. Pariſ. dividatur, gradus unus

S 8 terræ

terræ evadit 56935 hexap. a *Picardiano* nimium abludens. Verum inter observationes *Malvoisinæ* & *Ambiani* factas menstruum intercessit spatium, quo stella δ *Cassiopeæ* polo mundi ex theoria Bradleyana appropinquavit $8\frac{1}{2}$ secundis, & præterea sec. $1\frac{1}{2}$ propter æquinoctiorum præcessionem. Quare arcus cœlestis Cl. *Picardi*, refractione etiam, ut monet Cl. *Cassinus*, correctus erit 1°. 23′ 6″$\frac{1}{4}$. Si jam distantia parallelorum 78850 hexap. per hunc arcum dividatur, gradui uni 56926 hexap. respondent. Unde 135 hexapedarum differentia inter gradum *Picardianum* oritur & illum, qui ex distantia per totam Galliam mensurata colligitur; quorum tamen mira congruentia argumento fuit Cl. *Cassino* suis mensuris magis fidendi. Vid. *pag. 302.*

IV. Pergo ad operationes in Gallia meridionali sub ductu Cl. *Joannis Dominici Cassini* peractas. Limbum in singula tantum minuta prima divisum in itinere secum portavit *Cassinus*, cui postea *Perpiniani* ceteras instrumenti partes adjecit. Huic autem limbo centrum invenire, a præstantissimis hodierno tempore artificibus operatio censetur valde difficilis. Nec ulla fit mentio, vel Caucolibere (*Collioure*) vel Parisiis positionem hujus centri & divisionem limbi probatam fuisse. Et valde mirum mihi videtur hoc instrumentum, per viam adeo longam & asperam currentibus equis agitatum, Caucolibere Parisios, sine centri aberratione, vel ulla alia mutatione, advehi potuisse. Compages sane hujus organi ita debilis apparet, ut, eam, in ipsis observationibus fulcro parum firmo innixam, multum vacillasse, credere par sit. Fateor quidem, distantiam Capellæ a vertice, quam hoc instrumento Parisiis captavit Cl. *Cassinus*, alio ejusdem generis organo, eandem distantiam prodente, comprobatam esse. Quæ etiam cum Capellæ observationibus, Torneæ factis, aliorumque, congruit. Sed inde non satis tuto concluditur, veram quoque Capellæ a Zenith distantiam Caucolibere observatam fuisse. Punctum enim divisionis, huic distantiæ in limbo respondens, nunquam examinatum est. Centrum insuper male collocatum, in uno divisionis puncto verum arcum monstrare

ſtrare poteſt; nempè quando centrum verum & erroneum ſunt in eadem linea ad horizontem perpendiculari. Ipſe denique limbus incurvari potuit. Ceterum quinque ſtellarum diſtantiæ a vertice Caucolibere determinatæ ſunt, quas etiam Pariſiis obſervatas eſſe, Cl. *Caſſinus* affirmat *pag. 9*. In arcu tamen cœleſti indagando harum non niſi unica uſus eſt. Certe uterque *Caſſinorum pag. 174* & *Commentar. Acad. A. 1701 pag. 236* ſcribunt, ſe inſtrumento decempedali Caucolibere obſervaſſe plurimas ſtellas vertici vicinas, eo fine, ut eas poſtea comparare poſſent cum obſervationibus earundem ſtellarum Pariſiis inſtituendis. Præcipue miror, cur diſtantiæ Lyræ a vertice Pariſienſi nulla fiat commemoratio; cum tamen hæc ſtella, quæ teleſcopio 3 ped. optime ſemper obſervatur, quantitatem arcus cœleſtis, per Capellam ſtabilitam, egregie confirmare potuiſſet. Verum in Tabulis Aſtronomicis MS. Cl. *Caſſini* reperi declinationem Lyræ initio anni 1710 applicatam 38°. 32'. 50", quæ hoc Sectore decempedali ſine dubio Pariſiis obſervata eſt. Non enim ſupponere licet, Cl. *Caſſinum* catalogo ſuo fixarum inſerere voluiſſe declinationes, minoribus inſtrumentis captas, cum ipſi præſto eſſet obſervatio Lyræ organo majori habita. Quicquid ſit, ex hac declinatione deducitur, Cl. *Caſſinum* diſtantiam Lyræ a vertice Pariſienſi obſervare debuiſſe anno 1701 10°. 17'. 41". quæ per aliorum quoque obſervationes confirmatur, & ſecundum

			°	'	"
Flamſtedium erit	—	—	10.	18.	12
Obſervationes Tornenſes		—	10.	18.	0
Hevelium	—	—	10.	17.	45
De La Hire	—	—	10.	17.	39

Hæc ultima, cum *Caſſiniana* conſpirans, ſatis exacta videtur. Affirmat enim Cl. *De la Hire* in *Tab. Aſtron.* ſe viginti annis ſumma ſedulitate ac diligentia meridianam altitudinem Lucidæ Lyræ exquiſitis quadrantibus Aſtronomicis indagaſſe. Diſtantia vero Lyræ a Zenith Caucoliberi a Cl. *Caſſino* accurate, ut *pag.* 77 memorat, obſervata eſt 4°. 0'. 34".

Diſtantia Pariſienſis	—	—	10.	17.	41.
Ergo differentia diſtantiarum		—	6.	17.	7.

 Cl.

Cl. *Caſſinus*, in corrigendis obſervationibus *Riccioli* occupatus, dicit *pag. 375*, ſe menſe Februario A. 1702 obſervationibus multoties repetitis, & organo decempedali, determinaſſe diſtantiam apparentem *dextri humeri Aurigæ* a vertice Pariſienſi — — — 3°. 58′. 35″.

quæ debite correcta erit — —	3.	58.	41.
Caucoliberi autem fuit — —	2.	20.	44.
Ergo ſumma diſtantiarum — —	6.	19.	25.
Arcus per Capellam determinatus —	6.	18.	57.
Rejecta obſervatione Lyræ, nimium ab hiſce duobus recedente, erit arcus medius —	6.	19.	11.

Ceteris ſtellis Caucolibere viſis nullas obſervationes Pariſienſes reſpondentes invenire potui. Patet vero, haſce obſervationes nimium quantum incertas 2 minutis & 18 ſecundis inter ſe differre. Unde non miror, Cl. *Jo. Dom. Caſſinum* ex obſervationibus fixarum inſtrumentis ordinariis Pariſiis & Caucolibere factis hunc arcum determinaſſe in *Commentar. Acad. A. 1701* 6°. 18′. 0″, qui 57 ſecundis ab arcu per Capellam invento diſcrepat. Quam quidem differentiam obſervationi Capellæ organis ordinariis Pariſiis habitæ imputare conatur *Caſſinus pag. 178.* Sed *Caſſinus*, Pater, non modo per Capellam, verum etiam per reliquas ſtellas, arcum ſuum ſtabilivit. Profecto non facile percipitur, in omnibus iſtis ſtellis, inſtrumento, cujus ſemidiameter eſt 3 ped. obſervatis, uno minuto primo ſemper errari poſſe. Conſtat enim, Cl. *Jo. Caſſinum* ejusdem generis inſtrumentis obſervaſſe Ambianenſis Poli altitudinem intra aliquot ſecunda eandem prorſus cum illa, quam Cl. *Picardus* magno & exquiſito ſuo Sectore antea invenerat. Conf. *Du Hamel Hiſt. Acad. pag. 257.*

V. Dimenſiones triangulorum, quas usque Biturigem (*Bourges*) A. 1683 Cl. *Jo. Dom. Caſſinus* produxit, ſatis accuratæ videntur. *Anguli* enim, teſte *Du Hamel pag. 233, inſtrumento huic conſimili, quod Cl. Picard olim adhibuerat, & eadem diligentia ſumti: adeo, ut ſæpe tres anguli ſummam 180 gr. efficerent; interdum 10 aut 15 ſec. deerant*, &c. Ceterum

parvi

parvi errores, si qui in angulis capiendis irrepserint, lineam meridianam duobus gradibus vix a basi mensurata distantem parum afficere valent. Biturige Cl. *Cassinus* in observationes Solis, fixarum, quibus eodem tempore diligenter invigilabat Cl. *De la Hire* in Observatorio Regio, duas omnino septimanas impendit. Differentia itaque inter latitudines Lutetiæ & Biturigis inventa est, ex altitudinibus meridianis

	°	′	″
Solis cum ejus declinatione — —	1.	45.	24
Præced. trium Aquilæ — —	1.	45.	25
Sequ. trium Aquilæ — — —	1.	45.	35
Aldebaran — — —	1.	45.	35
Solis — — — —	1.	45.	40
Lucidæ Aquilæ — — —	1.	45.	40
Capellæ — — — —	1.	46.	5
Media — — — —	1.	45.	38

Unde gradus medius Lutetiam inter & Biturigem provenit 56850 hexap. posita parallelorum distantia 100087 hexap. Cum vero moneat Cl. *Cassinus pag. 203*, se observationes præcipue Solis & fixarum in Aquila pluribus vicibus diligenter iterasse; observatio Capellæ, quæ a ceteris quoque longius abit, rejicienda videtur. Et sic hæ latitudinum differentiæ melius inter se cohærebunt, quam quæ instrumentis decempedalibus æstimatæ sunt. Medius vero arcus ex sex prioribus erit 1°. 45′. 33″, & gradus medius 56894½ hexap. qui, cum gradu *Picardiano* collatus, figuram terræ, ex observationibus ad *Circulum arcticum* factis deductam, mirum in modum confirmat.

VI. Venio jam ad Triangulorum observationes, quas Cl. *Jo. Dom. Cassinus* A. 1700, quinque & septuaginta annorum senio confectus, & solita oculorum acie, qua novos olim in cœlo detexerat orbes, non amplius utens, aggredi non dubitavit. In hoc opere difficultates novæ sese offerebant. Vid. *Hist. A. 1700.* Etenim montosæ Marchiæ, Arverniæ, Rutinensis Provinciæ, & Occitaniæ, regiones superandæ erant. Ubi vel in montibus asperis & incultis signa erigenda, vel ad ipsos

 mon-

montium apices collineandum: ubi incommoda ſtationum loca, obſervationes rite peragi, & ſæpius, ut oportet, repeti, non ſinebant: ubi ſæpe Octante utendum, magis quidem tractabili, in quo tamen poſitionem teleſcopiorum, quæ ad angulum rectum ſibi invicem applicantur, probare non ſemper, ut opinor, licebat: ubi denique natura ſoli triangulis melius formandis forte obſtabat. Quare in multis triangulis occurrunt anguli nimium acuti, & prætèrea duo tantum anguli obſervati. Unde errores maximos gigni poſſe, Cl. *Caſſinus* in obſervationibus *Snellii* & *Riccioli* examinandis *pag. 355* & *368* merito judicat. Imo cenſet Cl. *Picard*, angulos 20 gradibus minores omnino vitandos eſſe. Conf. *Du Hamel Hiſt. Acad. pag. 200.* Accedit, quod non pauca triangulorum latera nimis longa videantur. Latera enim optima nec longitudinem, nec brevitatem, nimiam volunt. In diſtantiis brevioribus error, in medio ſigni, vel apice anguli, rite obſervando commiſſus, magis ſenſibilis eſt; in diſtantiis vero longioribus, ſi objecta non ſatis diſtincte apparent, facile errari poteſt. Sed datur pro certa teleſcopii organo goniometrico applicati longitudine & bonitate, diſtantia media, ubi hi duo errores ſimul conjuncti minimi ſunt.

En itaque exempla!

				°	′	″	
Triang.		XX.	LHM.	10.	13.	50.	
			HM.	30110.		2.	hexap.
—	—	XXI.	ADB.	17.	34.	25.	non obſervatus.
—	—	XXIV.	EFD.	17.	23.	40.	non obſervatus.
—	—	XXVI.	HGF.	17.	24.	10.	
—	—		Duo anguli obſervati.				
—	—	XXVII.	Duo anguli obſervati.				
—	—	XXVIII.	Duo anguli obſervati.				
—	—	XXXII.	Duo anguli obſervati.				
—	—		EI.	39952.	2.		
—	—	XXXIII.	FH.	33291.	4.		
—	—	XXXVI.	DBE.	18.	2.	20.	
—	—	XXXVII.	EBF.	17.	26.	55.	
—	—		BF.	33518.			

XXXVIII.

Triang. XXXVIII. BG. 41750.
— — XLII. KIL. 20°. 15′. 15″.
— — XLIII. Duo anguli obſervati.
— — XLV. QRL. 13. 24. 45. non obſervatus.
— — — LR. 30344.
— — XLVI. Duo anguli obſervati.
— — XLVII. Duo anguli obſervati, e quibus tertius angulus ad Montem Candidum (*Canigou*) concluſus eſt. Mirum ſane, in termino triangulorum primario, & ex novem ſtationibus viſo, nullum angulum captum eſſe.
— — QεR. Qε. 35936.
— — Qaε. εQa. 4. 16. 40.
— — — Qa. 34292.
— — aεc. εac. 12. 37. 0.

VII. Quod autem ad triangula attinet, quæ tantum ceteris probandis inſerviunt, illa certe vitiis ſupra nominatis non raro laborant. Inprimis hic noto, ſola montium cacumina, ſine ſignis ibidem exſtructis, obſervata fuiſſe. Qui ſane modus non tuto adhibetur in montibus, qui pro diverſo oculi ſitu, inſtar *Protei*, in varias ſeſe vertunt formas; adeo, ut valde dubitari poſſet, num in diverſis ſtationibus ad idem apicis punctum viſus fuerit directus. Quare ſæpiſſime ex hiſce triangulis latera primaria aliquot hexapedis vel minuuntur vel augentur. *Ex. Gr.*

Triang.	XXIV.	EF.	11386.	*Differ.*
— —	TEF.		11380.	6.
— —	XXXII.	FI.	29976.	
— —	FGI.		29984.	8.
— —	XXXIII.	HI.	14428.	
— —	GHI.		14235.	7.
— —	XXXV.	BD.	17710.	
— —	BDm.		17704.	6.
— —	XLVIII.	baſis	7246.	
— —	RSV.		7242.	4.
— —	HIβ.	Hβ.	36378.	
— —	HLβ.		36342.	36.

Vide-

Videri quidem posset, non parum roboris mensuris *Cassinianis* accedere ex basi illa satis longa, in planitie Ruscinonensi mensurata, quæ primo tribus hexapedis ab eadem linea, per triangulorum calculum inventa, discrepans, correctionibus deinde necessariis adhibitis ex asse cum computo congruit. Vid. *pag. 125*. Sed, si correctiones illæ adeo necessariæ fuissent, miror, cur in primis triangulorum calculis, ut fieri solet, earum non habita fuerit ratio. Equidem hac occasione, ut alias sæpe, optavi, ut Cl. *Cassinus* magis specialem cum publico communicasset observationum suarum historiam; v. g. unde extiterit ille error instrumenti, hic correctus? quanti fuerint anguli non correcti? an eorum observatio sæpius repetita? an simul sumti a 180 gradibus multum manserint discrepantes? At vero longitudo hujus lineæ fundamentalis satis dubia inde redditur, quod ejus mensuratio nunquam fuerit repetita, ut a Cl. *Picardo* semper, & a Cl. *Cassino* Dunkerkæ, factum est. Et id quidem multo majori jure in hac basi, quam mare, arenas cumulando, reddidit inæqualem, & quæ, variis in locis rivis & paludibus impedita, triangulis mensuranda fuit. Ceterum in tanta triangulorum multitudine, & observationum continua congerie, angulorum errores distantiam parallelorum justo longius producere, deinde vero, contrario modo agendo, ultimi trianguli latus seu basin vera longitudine assequi, possunt; præsertim si accedat infelix casus, errores sine ulla compensatione multiplicans. Vid. *pag. 118*. Certe fatetur Cl. *Cassinus pag. 127*, ejusmodi errores in angulis fieri posse, ut latera, quæ basium loco triangulis sequentibus inserviunt, vera tamen & exacta maneant. Nec eadem locorum positio, respectu meridiani Parisiensis, per triangulorum calculos & observationes Astronomicas inventa, angulos omnis erroris expertes esse, semper indigitat. Errores enim angulorum ita temperari possunt, ut loca, saltem ubi observationes habitæ sunt, veram conservent a linea meridiana longitudinem, mutata licet parallelorum distantia. Proinde, ubi triangula sunt numerosa,

rosa, & male quoque formata, nulla obtineri potest certitudo, nisi subinde, hoc est, minimum secundo quovis gradu, si singulis non licet, triangulorum latera basibus summa diligentia bis mensuratis confirmentur. Quod quidem in dimensionibus *Cassinianis* fieri omnino potuit. Non enim facile mihi persuadeo, Galliam adeo montosam esse ubique & inæqualem, ut in tanto Lutetiam inter & Montes Pyrenæos spatio nulla reperiatur planities, ex triangulorum signis jam factis, vel novis, si opus fuisset, exstruendis, spectanda. Indicat ipse Cl. *Cassinus pag. 118*, prope Biturigem & Rebellum planities inveniri basibus mensurandis idoneas.

VIII. Ut eo luculentius pateat errorum in triangulis observandis effectus, Cl. *Olavus Hiorter*, pro singulari, qua pollet in calculis Astronomicis instituendis, diligentia, triangula ab oppido Biturigis usque ad Caucoliberem ita adornavit, ut distantia parallelorum insigniter, ut oportet, minuatur; basis vero Ruscinonensis computata, cum ejus dimensione hexapedis facta, coincidat; & denique distantiæ locorum a meridiano Parisiensi non multum ab observationibus aberrent. Et id quidem, correctionibus factis necessariis, errores angulorum supponendo 30, 40, vel 45 secund. eorumque duplum in angulis majoribus 100 grad. Quam sane suppositionem nemo non admittet, qui rationes, supra a me allatas, æqua lance perpenderit.

Calculi autem hi sunt:

XX. Triang. HLM.
HL. 21075. 1.
LHM. 10. 13. 50 — 30
HLM. 147. 59. 40
HLM. 21. 46. 30 + 30.

XXI. Triang. ABD.
AB. 10078. 3.
BAD. 31. 11. 15 — 45
ABD. 131. 14. 20 + 2×45
BD. 17243. 5.

XXII. Triang. BCD.
BD. 17243. 5.
CBD. 23. 4. 0 — 40.
BCD. 116. 5. 50.
BDC. 40. 50. 10 + 40
BC. 12558. 4.
CD. 7519. 4.

XXIII. Triang. CED.
CD. 7519 4.
DCE. 72. 3. 20.
CDE. 86. 29. 40 — 45
CED. 21. 27. 0 + 45.
CE. 20513.
DE. 19552.

XXIV. Triang. DFE.
DE. 19552.
DEF. 131. 33. 35 + 2 x 45
DFE. 31. 2. 45 + 45
EF. 11306.
XXV. Triang. FEG.
EF. 11306.
FEG. 50. 19. 0 — 45
EFG. 107. 52. 0.
EGF. 21. 49. 0 + 45
EG. 28939.
FG. 23395. 1.
XXVI. Triang. FHG.
FG. 23395.
HFG. 27. 12. 30 — 45
HGF. 17. 24. 10 + 45
HG. 15225.
XXVII. Triang. HGK.
GH. 15225.
HGK. 87. 33. 40
GKH. 47. 34. 40 + 45
GK. 14542. 2.
XXVIII. Triang. ABC
AB. 14542. 2.
ABC. 131. 36. 15. + 45
ACB. 23. 45. 55. + 45
AC 26959. 4.
BC. 25010. 3.
XXIX. Triang. BCD.
BC. 15010. 3.
CBD. 36. 18. 35.
BCD. 84. 51. 30.
BDC. 58. 49. 55.
CD. 10387. 4.
XXX. Triang. CDF.
CD. 10387. 4.
DCF. 75. 17. 0.
CDF. 74. 55. 35.
CFD. 29. 47. 25.
CF. 20189. 3.
XXXI. Triang. CEF.
CF. 20189. 3.
ECF. 58. 29. 55.
CEF. 93. 21. 45.
CFE. 28. 8. 20.
CE. 9538.
EF. 17243. 5.
XXXII. Triang. EFI.
EF. 17243. 5.
FEI. 44. 1. 20 + 40.
EFI. 112. 9. 0.
EI. 39551. 2.
FI. 29681. 4.
XXXIII. Triang. FIH.
FI. 29681.
HFI. 25. 18. 0 + 45
FIH. 90. 29. 25.
FHI. 64. 12. 35 — 45
HI. 14096.
XXXIV. Triang. HIO.
HI. 14096.
HIO. 32. 48. 5 — 45
IHO. 114. 28. 10.
HOI. 32. 43. 45 + 45
IO. 23737. 4.
XXXV. Triang. BCD.
BC. 23737. 4.
CBD. 59. 10. 30.
BCD. 45. 37. 50 + 40
BDC. 75. 11. 40 — 40
BD. 17555. 5.
XXXVI. Triang. BDE.
BD. 17555. 5.
DBE. 18. 2. 20 + 40
BDE.

BDE. 127. 13. 40.
BED. 34. 44. 0 — 40.
BE. 24541.
XXXVII. Triang. BEF.
BE. 24541.
EBF. 17. 26. 55 + 45
BEF. 125. 42. 55.
BFE. 36. 50. 10 — 45
BF. 33245.
XXXVIII. Triang. BFG.
BF. 33245.
FBG. 23. 3. 25 + 45
BFG. 106. 40. 20.
BGF. 50. 16. 15 — 45
FG. 16941. 4.
XXXIX. Triang. FGH.
FG. 16941. 4.
GFH. 20. 52. 50 + 45
FGH. 121. 20. 35
EHG. 37. 46. 35 — 45
GH. 9865. 4.
XL. Triang. GHI.
GH. 9865. 4.
HGI. 53. 4. 55 + 45
GHI. 80. 10. 40
GIH. 46. 44. 25 — 45
HI. 10834. 4.
Triang. FHI.
HI. 10834. 4.
FHI. 42. 24. 5 — 40
FIH. 112. 34. 0 — 2×40
FI. 17241. 5.
XLI. Triang. HIK.
HI. 10834. 4.
HIK. 71. 23. 30.
IHK. 68. 45. 30 + 45
HKI. 39. 51. 0 — 45

IK. 15765. 2.
XLII. Triang. IKL.
IK. 15765. 2.
KIL. 20. 15. 15 + 45
IKL. 132. 1. 30
ILK. 27. 43. 15 — 45.
IL. 25187. 1.
KL. 11744. 4.
XLIII. Triang. KLN.
KL. 11744. 4.
KNL. 51. 29. 30 — 45
KLN. 61. 43. 55 — 45
LN. 13797. 4.
XLIV. Triang. LNQ.
LN. 13797. 4.
LNQ. 35. 15. 40 + 40
NLQ. 102. 23. 30.
LQN. 42. 20. 50 — 40
LQ. 11830. 3.
XLV. Triang. LQR.
LQ. 11830. 3.
QLR. 22. 55. 30 + 45
LQR. 143. 39. 45 + 2×45
QR. 19932.
LR. 30286. 3.
XLVI. Triang. QRT.
QR. 19932.
RQT. 69. 3. 45 + 45.
QTR. 63. 31. 45 — 45
RT. 20800.
XLVII. Triang. RTS.
RT. 20800.
RTS. 93. 41. 40.
RST. 53. 54. 45 — 45
TS. 13795. 5.
XLVIII. Triang. TVS.

TS. 13795. 5.
STV. 31. 34. 40 + 20
TVS. 94. 21. 50 — 20
TSV. 54. 3. 30.
Basis SV. 7246. 2.
Mensurata 7246. 2.
Triang. QRε.
QR. 19932.
RQε. 47 41. 10.
RεQ. 33. 14. 15 + 45
Qε. 35898. 4.

Triang. Qaε.
Qε. 35898.
εQa. 4. 16. 15 + 25
Qεa. 55. 49. 50.
εa. 3088. 4.
Triang. aεc.
εa. 3088. 4.
εac - 12. 37. 0 + 30.
aεc - 80. 14. 0.
acε - 87. 9. 0 — 30
εc - 676.

Ex hisce triangulis, sic correctis, deducitur distantia inter Observatorium Regium & perpendicularem in lineam meridianam Caucolibere ductam, 358866 hexap. quæ correcta, prout *pag. 180* & *182* indicatur, erit 358980 hexap. Quodsi hæc distantia per arcum supra inventum 6°. 19'. 11". dividatur, gradus medius Lutetiam inter & Caucoliberem habebitur 56803 hexap. qui gradu *Picardiano* minor, vero, ut arbitror, propius accedet. Parallelorum autem distantia a Cl. *Cassino* computata per hunc calculum 1634 hexap. diminuitur. Nec mensuræ *Cassinianæ* diminutionis adeo impatientes videntur. Ipse enim Cl. *Cassinus* dimensiones, a Patre in *Commentar. Acad. A. 1701* publicatas 325½ hexapedis decurtavit. Scilicet ex suis triangulorum calculis Cl. *Jo. Dom. Cassinus* gradum medium inter Lutetiam & Caucoliberem invenit 57292 hexap. unde differentia parallelorum evadit 360939½ hexap. Hujus autem rei rationem in novis illis angulorum correctionibus, pro mensura baseos Ruscinonensis cum computo triangulorum concilianda postea factis, consistere suspicor. Spero itaque, me jam æquo & candido Lectori satis superque ostendisse, observationes *Cassinianas*, tam cœlestes, quam terrestres, in Gallia præcipue meridionali habitas, adeo incertas esse, ut inde figura telluris nullo modo deduci queat.

D. CHRIST. GOTTL. BUDERI, JUR. ET HIstor. Profess. Ordin. Facultatisque Juridicæ Assessoris in

in Academ. Jen. Diatriba Juris feudalis & publici, de Feudis Officialium hæreditariorum Procerum & Provinciarum regni Germanici, ex Diplomatibus, literis clientelaribus, Actis publicis, monumentisque fide dignis, eruta.

Jenæ, apud Christ. Henr. Cunonem, 1736, 4.
Plag. 14, cum Fig. æn. 1.

Cum illi eruditissimorum hominum Commentarii, qui de S. R. G. Imperii Officialibus summis & sub-officialibus hæreditariis exponunt, benevolis fuerint animis accepti, Celeberrimus Autor operæ se facturum putavit pretium, si de Officialium hæreditariorum in provinciis singularibus Germanici regni originibus, statu, feudis, servitiis, juribusque, quæ cursim legerat, Commentatione Academica conjuncta, patriarum rerum juriumque cultoribus exhiberet. Nec hæc sine laude congessit, ordine eo, quem jam indicabimus. *Capite I* de origine Officialium hæreditariorum procerum Germaniæ, hisque datorum feudorum, disquirens, Carolingis primis imperantibus, Episcopos, Duces, ad similitudinem Domus Augustæ & regiæ officia ordinata, cumprimis Dapiferos, Pincernos, Mareschallos, & Camerarios, habuisse, affirmare vix audet. Saxonicorum certe Regum & Imperatorum Diplomata condocere, asserit, Ecclesiasticos Proceres ad splendorem curiæ suæ adhibuisse Officiales, inprimis quatuor illos communes, quos, regnum tenentibus Francis & Suevis, curias procerum Germaniæ ornasse, Constitutio de expeditione Romana satis comprobat. Nec solum *Conradi III*, Regis Romanorum, & *Friderici I*, Imperatoris, ævo frequentes jam Officiales fuisse, permulta loquuntur Diplomata, sed Augustos quoque Comitibus vel Abbatibus, in Ducum vel Principum ordinem imperiali gratia evectis, certos attribuisse quosdam Officiales, vel, ut hi novi Principes, quos sibi fidos gratosque haberent, hoc honore ornarent, benigne permisisse, ex Diplomatibus constat. His Officialibus ad morem ævi medii successu temporis a dominis quædam stipendiaria data sunt. Hinc *Capite II* de constitutione & natura feudorum, Officialibus hæreditariis datorum, locuturus Clar. Autor,

Marginalia: Cap. I. (beside "cursim legerat…"); §. 3. (beside "hisque datorum…"); 5. (beside "audet. Saxonicorum…"); 6. (beside "communes, quos…"); 10. (beside "sisse, ex Diplomatibus…"); Cap. II. (beside "rum, Officialibus…")

 illa

illa ita definit, quod ſint officia, & dignitates, hisque conjuncta prædia & jura, a Dominis perſonis habilibus ſub lege beneficiaria, & fidei vaſalliticæ, ac ſervitiorum, data, opti-
§. 1. me tamen monens, officia hæc in primis incunabulis ſal-
2. tem ſub jure curiæ conceſſa, ſucceſſu autem temporis naturam feudorum conſecuta eſſe. Pergit *Capite III* ad perſo-
Cap. III. nas, feuda Officialium concedentes, & acquirentes, docetque, Imperatores Auguſtos, Regesque Germanorum, ab initio con-
§. 1. cedendi jus & conſtituendi habuiſſe, eandem tamen facultatem ſacri ſecularisque ordinis Principes & Proceres vel Auguſtorum munere, vel uſu ac obſervantia, adeptos eſſe, nec
2. cum illuſtri Fridericianæ Academiæ Cancellario, *de Ludewig*, differentiam inter ſeptem Archi-Principes regni Germa-
3. niæ aliosque Proceres admittit. Comites quoque S. R. I. Officiales curiæ conſtituendæ habuiſſe facultatem, contra diſſen-
5. tientes aſſerit. Officiales autem ipſos Miniſteriales fuiſſe, nec
7. civilis ordinis viros unquam has ad dignitates admiſſos eſſe,
11. monſtrat. De rebus, Officialibus hæreditariis in feudum dari
Cap. IV. ſolitis, *Capite IV* agens, & corporales & incorporales, nec
§. 1. primum adeo amplas & optimas, datas fuiſſe, dein prædia,
2. cum & ſine caſtris, annuos reditus, ut & jura varia utilia &
3. 4. honorifica, ad quæ tamen jus res morientium Epiſcoporum
5. 7. 8. capiendi perperam olim trahi voluit, in feuda Officialibus hæ-
6. reditariis conceſſiſſe, recentiori autem ævo officia hæreditaria ſaltem quoad honores collata, & quædam certis in ſolennitatibus emolumenta, loco dominii utilis, aſſignata eſſe, variis
10. probat exemplis, quæ ex Diplomatibus & inveſtiturarum lite-
Cap. V. ris eruta ſunt. *Capite V* de Officialium hæreditariorum ſer-
§. 1. vitiis ſollicitus, primum officii legem hanc fuiſſe cenſet, ut dominorum ſuorum gloriam tenerent, iisque honeſto loco, gradu, & ordine, deſervirent, quam primam omnium vaſallo-
2. rum legem ſemper fuiſſe, nulli dubitamus. Inprimis Palati-
4. 5. 6. na ſervitia Officialibus hæreditariis incumbunt, militaria ta-
7. men quoque ſervitia, quin & judicialia, a quibusdam præſtita eſſe, conſtat. In Comitiis provincialibus munia ſervitiaque quædam ab illis obſervantur, nec non ad obſtagium pro dominis quondam ſe obligabant, eorumque pacta ſacramentis

con-

confirmabant. Ordo, secundum quem vel senior, vel alius gentis, de officio hæreditario & feudo officiali investitæ, servitia consueta præstat, non ubivis idem est, per substitutum autem idoneum servire juste impeditum potuisse, constat. Addit Cel. Autor *Capite sexto* observationes varias, ad argumentum hoc pertinentes. Tandem designatio Archi- & officialium hæreditariorum, procerum, & provinciarum Germaniæ, finem Opusculo imponit, additis ubique testibus, quos enumerationi Officialium hæreditariorum, insertæ *dem Europaischen Staats-Titular-Buch Cap. VIII pag. 892*, non adjecit *Jo. Christian. Lünigius*. Laudem meretur haud exiguam præstantissimi Autoris diligentia in conquirendis subsidiis, hoc argumentum illustrantibus. Sed, cum omnia nondum ad lucem provenerint documenta, quæ de Officialibus hæreditariis agunt, non deerunt adhuc plurima addenda. Sic nobis constat, Principatus Verdensis esse Mareschallos *Behrios*, Ducatus Luneburgensis Mareschallos *Medingios*, Pincernas *Behrios*, officiumque, quod vocatur *Putker-Ambt*, a *Spœrckiis* administrari, quorum omnium nulla apud diligentissimum Autorem mentio facta est. De successione illustrium in officiis hæreditariis familiarum disquisituris, magna quoque seges relicta est, cum pauciores a prima feudorum officialium origine ad nostra usque tempora has dignitates sua in gente continuaverint. Dubitandum igitur non est, Autorem eruditissimum, si copiosiora ipsi subministrata fuerint subsidia, ditiorem aliquando instructioremque libellum hunc, sic satis comtum & politum, nobis daturum.

NOVA LITERARIA.

Nobilissimum *Jani Gruteri* Opus, *Fax seu Lampas bonarum artium* inscriptum, quo tam selectæ doctissimorum Virorum in veteres Autores Animadversiones criticæ continentur, ut vere dici eo nomine omnis eruditionis thesaurus possit, cum rarius hoc ipso tempore quærentibus obveniat; hinc, novam ejus, in commodum rei literariæ, editionem parari, non pauci ab aliquo inde tempore serio vehementerque optarunt. Quorum ne in irritum caderent desideria, providit jam demum

demum optimus Panormitanæ urbis civis, *Joannes Felix Palesius*, cujus cura operaque laudabili *prius* illius *Lampadis*, bipartito prodituræ, *Volumen* denuo, forma majori, habituque sat splendido, in lucem exiit. Ejusdem studio sub exitum hujus anni *alterum* sequetur, cui feliciter perficiendo commodam Editori doctissimo valetudinem, & rerum omnium prosperrimos successus, comprecamur. Nihil editio hæc nova, si ordinem & copiam Scriptorum spectes, a priori differt. At præcipua ei quædam decora ab accurato Autorum, quorum loca obscuriora explicantur, Indice, eorundemque Vitis luculentis, & novis nonnullis Annotationibus criticis, denique ab elegantia typorum, accesserunt. Præterea subjunget Editor Clarissimus universo huic Operi Supplementum bonæ frugis plenum, quo, quicquid ad augendum & perficiendum hunc thesaurum ulla ex parte videri possit pertinere, abunde repositum invenient Lectores. Si qui mature comparare sibi Opus hoc egregium voluerint, his utendum est opera *Antonii Panto*, Juris Canon. & Publ. in Regio Burboniensi Collegio Professoris, qui, ne quis frustra illud expetat, per humanitatem suam curabit.

Genevæ fratres *Turnesii*, non ignobiles Typographi, laudabile consilium ceperunt, denuo edendi, & in justum quoddam corpus redigendi, quæcunque exstant scripta Celeberrimi Halensium doctoris, *Friderici Hoffmanni*, immortalis famæ Viri, & inter Medicos ætatis nostræ principes summo jure connumerandi. Ferent illi eo nomine a bonis omnibus hoc certiorem plausum, quod magnum hoc & nostra dignum ætate Opus Autore ipso non solum non renuente, sed suadente etiam, & manus præbente adjutrices, sint daturi. Ab hujus enim facile humanitate impetratum est, ut scripta ipse sua omnia, partim jam olim edita, eademque sua manu emendata passim, copiosisque accessionibus ditata, partim nova, & nunc primum lucem publicam visura, liberaliter Genevam transmitteret. Omnia hæc *Tomos sex* implebunt, in quorum fronte Lectores alliciet Ill. Autoris elegantissima imago, Parisiis in æs incisa, & ad nummum, quo olim potentissima Prussorum Regina venerandum hunc ætate meritisque Senem donavit, feliciter expressa. Præfationem, & Conspectum totius Operis, ipse Autor præmittet, qui & Dissertationes suas seu Opuscula minora, variis in locis edita, in concinnum & argumentis convenientem ordinem rediget, novisque nonnullis, magno usui futuris, locupletabit. Curabunt Editores, ut omnia nitidissime excudantur, & sub initium anni proximi Opus integrum in lucem exeat.

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Junii Anno MDCCXXXVIII.
Pars II.

CEREMONIES ET COUTUMES RELIGIEUSES de tous les Peuples du monde, &c.

h. e.

RITUS SACRI OMNIUM TOTIUS ORBIS gentium, repræsentati Figuris splendidis, in æs incisis manu BERNARDI PICARDI. Accesserunt harum Figurarum explicatio historica, & Dissertationes aliquot lectu dignæ.

Tomus I & II.

Amstelodami, apud Jo. Frid. Bernardum, 1723, fol. reg. Tom. I P. I Alph. 1 plag. 16, Tab. æn. 13, P. II Alph. 2 plag. 6, Tab. æn. 22, Tom. II Alph. 3 plag. 7½, Tab. æn. 27.

Initium dicendi facimus de Opere, si formam variique generis ornatum spectes, magnifico & splendido, si argumentum rerumque optimarum apparatum, illustri & egregio, ante complures annos incepto, sed nuper demum, nemine non plaudente, ad finem optatissimum perducto. Anno hujus Seculi vigesimo Vir optime de arte sua merens, *Bernardus*, publicas instituti hujus vere nobilis & prorsus

laudandi tabulas emisit, quibus, in *quatuor Volumina* totius orbis cerimonias, cum sacras, quæ vel casu, vel studio, fuerant invectæ, tum civiles, quæ in eligendis & coronandis Regibus, in ludis gymnasticis ac theatralibus, triumphis & ovationibus celebrandis, creandis equitibus, mutuo hominum commercio, vestituque vulgari aut elegantiori, adhiberi consueverunt, redacturum se, recepit. Verum per se patet, & suscepto ipso opere apparuit, ampliorem esse hunc campum, quam qui tam angustis concludi posset limitibus. Itaque, mutato aliquantulum consilio, *quatuor Voluminibus* solos ritus sacros complecti destinarunt Autores. Sed nec illa exhauriendæ dignissimarum rerum copiæ suffecerunt. Exstant enim nunc *septem* integra *Volumina*, doctissimis Dissertationibus ornata. Fieri itaque potest, ut totidem pluresve *Tomi*, qui ritus civiles tradant, subsequantur. Præmissa est Operi universo copiosa Præfatio, varia scitu digna, quæ pertinent ad institutum hoc perficiendum, sed quæ postea ex parte immutata sunt, exponens. Sequitur hanc Dissertatio præliminaris de cultu religioso, quæ, omnes fere gentes in præcipuis Numinis colendi ritibus, si eos exceperis, quos divinum nobis mandatum injunxit, convenire, & eundem omnes finem sibi propositum habere, docet. Adducuntur hic antiqua nonnulla Græcorum Romanorumque monumenta, quæ unde sint desumta, nec docemur ab Autoribus, nec est strum, divinando assequi. Sunt autem templum Pomonæ, aspergilla, quibus lustrabantur veteres, magnum *Herculis* sacrificium, Pietatis cultus, quem fœmina velata perficit, Anubis sacra, mithra Phrygia, *Severus* Imperator, qui velatus sacris operatur, & nummi quidam nonnulli, qui varios supplicantium gestus exprimunt. Hæc in limine Autores eum in finem attulerunt, ut; ostensa generatim religionis facie, vel rudioribus, in quorum gratiam hoc Opus prodiit, facem præferrent, cujus ope dispellere tenebras, & cognoscere ea, quæ in cujusque gentis fide videntur horrida ac salebrosa, possent. Accedunt jam ad rem ipsam propius, & Judæorum sacra

cra primo nobis loco exhibent, ejus quippe gentis, quam ſatis conſtat inter omnes primam divina gratia, quin & alloquio, donatam, præceptisque cœleſtibus imbutam. R. *Leonis Modenenſis*, Archiſynagogi Veneti, libellus favere viſus eſt Autoris conſilio, qui communem eruditorum applauſum meruit, & plurium gentium ſermone, habituque vario, veſtitus prodiit. Elegantiſſime hunc ex Italico vertit gentis ſuæ inſigne ornamentum, doctiſſimus P. *Simon*, cujus potiſſimum verſionem, quæ hic legitur integra, ceteri interpretes ſecuti ſunt. Sequuntur tum ejusdem *Simonis* in *Leonis Libros V* Diſſertationes. Utrumque Opus merito doctiſſimum habetur, ſed in quo ea omnia, quæ pertinent ad Judæorum ſacra, fruſtra requiras. *Leonis* quippe libri, ſi molem ſpectes, breves ſunt, & parum copioſi; *Simon* vero nil aliud in Supplementis ſuis, quam Judæorum ſacra conferre cum Eccleſiæ ſuæ inſtitutis, voluit. Non itaque defuit Autoribus, quod Diſſertatione tertia de Judæis, e *Baſnagio* præſertim, *Buxtorfio, Prideauxio*, & aliis, exponerent. Eum vero in quavis gente ordinem tenent, prorſus commodum ac laude digniſſimum, ut primo fidei ortum, progreſſumque, ac dogmata, deinde ipſos ritus, deſcribant, quibus divinus generatim cultus conficitur. Idem faciunt in Judæis. Prima enim parte hujus Diſſertationis de Judæorum diſperſione, & decem illis tribubus, olim notiſſimis, de variis eorum poſt *Veſpaſianum* afflictionibus & fatis in utroque orbe miſerrimis, diſſerunt, nominantes etiam crimina, quorum, ſive jure, ſive injuria, poſtulati ſunt Judæi; quo pertinet, quod cæſos Chriſtianos infantes cruci affixerint, cruces ac imagines flagellis dehoneſtarint, hoſtias infamibus ac exſecrandis adhibuerint uſibus, ſortilegiisque ac incantationibus & veneficiis civitatum rerumque publicarum interitum moliti fuerint. Poſtea ad impoſturas deveniunt, quibus ementiti Meſſiæ, ut *Hakem*, *Zedekias*, *Shabbtai Sebi*, *Daniel*, aliique, deluſos contribules ſuos exagitarunt. Sanctos quoque Judæorum, eorumque miracula poſt deſtructum templum, enumerant, ut *Joſephum Gorionidem*, *Maimonidem*, *Judam Sanctum*, &

Uu 2 *Iſaa-*

Isaacum Castro de Tartas. Tum sectas Judæorum persequuntur, ut Karaitas, & Samaritanos, quos e *Morisoni* Itinere Sinaitico & Hierosolymitano describunt. Veri fontes, *Cellarius*, *Wolfius*, *Triglandus*, *Schupartus*, non comparent, quos an ignoraverint Autores, incertum est, certum est, non consuluisse. Idem & aliis in locis observamus, ubi, neglectis genuinis fontibus, sublestam dubiamque Itinerariorum fidem exosculantur. Raro hic Latinum scriptorem, raro Anglum, raro Italum, nisi Gallice versum, nunquam fere Germanum, offendas. Adeo tamen iniqui judices non erimus, ut Autores nostros iis adjungamus, qui parum instructi librorum apparatu, aut imperiti linguarum, aut veris destituti sapientiæ præsidiis, eminere tamen in doctorum subselliis, & celebrari inter pocula, gestiunt. Delicatæ scilicet & fastidiosæ genti erat inserviendum, cui operam suam Autor addixerat. Galliam, quis ignorat, eorum abundare proventu, qui, cum ultra vernaculam vix sapiant, cetera omnia, e Græcia, e Latio, aut aliunde, allata, contemnunt, & indigna putant suæ gentis elegantia, quæ adscito carere fuco possit, suisque sola radiis exsplendescat. Sed ulterius progrediendum est. Sadducæi succedunt, & Pharisæi, &, qui superiore Seculo, duce quodam *Seidelio*, Silesiam turbabant, Semijudæi, nec non Angli quidam Christiani, ob insigne Sabbati studium Sabbatarii dicti, Chinenses etiam Judæi, & duplex, quod alit Belgium, horum genus, Lusitano-Hispanorum, & Germano-Polonorum, qui, ut ritibus nonnihil diffident, ita intestinis simultatibus odioque internecino divelluntur. Parte secunda tertiæ Dissertationis triplici opera cerimoniæ Judæorum pertractantur; & primo quidem loco illæ, quæ consilia, & loca, ministrosque sacros spectant, ut Sanhedrin, quod revixisse Anglus quidam ait in Synodo, superiore Seculo in Hungaria circa Budam habita, ad quam plus quam trecenti Judæorum doctores confluxerint, omnes indubiis genealogiis, & Hebræi sermonis peritia instructi, ut inter se de Messia disputarent; quæ res eo tandem devenerit, ut non cœtu tantum suo ejicerentur, qui affirma-

firmarent, Messiam jam venisse, sed Jesus Christus etiam diris publice devoveretur. Sed merito Autores nostri relationem hanc in dubium vocant, & compluribus argumentis refellunt. Synedrium vicinitate tangunt Synagogæ. Illarum ut notitia daretur, structura Chinensis cujusdam, ductu *P. Gozzani* e *Collect. VII Liter. adific.* & dedicata A. M. 5435, id est, A. Ch. 1675, Amstelodami Synagoga Lusitanorum magnifica, describuntur. Neque etiam Academiæ & Scholæ, & in his docentium electio & tituli, ministrique Ecclesiæ, ut *Chazan*, *Sciamas*, *Popam*, *Cohen*, &c. negliguntur. Tum vestes sacræ, *Tallid*, *Zizith*, *Tephillin*, nominantur; &, quæ sint benedictiones, preces, eleemosynæ, vota, confessiones, pœnitentia, continentia, jejunia, pœnæ, a communione publica segregatio, copiose exponitur. Explicantur deinde festi dies, publicaque & privata religionis exercitia, ut Sabbatum, novilunia, anni auspicia, dies expiationis, pascha, pentecoste, tabernaculorum & legis gaudia, Chanuccah, lectiones legis, die Martis ac Jovis sancitæ, quibus melius tenendis apprime inservit Calendarium, e *Basnagio* adjectum. Tandem ritus aliquot sacri percensentur, ut receptio proselytorum, circumcisio, redemtio primogenitorum, infantum educatio, sponsalia, divortia, luctus, leges vitæ bene ac honeste instituendæ, denique, jusjurandum, quo ex avitis castris Judæi in nostras partes transeunt.

Altera prioris hujus *Tomi Parte* Ecclesiæ Judaicæ e vestigio succedit Christiano-Romana. Nec immerito. Ea enim illa est, quæ de vetustate cum aliis certat, pollet autoritate, asseclarum numero alias antecellit. Quorum e numero esse Autorem sive Autores nostros, (nam, unusne, an plures, sint, haud satis constat,) nemo dubitabit, qui legerit statim in Præfatione generali, modo Lojolitas immensis laudibus extolli, modo famosam inquisitionem magnopere defendi, aliis vero in locis nunc illibatam doctrinæ catholicæ veritatem summopere commendari, nunc spreta nostris temporibus ac elusa defleri Vaticani Jovis fulmina, quæ totum olim orbem quassaverint. Alia, quæ

fidem nobis faciant, documenta *tertius Tomus* sat larga copia subministrabit. Jam, quomodo Ecclesiæ suæ primum dogmata, deinde ritus, tradant Autores, dicemus. Hic ad voces quasdam barbaras nolimus exhorrescat Lector, quas necessario intrusimus, vitium obscuræ dictionis evitaturi. *Dissertatione* igitur *prima* Christianæ doctrinæ compendium, & Pontificiæ quoque e *Bossueto*, exhibent, breviterque de Jansenistis & Quietistis disputant, quos huc jure suo retulisse sibi videntur, cum, e Romanæ sedis sinu enatos, omnes pronuntient. *Dissertatio secunda* Cerimonias Romanas e *Pontificiali, Cerimoniali Romano, Rituali Aleti, Casalio, Bauldrio, Pescara, le Vert*, Cardinale *Bona, & P. Bonani*, delineat. Agit scilicet de capite Ecclesiæ universali, Christo, ejusque vicario, id est, Papa, hujus potestate, & eminentia, Conciliis, Synodo provinciali, Pontificis jurisdictione & electione per Cardinales, in conclavi instituta; Consistorii celebratione, processu ad S. *Petri*, ædicula Papæ, prout descripsit eam *P. Bonani*, missa, & triginta quinque ejus peragendæ modis, præsertim missa magna & mortuorum, crucis cultu & consecratione, festis, imaginibus, benedictione vestium sacrarum, homiliis, aris, calicibus, patellis, sole, in quo Eucharistia (*Monstranz*) asservatur, thuribulis, mappis, fasciis, thecis linteorum, velis, Ecclesiarum fundatione; structura, dedicatione, rituque reliquias Sanctorum in aris deponendi. *Dissertatio tertia* devotiones Ecclesiæ Romanæ producit, ut agnos Dei, canonizationes, quibus illustrandis affertur illa solennis processio, qua A. 1712 d. 22 Maji quatuor Sancti declarati fuerunt, *Pius* scilicet *V*; *Andreas Avellinus, Felix de Cantalice, Catharina* Bononiensis, porro Sanctorum, præsertim B. Virginis, cultus & vis in humanas res, aperta clavo aureo Porta sancta, peregrinorum concursus ad loca celebrata, indulgentiæ, confraternitates, preces, pœnitentiæ, reliquiarum cultus, translatio, potestas, & criteria.

Quæ *Tomo secundo* sequitur, *Dissertatio quarta* festos dies, & Sacramenta septem, describit, exhibitoque integri anni

Ca-

Calendario, ſolenniorum feriarum originem ac ritus peculiares latius enarrat, Sacramentorum autem nomine omnia commode complectitur, quæ ad ſacrum fontem, Euchariſtiam, unguenta, funera, nuptias, ordinem ſacrum, Monachos, Epiſcopos, Cardinales, ipſumque maximum Pontificem, ſpectant, cujus curia tanta eſt amplitudine, ut, copioſo quodam Supplemento ejus ſingula membra, ordinem, munia, reditus, dignitatem, e *Lunadoro* deſcribi, neceſſe fuerit. Succedunt Anonymi Commentarii hiſtorici de Inquiſitione, ſtipati Diſſertatione Autorum noſtrorum, qua vel omiſſa ſupplentur, vel errores caſtigantur. Finem facit *Acte de Foy*, ſeu index nominum, quæ inquiſitionis codicillis fuerunt inſcripta, & pœnarum inflictarum, promulgatus Ulyſſipone d. 6 Nov. A. 1707 ſub Inquiſitore generali, *Dom Nunno de Cunha d'Ataide*. Commentariorum horum cuique quaternioni ſubſcriptum eſt: *Tom. I*, & in fine hæc leguntur: *Finis ſecundæ Partis Tomi I.* E quibus apparet, aut editoris fuiſſe mentem, ut, quæ *Tomum ſecundum* nunc conſtituunt, *Tomo primo* adderet, aut Commentarios ſaltem de Inquiſitione fuiſſe impreſſos ante *Diſſertationem quartam* & Supplementum de Curia Romana. Quod ipſum tamen nobis minime ſit veriſimile. Videtur potius Librarius, cum excreſcere videret libri molem, divulſiſſe, quæ cohærebant, & in *Tomos* ſeparatos diſtribuiſſe. Tanti erat, invidendam Romæ ambitionem celebrare. Quis neget jam, vitam animamque Pontificiæ religionis in externis cerimoniis conſiſtere? Nulla ſane alia tanto ſplendore, tam exquiſita pompa, tam magnifico habitu, ſpectatorum præſtringit oculos, mentes ſuſpendit attonitas, allicit ignaros, hebetes obtundit.

ANNALES MINORUM, SEU TRIUM ORdinum a S. Franciſco inſtitutorum, Autore A. R. P. LUCA WADDINGO, Hiberno, S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo. Editio ſecunda, locupletior & accuratior, opera & ſtudio R. P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA

SECA AB EBORA, S. T. Lect. Jubilati, S. & V. Inquisitionis Consultoris, S. C. Consistor. Votantis, Episcop. Examinatoris, Ord. Discreti & in Rom. Curia Commiss. Generalis.

Tomus IX = XII.

Romæ, typis Rochi Bernabo, 1734, fol.
Tom. IX Alph. 7, Tom. X Alph. 6 plag. 18, Tom. XI Alph. 6 plag. 9, Tom. XII Alph. 7 plag. 8.

Operis *Waddingiani*, non semel nobis laudati, *Tomus IX*, ab A. 1377 usque ad A. 1417, præter cetera enarrat,
Pag. 4. *Fridericum III*, Trinacriæ Regem, & filium, Messanæ apud Minoritas tumulatos fuisse; *Ludovicum Donatum*, Cardina-
49. lem, ex Minoribus fratrem, cum duobus collegis ad *Carolum Dyrachium*, Siciliæ Regem, legatum, & *Ludovicum*, hoc tempore mortuum, in Ordinem Minorum propensissi-
71. mum fuisse; gentem Lithuanicam ad sacra Ecclesiæ Romanæ conversam, & primum in ea Episcopum *Andream* Mino-
91. ritam constitutum fuisse; aucta familia regularis observantiæ, auctam quoque fuisse fratris *Paulutii* Rectoris potestatem, qui sibi assumsit coadjutores regiminis *Francis-*
105. *cum Fabrianum*, *Joannem Stratonicum*, & alios; regularis observantiæ institutum in Lusitania introductum fuisse,
124. & in eodem regno inquisitionis officium peregisse Minoritas;
149. societatem fratrum peregrinantium in fidei obsequium in-
252. stauratam fuisse; S. *Bernardinum*, suscepto Minorum insti-
258. tuto, mire profecisse, & egregium sanctitatis exemplum præ-
267. buisse; Minoritas in regno Daciæ institutos Inquisitores; *Bernardinum* Senensem, admisso concionandi munere, miro
323. animarum profectu per Italiam discurrisse; *Alexandrum V*, ex ordine Minorum, depositis *Gregorio* & *Benedicto*, in Concilio Pisano legitime factum fuisse Pontificem, & in aliquot Galliæ provinciis Franciscanum Inquisitorem constitutum;
354. *Joannem XXIII* Pontificem Minoritas in Bosniam, Russiam, aliosque locos, fidem disseminaturos misisse, & ex iisdem
385. in Portugallia & Algarbiis Inquisitorem instituisse; *Jacobum Pice-*

Picenum, ad Ordinem receptum, multis floruisse virtutibus; Pag. 390.
in Concilio Constantiensi *Hieronymum Pragensem* condemnatum. In fine ex præscripto apparet Regestum Pontifi- 401.
cium, quod habet Bullas, Pontificum rei inservientes.

In *Tomo X*, qui est ab A. 1418 usque ad A. 1436, ea maxime sunt commemorabilia, quæ *Joannes* ac *Bernardinus*, ex familia Observantium, hic quidem in Italia, ille vero in universa Europa, gesserunt. Interim in hoc ipso *Tomo* cumprimis explicatur, *Martinum V* Pontificem in plerisque partibus Galliæ Mino- 1.
ritam, in hoc officio diu versatum, Inquisitorem instituisse; 33.
possessionem locorum terræ sanctæ Minoritis confirmatam; in regnis Daniæ, Norwegiæ, & Sueciæ, Inquisitorem Minori- 47.
tam constitutum; societatem peregrinantium in partibus Russiæ, Godoliæ, Walachiæ, profecisse; *Petrum de Fuxo*, Cardi- 86.
nalem Minoritam, missum fuisse Legatum in Arragoniam ad reliquias schismatis exstinguendas; multos Minoritas ad varias Græcorum regiones abiisse, fidem propagaturos; *Petrum de Fuxo*, Cardinalem, secunda functum legatione ad Arragonios, 138.
reliquias perniciosi inveteratique schismatis sustulisse, Concilium indixisse, mores Cleri reformasse, Regesque Hispanos reconciliasse; solennissima totius Ordinis Comitia Assisii habita, 147.
in iisque *Antonium de Massa*, Ministrum generalem, ab officio remotum, & in ejus locum *Guilielmum de Casale* substitutum; multa pro universi Ordinis potiore regimine & integra unione ordinata; *Eugenium IV*, Pontificem, impensius Fra- 177.
tribus observantiæ favisse, eisque in pristinam libertatem restitutis, sacrum Alverniæ montem confirmasse; Minoritis, in principatu Bosnensi laudabiliter operantibus, privilegia con- 208.
cessa; Minoritas missos, orientales ad Concilium generale in- 231.
vitaturos, & perpetuam pacem inter quatuor Ordines mendicantes decretam fuisse; *Sigismundum* Imperatorem, adjutore 268.
Jacobo Piceno, finem imposuisse rebellioni & tumultibus Bohemorum. Agmen in hoc, ut in reliquis *Tomis*, claudit Re- 285.
gestum Pontificium, in quo repræsentantur Pontificum Bullæ, Minoritis datæ. Sunt etiam singulis *Tomis duo* Indices

dices additi, quorum unus initia Bullarum, in unoquoque Volumine allatarum, refert, alter vero res memorabiles ſignificat.

Pag. 1 ſeq. *Tomus XI*, ab A. 1437 usque ad A. 1447, commemorat Synodum, quam *Eugenius IV* Pontifex pro ſtabilienda unione Latinæ & Græcæ eccleſiæ, Baſileenſibus valde obnitentibus, Ferrariæ habendam indixit, ſed quæ ex Ferraria
29. in Florentiam, graſſante peſtilentia, translata fuit, &, præſentibus *Eugenio* Pontifice, & Græcorum Imperatore, multisque ex ordine Minorum, celebrata, ac tandem, reductis
57. Græcis & Armenis ad unionem eccleſiæ Latinæ, abſoluta eſt; hinc *Albertum* Sarbianenſem amandatum, ut ad ean-
96 ſeq. dem unionem alliceret Æthiopas, aliasque nationes; *Guilielmum*, generalem Miniſtrum, *Joannem Capiſtranum*, & *Petrum*, Cardinalem Fuxenſem, impigre pro *Eugenio* Pontifice contra *Felicem* Anti-Papam apud Principes laboraſſe; *Jacobum de Primaditiis* & *Anſonium Trojanum* Commiſſarios ſedis Apoſtolicæ ad diverſas nationes Orientales amandatos;
119 ſeq. *Albertum* Sartianenſem Jacobinos ad Romanæ eccleſiæ unionem perduxiſſe, ac *Bernardinum* Senenſem ſibi aſſumſiſſe co-
156 ſeq. adjutorem *Joannem Capiſtranum;* mortuo *Guilielmo*, Generali Miniſtro, Vicarium inſtitutum eſſe a Pontifice *Albertum* Sartianenſem, controverſiamque Pariſienſem circa promo-
175 ſeq. vendos decreto Pontificio diremtam; *Eugenium*, Florentia Romam reverſum, ſuaſoribus Minoritis, exercitum contra Turcas coegiſſe, & in plenis Comitiis Conventualium & Obſervantum Miniſtrum Generalem electum eſſe *Antonium a Ruſconibus*, conſtitutis Vicariis Obſervantum *Joanne Capi-*
189. *ſtranenſi* & *Joanne Mauberto*; plurimos Minoritas miſſos eſſe ad colligendas contra Turcas copias auxiliares & ad par-
233. tes Orientis de terra ſancta recuperanda; duo graviſſima exempla divinæ vindictæ in Minoritam unum, de ſua virtute ſuperbientem, & in alterum, gulæ indulgentem, apparuiſſe; defuncto *Juliano*, Cardinali, Ordinis Protectori, ſubſtitutum *Do-*
250. *minicum Capranicum*, Cardinalem; *Eugenium* gravi conſtituto

ſepa-

ſeparaſſe Obſervantes a Conventualibus, & Minoritas in principatu Boſnæ, aliisque provinciis, & inter Ruthenos, fidei tuendæ & amplificandæ ſolerter invigilaſſe; *Eugenio* Pontifici Pag. 269.
ſatis functo ſucceſſiſſe *Nicolaum V*, eique *Joannem Capiſtranum* prædixiſſe dignitatem, ac Fratribus Vicariæ Boſnenſis, in negotio fidei laborantibus, multa a Pontifice conceſſa.

Tomus XII, ab A. 1443 usque ad A. 1456, recenſet *Petri* 1 ſeq.
Regulati geſta; *Philippi Norreys*, Mendicantium Ordinum infeſtiſſimi hoſtis, contumaciam infregiſſe Pontificem, & cauſam canonizationis *Bernardini* promoviſſe; Schiſma *Felicia-* 20.
num, redeunte *Amadeo* Sabaudico ad eremum Ripaliæ, exſtinctum eſſe, Patresque Conventuales ſua celebraſſe Comitia, & Obſervantes ſub ſuam poteſtatem redigere tentaſſe; in ſo- 51.
lenniſſima Jubilæi & Pentecoſtes celebratione canonizatum eſſe *Bernardinum*, atque ingenti Fratrum concurſu habita Ordinis Comitia, in iisque electum Generalem Miniſtrum *Angelum Serpetrium*, Peruſinum; *Joannem Capiſtranum*, *Fride-* 78.
rico Imperatore deprecante, in Germaniam miſſum, patratis miraculis in Bohemiam profectum, &, converſis multis Huſſitis, hoſtem acerrimum expertum eſſe *Joannem Rochyzanam*, & 121.
Cardinalem Cuſanum ſedis Apoſtolicæ Legatum monuiſſe, ut caute agat cum *Rochyzana*, (cujus vita & dogmata explicantur,) atque Vratislaviæ & Olomutii fructuoſe concionatum eſſe, tertiumque a Rege & Cardinale Cracovienſi vocatum in 162.
Poloniam, multa populis præſtitiſſe beneficia; *Jacobum* autem *Picenum*, impeditum, ne in Boſnam pergeret, honorifice in Italia habitum eſſe, magnamque contra Obſervantes conſpirationem conflatam; *Joannem Capiſtranum* Principes Ger- 194.
maniæ ad Chriſtiana fœdera contra Turcas excitaſſe, cum Rege *Ladislao* de aditu in Boemiam conſtanter egiſſe, atque ad longinquas partes a Regibus vocatum, negotio fidei totum invigilaſſe; ad conventum in civitate nova habendum vo- 239.
catum fuiſſe, atque a multis rogatum, in Hungariam profectum eſſe, ibique dejectos Principum animos in meliorem ſpem contra Turcas erexiſſe, & laboranti Obſervantum inſti-

Pag. 315. tuto fuccurriffe; Valachos ad ecclefiæ unionem reduxiffe, fraudes Boemorum circa confirmanda compactata detexiffe, Legato Apoftolico multa contra Turcas, tandem profligatos, cooperatum effe, ac denique mortuum facros honores ex decreto confecutum; componendis Conventualium & Obfervantum controverfiis *Calixtum* grave fcripfiffe conftitutum. Singulis *Tomis* fubjiciuntur primo Regeftum Pontificium, in quo exhibentur Pontificum Bullæ, Minoritis datæ; deinde Index, qui initia Bullarum, in unoquoque Volumine allatarum, refert, denique rerum memorabilium Index.

Johann David Köhlers, P. P. im Jahr 1729 wöchentlich heraus-gegebener Historischer Müntz-Belustigung erster Theil, &c.

h. e.

JO. DAVIDIS KOELERI, P.P. HISTORICARUM Amœnitatum, ex numis perceptarum, A. 1729 per hebdomadas fingulas editarum, Pars I; in quibus varii memorabiles & rariores thaleri, ducati, numifmata majora, quadrata ac angulofa, nec non alii fingulares ex auro & argento numi, ætatis multiplicis, fummatim LXIV numero, in æs incifi, defcribuntur, & ex Hiftoria fufius exponuntur, una cum Præfatione de JO. JACOBI LUCKII Sylloge Numifmatum, Supplementis nonnullis, ac gemino Indice.

Norimbergæ, typis viduæ B. Chriftophori Weigelii, fenioris, 1729, 4.

Alph. 2 plag. 6.

Quotquot Cel. *Kœleri* exquifitam norunt in rebus hiftoricis, Juris publici, bibliothecaria, & numifmaticis, peritiam, eis jam ex titulo libri apparet, nihil nifi egregium in hac Collectione, quæ *Frobenio Ferdinando*, Principi Furftenbergico, fuit infcripta, reperiri. Arrifit Viro Cel. inftitutum hebdoma-

domadarium, quo singulis hebdomadibus unum numum memoratu digniorem illustrandum & exponendum suscepit, quem nitide æri incidendum curavit primo, deinde descripsit, ac tandem commentario historico illuminavit, adjectis Historicorum in calce testimoniis summatim indicatis. Index librum reddit usui accommodatum. Præfatio exhibet tractationem de *Joannis Jacobi Luckii Sylloge Numismatum elegantiorum ab A. 1500 usque ad annum 1600. Luckius* enim fuit primus, qui de numis ac numismatibus novis scripsit historice, ac, hujus quoque instituti origines Germanis deberi, exemplo suo docuit. Fuerat *Reimmanni*, *Luckium* in Introductione ad Historiam Germanorum literariam non prætermisisse. *Luckius*, Argentorati natus, exstitit senior præfectus seu ambactus, *Eberhardi*, Domini Rappolsteinio-Stauffenbergensis, filius, quem obiisse A. 1653 anno ætatis suæ 79, *Wittius* in *Diario biographico* commemoravit. In grammatophylacio Argentoratensi latent Annales Rupispoletani, quos, ab ipso inchoatos, filius *Fridericus Gallus Luckius* continuavit. *Luckianum* numophylacium Regina Sueciæ *Christina* pretio acquisivit, Romamque jussit transferri, a qua illud transiit ad Cardinalem *Azolini*, ab hoc ad Principem *Livium Odescbalci*, ab eo ad Cardinalem *Ottoboni*, & ab hoc ad Ducem Aurelianensem *Philippum*. *Luckius* A. 1606 d. 6 Aug. instituit illud colligere 6 baiocis (*batzen*), ac id vocavit *antiquitates* suas. Ipse edidit *Syllogen Numismatum elegantiorum, quæ diversi Imperatores, Reges, Principes, Comites, Respublicæ, diversas ob causas, ab anno 1500 ad annum usque 1600 cudi fecerunt, concinnatam, & historica, sed brevi, narratione illustratam, cum gratia & privilegio sacræ Cæsareæ Majestatis, Argentinæ, typis Reppianis*, 1620, sumtibus ipsius Autoris, in folio, Alph. 4 plag. 6½. Editionem alteram A. 1650 in folio fuisse adornatam, editamque Francofurti ad Mœnum, sunt, qui tradiderunt. Editionum A. 1620 procuratarum duæ inter sese differunt. Differentias enumeravit Autor. *Luckius* sumtibus suis librum excudendum curavit, ac

ac ex eo sese ad paupertatem fere præcipitavit. Numos exhibuit ordine chronologico 408, chalcographo *Petro Aubry*. *Biæus* ac *Strada* numorum typos nonnunquam finxit. *Tentzelius* id vitii quoque tribuerat *Luckio*, quem tamen & Autor, & *Heræus*, defenderunt, licet *Luckius* omiserit indicare, ex quonam metallo quivis numus percussus aut fusus fuerit. Numi nomine species quaslibet designat, non ostendens, an thalerus, an numus alius, sit intelligendus. Expositiones historicas numismatum direxit Professor Argentinensis, *Matthias Berneggerus*, non adornavit, licet ita visum fuerit *Placcio de Scriptoribus pseudonymis num. 1628 pag. 427*. Paravit *Luckius* quoque edere seriem numorum inde ab A. 1400 usque ad 1500, sed ille labor intra spei cancellos substitit. Hæc præfatus est Cel. *Kœlerus*, qui ad Chronologiam ipse haud adeo attendit, ac, licet numophylacio haud sit instructus, egregium tamen ex amicorum subsidiis apparatum exhibuit.

TAB. IV Fig. 1. *Fasciculus primus* conspiciendum præbet Ducatum Reginæ Hungarorum, *Mariæ*, A. 1382 percussum, cujus in antica apparet imago S. *Ladislai*, quondam Regis Hungariæ, stantis, coronati, nimbo sancto circa caput cincti, dextra prehendentis asciam bellicosam (*Streitbeil*), sinistra vero malum, imperii insigne, cum epigraphe in orbem adjecta: S. LADISLAVS REX. In postica apparet scutum bisectum, exhibens conjuncta Hungariæ & Neapolitani regni insignia, cum peri-
Pag. 1 seq. graphe: MARIA DEI. Gratia Rex. VNGARIE. *Mariam* illam æque ac *Hedewigem* Rex *Ludovicus* primus ac magnus, dominans Hungaris & Polonis, A. 1382 d. 13 Sept. defunctus, reliquit, ex altera uxore *Elisabetha*, Regia Bosniæ Principe, natas. Juniorem Poloni eligebant A. 1386 Reginam suam, eamque cum Duce Lithuaniæ *Jagellone*, Christianam doctri-
2. nam amplexo, matrimonio copulabant. Majorem natu Hungari diademate regali ornabant, licet *Elisabetha* mater gubernationem ipsam ob filiæ ætatem adhuc teneriorem procuraret, opera inprimis Palatini *Nicolai Garæ*, cujus ob ambitionem proceres reliqui consilia clandestina inierunt, dejiciendi


Mariam

TAB. IV. ad N

Fig. I.



Fig. IV.



Mariam de ſolio, ac *Carolum*, Regem Neapolis, reponendi. *Maria* inter hæc cum *Sigiſmundo*, Marchione Brandenburgi, celebravit nuptias. *Carolus* vero, in regnum invitatus & allectus, arte occupavit animos & ſceptrum, ac inauſpicato diadema uſurpare cœpit. Eodem anno 1386, die Roſarum, Reginæ, *Eliſabetha* & *Maria*, nec non *Nicolaus Gara*, inſtituerunt *Caroli* cædem, ac hic, dum in conclavi *Maria* legeret *Sigiſmundi* literas, a *Blaſio Forgatſch*, acinace in caput graviter inflicto, fuit occiſus. *Joannes*, Croatiæ præfectus, d. 25 Pag. 5. Julii inſidias hiſce necis autoribus ſtruxit, *Garam* & *Forgatſchium* telorum nimbo exſtinxit, *Eliſabetham* demerſit in amne Boſzut, *Mariam* in arcem Croatiæ Crupam deduxit captivam. Acceſſerat, dum hæc fierent, *Sigiſmundus*, *Mariæ* ſponſus, in regnum Hungariæ, ac Budæ ſuſcipiebat regnum; quare ipſam dimittebat *Joannes* inviolatam. *Sigiſmundus Joannem* inopinantem intercepit, ac Quinqueeccleſiis interventu forcipum ignitarum interimi juſſit. Obiit *Maria* tranquille A. 1392, ac *Sigiſmundus* regno præeſſe poſthæc haud deſtitit. Sed quid *Mariæ* fuit rei cum *Ladislao* Rege? Ipſe *Ladislaus* erat ſecundus *Belæ* Regis filius, qui fratri ſuo *Gayſæ*, defuncto A. 1077 d. 25 April. ſucceſſit in regno Hungariæ, ipſe defunctus variis bellis cum confinibus, ac turbis a depoſito Rege *Salomone* excitatis, ac vita A. 1095 d. 29 Jul. Ipſe ob famam ſanctitatis & miraculorum ab obitu editorum A. 1198 cœlitum ac eximiæ Beatorum, ſeu Sanctorum, ordinibus fuit adſcriptus. In numo geſtat manu altera ſecurem bipennem (*Streitaxt*), ſignum ſupremæ quondam apud Hungaros poteſtatis, ac altera *globum*, regni indicem. Hungari imaginem hujus *Ladislai*, & equeſtrem & pedeſtrem, numis ſuis, præcipue Ducatis, impreſſam, amarunt, & morem illum, venerationis erga patronum terræ ſuæ documentum, retinuere usque ad annum 1611, quo *Matthias II* imaginem ſuam in *Ladislai* locum ſubſtituit. In ſcuto apparent inſignia Hungariæ, conjuncta cum regni Neapolitani inſignibus. Conjunctionis illius origo arceſſenda eſt a *Carolo Martello*, filio Regis *Caroli II*, Neapolitani, ex gente Ande-

Andegavenſium orti, quem Papa poſt obitum ultimi Regis in-
teſtini Hungariæ, *Ladislai IV*, A. 1291 Regem Hungariæ,
Pag. 8. impoſito diademate, renuntiavit, ſiquidem *Caroli Martelli*
mater, *Maria*, *Ladislai IV* ſoror, & Regis *Stephani V*
filia, exſtiterat. Area illa cœrulea, aureis liliis numero in-
certo conſperſa, ad inſignia gentis regiæ Andegavenſis eſt re-
ferenda, ex qua *Carolus*, Dux Andegavi, filius Regis Gallia-
rum, *Ludovici VIII*, procreatus erat, cui regnum Neapolitanum
A. 1266 obtigerat. Ex hac ratione inſignia Andegavenſia
inde ab A. 1266 ad annum 1406 ſimul regno Neapolitano ex-
ſtiterunt propria. Ducatus ille, quem deſcripſimus, *Mariæ*
alibi haud facile occurrit. Amœnitati cuique numiſmaticæ
tandem Autor Cel. ſubjunxit Autorum nomina & loca, e qui-
TAB. IV bus deſcriptiones ſuas depromſit. In *Figura ſecunda* repræ-
Fig. 2. ſentatur numiſma *Sigiſmundi Pandulfi Malateſtæ*, Domini
Ariminenſis, qui erat filius *Pandulfi*, ac exſtruxerat templum
S. *Franciſci* ſplendidum in Arimini oppido A. 1450 ex voto,
uti ex poſtica pateſcit. Ipſe fuit ſpurius inclytiſſimi Medio-
lanenſis ac Venetorum Ducis bellici, *Pandulfi Malateſtæ*, Do-
mini Ariminenſis, Bergami, ac Breſciæ, natus A. 1416, patris ve-
ro ex deſiderio pro legitimo per *Martinum VI* declaratus, ac
interjecto tempore a *Sigiſmundo* Imperatore creatus eques
Pag. 10. Sacri Romani Imperii. Res ab eo geſtas omittimus, il-
lud addentes, literatis eum præſtitiſſe favores ſummos & pa-
trocinia, licet Dux bellicus eſſet exercitatiſſimus. Obiit A.
14. 1468 d. 9 Oct. ſepultus in templo illo S. *Franciſci*. Ter
16. uxorem duxerat eventu infelici, & tres reliquerat filios, ex
concubinis natos, *Robertum*, *Valerium*, & *Saluſtium*. In *Fi-*
TAB. IV. *gura tertia* exhibetur numus S. *Petri*, ſeu denarius, quem
Fig. 3. Angli Romano Pontifici pendere ſolebant, ſatis rarus. In
antica legitur epigraphe: SanCtI PETRI Moneta; in po-
ſtica: EBORACE CIVitas, in qua denarius fuit percuſſus. *Inas*,
Pag. 18. Rex Viſiſaxonum, A. 726, nono & trigeſimo regni ſui anno, Ro-
mæ condendum curavit pro natione ſua hoſpitium, ſcholam,
& templum, ac pro eorum conſervatione hominumque in eis
ali

ali solitorum edixit, ut quævis domus regni sui quotannis denarium exsolveret. Rex Merciæ, *Offa*, A. 794 idem edictum sanxit. Rex *Ethelwolfus* A. 854 eum morem universæ Angliæ indixit, quem Rex *Edgarus* A. 964 confirmavit, ac *Eduardus Confessor* renovavit, *Henricus* autem *VIII* A. 1534 sustulit. Primum Archidiaconi cujusque diœcesis Episcopalis denarium illum colligebant. Postea Pontifex quæstores Pag. 19.
eo fine singulares in Anglia habuit, e quorum numero floruerunt *Joannes Derlington* & *Polydorus Virgilius*. Præterea insignes ex Anglia reditus Pontifices ex Anglia acceperunt, ad 6000 usque marcas argenti quotannis excurrentes. Denarius *Petri* ab Hibernis anno demum 1159 *Henrici II* jussu fuit exsolutus. Ipse erat ex puro argento factus, cujus libra olim continebat 48 solidos, solidus vero 5 denarios, libra au- 21.
tem 240 denarios, æquavit pondere. Regnante *Henrico VIII* 45 denarii Petrini æquarunt pondus unciæ seu 2 lothonum argenti, libra vera 540 denarios. In quibusvis urbibus epi- 22.
scopalibus numi illi fuerunt cusi, Romæ deinde in alios numos transfusi. *Gregorius VII* in id incubuit, ut reliqua ecclesiæ occidentalis regna consimili ratione redderet tributaria. Lusitaniæ Reges & Poloniæ Rex *Casimirus*, nonnullos ejus- 23.
modi reditus Pontifici e suis regnis expensuros se, promisere. *Robertus Guiscardus*, Dux Apuliæ & Calabriæ, A. 1059 *Nicolao II* Papæ a singulis boum jugis terrarum suarum quotannis Pa- 24.
pæ 12 denarios Papiensis monetæ solvi jussit. In *Figura quarta* TAB. IV
occurrit *Alfredi*, Regis Angliæ, numus, A. 879 percussus. In Fig. 4.
antica exhibetur epigraphe: AELFRED REX; in postica: CVDBERHT. Regum imagines tum nondum numis imprimebantur. *Alfredus* iste sextus fuit ex West-Saxonica stirpe Pag. 25.
Rex, *Ethelwolfi* & *Osburgæ* filius quartus, natus in regia sede 26.
Wenadinque, nunc Wantage, in Barcheria, duodecennis didicit prima literarum elementa, uxorem duxit A. 868 *Alswitham*, *Ethelredi*, Comitis Gainorum in Mercia, filiam, A. 871 fratri *Ethelredo* successit, bello cum Danis flagrante, A. 878 28.
Regi Danorum Ost-Angliam & Northumbriam feudi loco donavit, A. 886 Londinum recepit, obiitque A. 900 d. 28 Oct.

 sepul-

ſepultus in cœnobio Wincheſtriæ, ſeu Vintoniæ, dominus Bri-
Pag. 29. tanniæ totius, Scotiæ quippe Regibus imperitans. Regnum diviſit primus in Comitatus, ſeu Shires, regnique deſcriptionem condidit, vulgo vocatam Codicem Vintonienſem. *Cuthbertus* fuit pius ſacerdos in inſula Lindisfarnia prope Bercovicum, cui nunc nomen Holy-Island. Cœnobii Mailros A. 670 conſtitutus fuit Abbas, & A. 684 Epiſcopus Lindisfarniæ.
31. Abdicavit ſeſe hac dignitate A. 687, cœnobiumque repetiit, in
32. quo d. 20 Martii deceſſit. Pro Sancto deinde & tutelari Anglorum patrono fuit reputatus, apparuitque A. 878, uti ferunt, Regi *Ælfredo*, periculis implicato. Non poſſumus, quin addamus ex Chronico Saxonico, quod *Edmundus Gibſon* A. 1692 Oxonii edidit, *ad A. 685 pag. 45*, *Cudberhtum* A. 685 juſſu Regis *Ecgferthi* primo Paſchatis die Eboraci conſecratum eſſe in Epiſcopum Haguſtaldeshamenſem. Locus *Haguſtaldesham* hodie vocatur Hexham, ſituſque eſt in provincia Northumbrienſi, fortaſſis *Alexodunum* antiquorum. Originatio loco adhæſit ex rivulo præterlabente *Heſtild*. Differt ab hoc loco Lindisfarnia inſula, ſeu Haligealand, ſeu Holy-Island. Omittimus numiſma *Ferdinandi Gonzagæ*, qui *Carolo V* Imperatori munia præſtitit bellica. *Figuræ quintæ*
TAB. IV proprius eſt numus *Canuti Magni*, Regis Angliæ, Daniæ, &
Fig. 5. Norwegiæ, primus, A. 1017 percuſſus. In antica conſpicitur Regis, diademate ornati, imago, cum epigraphe: ✠ CNVT REX ANGLORum. In poſtica apparet crux, cum epigraphe:
41. ✠ DVREFERD. Monetarius NORvicenſis. *Canutus*, e ſummis Monarchis haud poſtremus, filius Regis *Suenonis*, *Tingeskeg* cognominati, & *Sigrithæ*, viduæ *Erici*, Suecorum Regis, A.
Pag. 45. 995 in lucem editus. Patri aderat A. 1014 d. 3 Febr. in Anglia defuncto. A. 1016 in Anglia *Ethelredo* ſucceſſit, A. 1017 ab Archiepiſcopo Cantuarienſi inauguratus. Naſus aquilinus ſeu accipitris, quem in numo præfert, in Islandica hiſtoria, *Knylinga Sa-*
47. *ga*, ei tribuitur. Corona, qua eſt ornatus, a *Matthæo Pariſio* vocatur *Girlandia*. Subjectum ei conſpicitur ſudariolum ſeu velamen ſericum, quale Annales Fuldenſes ad A. 876 Cæſari *Carolo Calvo* aſſignant. Germani inter vetera imperii inſignia ſimile

ſimile rubri coloris ac ſericum velamen, quo caput fuit tectum infra coronam, cuſtodiunt, quod vocatur in veteri adjecto catalogo *Gugel*. Penes Saxones inferiores remanſit vox *gügelke*, id eſt, mitra infantum, eaque ſubtilis, corrupte *ene ülcke*. *Lutherus* adhibuit vocem *Kogel* in verſione Bibliorum Germanica, quæ fortaſſis non diſcrepat a *Gugel*. Crux in poſtica, quam Angli adhuc *the kroſſide* vocant, eſt ſignum religionis Chriſtianæ, ac inſerviit uſui peculiari, quo Angli penningum in quatuor partes æquales diffringere ſolebant, teſte *Hovedeno*. Unde tales penningi, Anglis *pennegas*, vocabantur *Brokemmony*, *Brechmüntze*. Nomen monetarii, ne adulterati vel minus genuini introducerentur numi, per juſſa Regis exprimendum erat in ipſis numis. Omittimus ejusdem *Canuti* numum ſecundum, A. 1030 percuſſum, in quo caput ejus apparet galea contectum, quam Anglo-Saxones vocarunt *Kynehelma*. Infra galeam prominent capilli, in duos cincinnos diſtributi. Mos ille, capillos alendi promiſſos, varieque colligandi, familiaris fuit Regibus populisque ad Septentrionem habitantibus. Suevis nomen fuit ex longis & complicatis capillis, qui ſimiles erant caudis equorum convolutis ac complicatis, quæ vocantur *Schweiffe*. *Tacitus de M. G. Cap. 38: In commune Suevi vocantur. Inſigne gentis, obliquare crinem, nodoque ſubſtringere. Canuti* imago præfert præterea regii pallii geſtamen. Prætérimus numum fuſum unilateralem, in *Carolum II de Manfredis*, Dominum Faenzæ, fabricatum. In *Figura* autem *ſeptima* conſpicimus numum *Davidis II*, Regis Scotiæ, ad annum 1342 referendum. Imago cubitalis in antica ſatis oculos incurrit. Epigraphen habemus hanc: + DAVID + DEI + GRATIA + REX + SCOTORVM. In poſtica extima leguntur hæcce: DomiNuS + ProTECTOR MeuS + Idem + LIBerATOR + MeuS. In intima autem: VILLA EDINBVRGH. *Davides II*, *Roberti Bryce* filius, natus A. 1323 d. 5 Mart. ſucceſſor A. 1329, coronatus regio more A. 1331 d. 24 Novembris, ab *Eduardo Balliolo* æmulo infeſtatus Anglisque, profugus ad novem annos in Gallias, A. 1342 redux, A.

Pag. 48. TAB. IV Fig. 6. Pag. 49 ſeq. 55. 57 ſeq. TAB. IV Fig. 7. Pag. 65.

1345 ab Anglis victus, & in captivitatem abreptus, A. 1357, Papæ opera, interpoſito 100000 marcarum argenti pretio, reſtitutus, ac defunctus A. 1371 d. 22 Febr. non adeo fugit communem notitiam. Quare ad alia nunc properandum. In
TAB. IV Fig. 8. *Figura octava* oculis ſpectatorum ſubjicitur numus *Eugenii IV* Papæ mnemonicus & aureus, in memoriam unionis Romanæ, Græcæ, & Armeniorum, eccleſiæ A. 1439 percuſſus.
Pag. 37. Ipſe fuit primus, qui inſigne gentis familiæque ſuæ numis exprimendum curavit. Natione Venetus erat ex familia *Condolmeri*, cujus inſignia conſtant ſcuto argenteo, quod tænia dextrorſum oblique protenſa vel jacente eſt conſpicuum. Epigraphe ſatis in propatulo eſt, ita efficta: SVB EVGENIO PAPA IV ANNO CHRISTI MCCCCXIL VNITI SVNT. In poſtica duo viri manibus allevatis in genua coram *Petro* provoluti apparent, ſcilicet ad dextram Græcus Imperator, *Joannes VII Palæologus*, acuminata mitra, coronam referente, tectus, ac ad ſiniſtram eccleſiæ Armenicæ Patriarcha, cujus in capite pileus patriarchalis eminet. Epigraphe adjecta eſt: GRECI ARMENIQVE IN SINODO FLORENTINA CVM SEDE APoſtoLICA. *Claudius Molinet* ex numophylacio Regis Galliarum hunc produxit numum, eumque pro *numo elegantiſſimo & fere unico* habuit. O-
81 ſeq. mittimus tres numos *Rogerii II*, primi Siciliæ Regis, ad annos 1121, 1128, & 1146, referendos. In tertio antica præfert literas Arabicas, quas Autor legendas eſſe putat: *Malech ſarir*, id eſt, Regis thronus. Nobis vero, pace Autoris, legendæ ita videntur: *Melcheta ſcharira*, id eſt, *regina certa*, ſeu Maria, quæ in antica duorum reliquorum æque eſt obvia. Præterimus etiam aureum numiſma, quo *Eleonora*,
89 ſeq. *Friderici III* Imperatoris uxor, illuſtratur: ac gradum ad nu-
TAB. IV Fig. 9. mum *Berengarii II*, poſtremi Italiæ Regis, promovemus. Ad annum 948 is videtur rejiciendus. In antica circum crucem legitur epigraphe: BERENGARIVS REX. In poſtica ſpectatur figura templi, circa quam adſcriptum: CHRISTIANA RELIGIO. *Berengarius* hic *II* primi cognominis
Pag. 98. ex filia *Giſla* erat nepos, & Marchionis Iporediæ *Adalberti* filius.

filius. *Adalberti* altera conjux erat *Irmengarda*, ex *Adalberto*, Marchione Thuſcorum, & *Berta* generata, quæ ipſum, *Anſcario* genito, fecit parentem. *Berengarii* ac *Anſcarii*, fratrum germanorum, *Hugo*, Italiæ Imperator, ſtudioſe expetiit amicitiam, ac *Berengario* nuptum dedit *Willam*, fratris ſui, *Boſonis*, Marchionis Thuſciæ, filiam; *Anſcarium* vero conſtituit Marchionem Camerini atque Spoleti. Nihilo ſecius uterque fratrum dolos in *Hugonem* moliebantur. Ut eos infringeret *Hugo*, *Anſcarium* A. 939 interemit; *Berengarium* vero in aulam pellicere tentavit, oculis eum privaturus. Cum *Lotharius*, *Hugonis* filius, ſceleris inſtantis conſilia proderet, *Berengarius* A. 940 ad Ducem Alemanniæ *Hermannum*, ac per eum ad *Ottonis I* opem, confugit. *Berengarius* A. 945 aſtu in Italiam rediit, munitiſſimasque urbes occupavit. *Hugo* rediit in Provinciam, *Lothariumque* filium *Hugonis* fidei permiſit. *Henricus*, Dux Bavariæ, inter hæc A. 948 divexavit ac deprædatus eſt Longobardiam. *Lotharius* Auguſtæ Taurinorum A. 950 d. 22 Nov. obiit ex ægritudine, inde ab A. 920 cum imperio verſatus. Quo facto, *Berengarius*, ejusque filius, *Adelbertus*, a populo Reges ſalutati, ac eodem anno d. 15 Dec. Papiæ inaugurati fuerunt. *Adelheida* autem, *Lotharii* vidua, variis calamitatibus ab *Adelberto* proco & patre preſſa, porro liberata, & Canoſſam deducta, *Ottonem I* de omnibus reddidit certiorem, eum illexit in Italiam, & ad nuptias ipſa perduxit. *Joannes XII* A. 960 de *Berengario* conqueſtus eſt una cum aliis apud *Ottonem*, qui A. 961 in Italiam venit, ac Mediolani diadema regium ſumſit. *Berengarius* A. 964 Montem feltrinum ac ſeſe *Ottonis* poteſtati ſubmiſit, ac, Bavenbergam perductus, obiit A. 966 d. 4 Aug. Numus *Berengarii* profluxit ratione figuræ ex numis Regum Franciæ, *Ludovici Pii*, *Lotharii*, ac aliorum. *Luitprandus*, ejus olim a ſecretis, elogiis admodum parſit in *Berengario* delineando. Ex eo tempore Italia nunquam non Germanicis Regibus fuit obnoxia. Poſthæc diſſerit Autor de numo, in infelicem Daniæ Cancellarium magnum, *Petrum Schumacherum*, Comitem in *Greiffenfeld*, anno circiter 1674, percuſſo, ac

Pag. 100.
103.
104.
105 ſeq.

Pag. 113 seq. de fatis ejus tragicis: de numo *Hadriani VI* Papæ, ad annum
121 seq. 1523 referendo, alioque, quem alius quidam in ejus memo-
TAB. IV riam cudi curavit: ac de raro Joachimico, a *Philippo Rein-*
Fig. 10. *hardo*, Comite Solmensi, Produce Regis Danorum in Wol-
Pag. 135. ferbuttelæ urbe ac regione circumjecta, percuti jusso, quem repetivimus, ac denuo incidi curavimus in *Figura decima.* Calamum deinde ac mentem Autor ad septem Ducis *Augusti*, Brunsuico-Luneburgensis Domini, numos, a campanis
137 seq. dictos, & A. 1643 factos, convertit, quos egregio illustrat commentario. Numisma *Francisci*, Comitis Valesiorum &
145 seq. Engolismensis, A. 1504 confectum, industriam ejus tum provocavit, quam in Impresarum origine & progressu persequendo egregie ostendit. Hinc animum ad Joachimicum
153 seq. *Henrici Hermanni*, Baronis de Burchmilchling & Wilhermsdorf, A. 1608 productum, appulit: cujus illustrationi numis-
161 seq. ma, in Proregem Neapolitanum *Andream Carrafam* percussum, succedit, qui A. 1526 exspiravit. Quod excipit typus egregii numismatis, a *Dominico Veneto* in *Sigismundum Augustum*, Regem Poloniæ, A. 1548 excogitatum & affabrefa-
169 seq. ctum: nec non numus sepulcralis, *Caroli Gustavi*, Regis Sue-
177 seq. corum, præco, ad annum 1660 referendus: eodemque fine
185 seq. in *Maximilianum I* Imperatorem percussus numus. Ex-
TAB. IV hibemus in *Figura undecima* numum *Wilhelmi* Imperatoris,
Fig. 11. e Comitibus Hollandiæ procreati. In antica crux, quatuor ad angulos crucis quatuor rosæ, ac epigraphe: WILHelmus
Pag. 193 seq. ROMAnorum REX COMes, occurrunt. In postica clypeus triangularis ad dextram unicipitem aquilam imperialem, ad sinistrum leonem Batavicum, ostendit, adjecta epigraphe: HOLLANDIE. *Fridericus II* Imperator jam antea numis aquilam unicipitem exprimendam curaverat. In sigillis aquila nondum ea ætate fuit adhibita. Biceps aquila hisce temporibus haudquaquam respondet. Sequuntur delineationes & historicæ descriptiones aliorum æque spectabilium numorum, Principis Anhaltino-Cotheni, *Ludovici* junioris, *pag. 201 seq. Christophori Francisci*, Episcopi Wirciburgensis, ad A. 1725, *pag. 209 seq. Leonhardi*, Archiepiscopi Salisburgensis,

ſis, ad A. 1513, *pag. 217 ſeq. Bernhardi Guſtavi*, Marchionis Badeno-Durlacenſis, Abbatis Fuldenſis, ac Coadjutoris Campidunenſis, ad A. 1672, *pag. 225 ſeq.* affictus *Philippo Magnanimo* numus, cujus in poſtica legitur rhythmus: *Beſſer land und leut verlohrn Als einen falſchen Eyd geſchworn*, *pag. 233 ſeq.* ac numus *Georgii*, Landgravii Leuchtenbergæ, Joachimicus ac rariſſimus, ad A. 1547, cujus ectypon exhibemus in *Figura duodecima.* Ante *Fridericum Barbaroſſam* de hiſce Landgraviis multa injicitur mentio, quorum ſuccincta hic ediſſeritur enarratio. Pergit Autor ad numos elegantiſſimos complures, videlicet eum, qui in magnum coronæ Cancellarium & Ducem bellicum, *Joannem Zamoyski*, fuit cuſus, defunctum A. 1605 d. 3 Jun. *pag. 249 ſeq.* aureum Coloniæ urbis, in cujus averſa parte navis virginum repræſentatur, *pag. 257 ſeq.* Joachimicum Ducis ultimi Brunſuico-Grubenhagenſis, *Philippi II*, ad A. 1595, in cujus poſtica legitur: *Gott gibt, Gott nimbt*, *pag. 265 ſeq.* & ducatum, A. 1474 factum, in Ducem *Galeacium Mariam Sfortiam*, cujus typum cum Lectore communicamus. Epigraphe anticæ ſic eſt legenda: *Galeacius Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani quintus.* Inſcriptionem poſticæ hanc habe: *Papienſis, Angleriæ, Tricarici Comes ac Januæ Dominus & cetera.* Dux ipſe, A. 1444 d. 14 Jan. natus, crudelitatis nota teter, periit inſidiis ac vi a percuſſoribus illata A. 1475 d. 26 Dec. Omittimus numum *Henrici* Junioris, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, A. 1561 concinne elaboratum, cujus in poſtica eminet epigraphe: *In Gots Gewalt hab ichs geſtalt Der hats gefügt das mirs genügt.* Addimus numum Briſacenſem, A. 1633 in obſidione duriſſima urbi infeſta excuſum. In antica clypei eminent Auſtriæ, Alſatiæ, & Briſaci. In poſtica legitur inſcriptio: MOneta NOva VASTatæ ALSatiæ ET BRISIACAE INDEX. Suecorum arma victricia tum Briſaco erant admodum moleſta. Inſerit Autor Cel. typum ducati *Sophiæ*, Electori Saxoniæ nuptæ, perigraphe conſpicui: *Wohl dem der Freude an ſeinen Kindern erlebet.* Rarus eſt numus, quem ordines Bohemorum ſub utraque A. 1619 tumultuantes feriri curarunt. Merito huic

TAB. IV Fig. 12. Pag. 242.

TAB. IV Fig. 13. Pag. 273 ſeq.

277.

281 ſeq.

TAB. IV Fig. 14.

Fig. 5.

huic numus mnemonicus junctus, quem *Ferdinandus II* oc-
Pag. 313 seq. casione fundati templi ac cœnobii in albo ad Pragam monte,
memoriam felicis ibi commissi prælii renovaturus, A. 1628
fieri jussit. Succedunt duo numismata *Christiani Augusti*, Comi-
321 seq. tis Palatini Sulzbacensis: aliud in commentitii Regis Gal-
liarum Cardinalis Burbonii arrogantiam A. 1590 excusum:
337 seq. numus A. 1648 in obsidione Pontfracti castelli, in Anglia
siti, cusus; Joachimicus rarior, a *Friderico Wilhelmo*, Electore
Brandenburgi, in signum obtentæ supremæ potestatis per
345 seq. Prussiam, percussus A. 1657; numus *Friderici Wilhelmi*, ad
353 seq. prædicandam victoriam Fehrbellinensem A. 1675 cusus: ra-
rum numisma *Bernhardi* & *Ernestorum*, fratrum germano-
361 seq. rum, Marchionum Badensium, A. 1533. Succedit rarissimus
TAB. IV aureus florenus Ducis Geldriæ ac Juliaci, *Caroli* scilicet, ad
Fig. 16. annum 1492 spectans. Ipse sese vocavit simul Zuthpha-
niæ Comitem. Addimus huic in *Figura 17* pulchrum urbis
Fig. 17. Bernæ thalerum, non ubique obvium, *pag. 377 seq.* Dimi-
Pag. 393 dium *Julii* Ducis redemtorem, *Julius Læser*, præstantissime
seq. Autor descripsit, ac in fine adjunxit rarum *Gerlaci*, Archiepi-
409. scopi ac Electoris Moguntini, ducatum, A. 1354 elaboratum,
TAB. IV quem *Figura 18* repræsentat. Subjunxit Supplementi
Fig. 18. loco Autor, elogiis nostris major, unum alterumque numum,
ac nonnullas accessiones ad superiora, & emendationes. Fui-
mus copiosiores, ut Lector veluti in speculo eruditionem, se-
lectum, apparatum, & diligentiam incomparabilem, intueri
possit, justumque de Opere ipso, in quo recensendo posthac
vela contrahemus, expromere possit judicium.

RECUEIL DE PIECES CURIEUSES SUR LES matieres les plus interessantes, &c.

h. e.

COLLECTIO LIBELLORUM CURIOSORUM de rebus maximi momenti, adornata ab ALBERTO RADICATI, Comite PASSERANI.

Rote-

Roterodami, ſumtibus viduæ Thomæ Johſoni ac filii, 1736, 8.
Alph. 1 plag. 2.

Faſciculus hic complectitur Libellos quinque. Primus exhibet duodecim Sermones morales, hiſtoricos, & politicos. Secundo continetur hiſtoria profeſſionis ſacerdotalis, antiquæ & recentioris. Tertio profertur tractatio miri tituli & cognominis: *Nazarenus & Lycurgus inter ſeſe comparati, per modum epiſtolæ ſcripti ad Imperatorem Trajanum.* Additur: *converſum ex Latino.* Excipit eam *Narratio fidelis & comica de religione Cannibalorum hodiernæ ætatis.* Additur: *verſa ex Arabico.* Adjungitur hiſce quatuor Libellis *Conſilium ingenioſum* (*Projet*) *facile, æquum, & modeſtum, quo poſſunt numeroſiſſimi infantes inopes & mendicantes reddi utiles nationi, qui jam illi ſunt exitioſi.* Additur: *Ex Anglico converſum.* Conſilium hoc eſt & ſatyricum & inſulſum. Autor enim ſuadet, ut infantes pauperiores in cibum adhibeantur, ne deſint anthropophagi inter Chriſtianos. Scopus ſatyræ non eſt ei comprehenſu difficilis, qui totum attente perlegit faſciculum. Miramur merito, fœtum Deiſticum Sereniſſimo & Potentiſſimo Regi utriusque Siciliæ *Carolo* fuiſſe dedicatum. Autor ſeſe Italum ortu vel fingit vel refert, ominatus, Italiam omnem ab eodem Celſiſſimo Domino ac Rege *Carolo* ſubactum iri. Ipſe ab inſtituto ſuo non alienum credidit, fateri, XII Sermones a ſeſe juſſu defuncti glorioſiſſimique *Victoris Amadei*, Regis Sardiniæ, eſſe compoſitos, ac præmiſit rationem rei geſtæ, qua ad eos conſcribendos fuerit impulſus, ſed eo nomine in Pontificis odia ac inquiſitionis ſacræ minas inciderit. Bona ſua fiſco addicta, & ſeſe ſupplicio, quo vivus erat comburendus, dignum fuiſſe judicatum, refert, Regemque ſcripta ipſius pro impiis & heterodoxis reputaſſe commemorat, qui tamen quinque articulos ex numero eorum, quos inſtillaverit ei, duodecim in effectum legisque decreta deduxerit. In Sermone primo defendit *Deiſtas*, quos Atheos vocari perhibet, & inter eos ipſum *Spinozam* & *Vaninium*. Chriſtum pro legislatore habet, qui Pag. 24 ſeq.

paupertatem, humilitatem, amorem, & vindictæ horrorem,
Pag. 33. docuerit, & vita sua expresserit. Consilia Christi a præceptis ejus distinguit. Apostolos & primos Christianos ad quar-
35. tum usque Seculum semitam a Christo ostensam & calcatam institisse, addit. Existere putat nationes plurimas, quæ vestigia Christi sanctissima sequantur, in statu innocentiæ constitutas, & sanctissimis legibus naturæ obsequentes. Ut hoc ostendat comprobetque, provocat ad illud Christi *Matth. IX, 12, 13: Sani non indigent medici, sed ægrotantes.* Sed quis ignorat, omnes mortales per naturam suam labe infectam peccare? Quis nescit, sententiam Christi illam sensu diversissimo esse præditam? Addit idem præterea, existere natio-
36. nes, vulgo feras existimatas, quæ sequantur suavissimas naturæ leges, & sint genuini infantes innocentis *Adami.* Ne hoc videatur pronuntiatu durum, ipse ad *Justini Martyris* confu-
68. git consensum. Christum docuisse communionem bonorum, quæ in Ecclesia Hierosolymitana brevi tempore perstiterit, affirmat. Et cur non eadem sentiendi libidine pronuntiaret, divitias cœtuum Christianorum fuisse in causa, cur ipsi ab Imperatoribus primis Romanis, eorumque præfectis, fuerint per-
64. secutionibus & calamitatibus infestati, qui pecuniam illam voluerint in usus publicos convertere? It illud exemplo *Laurentii* Martyris comprobatum. Imperatorum & Regum jure in homines ecclesiasticos & in Concilia egregie videtur delineare. Sed, data quavis occasione, omnes Christianæ rei pravitates & calamitates a sacerdotibus & hominibus eccle-
73. siasticis deducit. Laudat Præsidis *de Mont* literas, dictas *Lettres Persanes.* Haud obscure commercium *Mosis* cum Deo, in monte Sinai celebratum, cum *Vistnovli*, legislatoris Indo-
73 seq. rum, itinere solitario in montem facto comparat, quem in finem excitat *Partem secundam*, ejusque *Sectionem 19*, ex *Vedamo.* An hunc librum inspexerit unquam, admodum dubitamus, quem nuper demum Parisios allatum Jesuitæ re-
88. tulerunt. *Constantinus Magnus* ab eo appellatur *sacerdotum amator usque ad superstitionem.* Historiam incrementorum Pontificatus & Episcopatus Romani sollicite recenset,
sed

ſed ut omnia in pejorem partem interpretetur. Pontificem *Hildebrandum* appellat *Cromwellium* Romanum. Ubique celebrat ſummisque laudibus evehit ſtatum legesque regni Anglorum. Vitia & crimina ſacerdotum, & fundi politici calamitatem, inde derivandam, nunquam non coloribus perquam vivis delineat. *Machiavelli* politicam defendit & approbat. Omittimus reliqua. Sequitur Epitome hiſtorica de profeſſione ſacerdotali antiqua & recentiori, dedicata illuſtriſſimæ & celeberrimæ ſectæ libere cogitantium, addito ſymbolo ex *Horatii Sat. II Lib. II: Hac urget lupus, hac canis.* Præmittitur introductio, continens examen omnium ſic dictarum revelationum. *Evam* libere peccantem collocat in numero libere cogitantium (*Eſprits forts*), quæ origo eſt omnino flebilis. *Collins* laudatur, & *Socrates* inter heroas *fortes*que *ſpiritus* refertur. Deinde annotationes & judicia expromuntur de profeſſione ſacerdotali inter Græcos, Romanos, Indos, Judæos, ac Pontificios, præcipue eos, qui ſunt in Anglia. Scopus Epitomæ in eo vertitur, ut nemini non perſuadeatur, omnia mala eſſe a formis religionum exorta. Hac quaſi promulſide Autor credit lectorem ſatis fuiſſe allectum. Quare ad inſulſiora evomenda procedit. Epiſtolam *Lucii Sempronii Neophyti* de *Nazareno* & *Lycurgo* in comparationem adductis, ad Imperatorem *Trajanum* Auguſtum directam, ornat in fronte hac clauſula: *Ad majorem Dei Opt. Max. gloriam Societatisque beneficium.* Manuſcriptum in Bibliotheca Vaticana latere, ſignificat in Præfatione. Jeſum & *Joannem* in Ægypto magiam, philoſophiam, & reliquas artes, didiciſſe, & deinde ex compoſito egiſſe, Autor impie ſomniat ac delirat. Prædicat libros *Wollſtoni* per fugam Parthis familiarem, & perſtringit *Gibſonum*, Ven. Epiſcopum Londinenſem, aliosque. Superſtitioſos comparat cum Phariſæis, & *Deiſtas* ſeu *Spiritus fortes* cum Sadducæis. Epiſcopale regimen reprehendit *pag 277 ſeq. Narratio fidelis & comica de religione Cannibalorum noſtræ ætatis* complectitur parallelismum Muhammedanæ & Pontificiæ religionis, in quo & errores & veritates naſo adunco ſuſpenduntur. Non eſt neceſſum,

Pag. 107. 170 ſeq. 181 ſeq. 217. 242. 249 ſeq. 295 ſeq. 287 ſeq. 273 ſeq.

ceſſum, ut *Democrito* Britannico propius noſcendo immoremur. Valeat ille, ſuasque res ſibi habeat.

REGES FRANCORUM MEROVINGICI, Documentorum autoritate aſſerti a JO. LUD. LEV. GEBHARDI.

Luneburgi, impenſis Jo. Georgii Abt, 1736, 4.
Alph. 1 plag. 2½.

Felicitatem ſeculi noſtri haud minimam in eo collocantes, quod ſtudium hiſtoricum ad maximum fere culmen pervenerit, apud eos veniam nos adepturos eſſe confidimus, qui factorum recenſionem tunc demum & utilitatem & voluptatem proferrre norunt, quando de eorum veritate ſatis conſtat. Nunquam fabulæ tutius explodi, nunquam impoſturæ curatius detegi, potuerunt, quam hoc noſtro tempore, quod Documentorum, quorum de fide nullum ſupereſſe poteſt dubium, ubertate & Scriptorum coævorum multitudine ad indagandam veritatem neceſſaria ſubminiſtrat adminicula. Sed, cum pauci inter eruditos eo abundent otio, ut perſcrutandis temporis præteriti rerumque geſtarum monumentis debitam adhibere queant diligentiam, ſane eorum haud ſatis collaudari poterit induſtria, qui ſpartam docendæ hiſtoriæ ſibi collatam ſummo ſtudio ornant. Clariſſimus *Gebhardi* horum cum interſit numero, altera jam vice occaſionem nobis præbet, ipſius ut laudes publico eruditorum orbi prædicemus. Cum enim A. 1730 Tabulas *Lohmeieri* genealogicas, emendatas, auctas, & ad noſtra usque tempora continuatas, ederet, quarum recenſio his in *Actis Menſ. Jul. A. 1730* habetur, ſimul Electorum & Ducum Germaniæ illuſtres domos promiſit documentis & coævis teſtibus comprobatas, in ſinum eorum, quibus hæc arrident ſtudia, ſe effuſurum. Prelo eas jam paratas habet, &, ut innoteſcat, quam legem ſibi in elaborandis gentibus impoſuerit, progeniem *Merovingicam* ea deſudatam eruditis offert in exemplum. Ut eo uberius hac de lege Cl. Autoris conſtet,

constet, paucis illam exponemus. Tabulis quinque totum absolvitur Opusculum; unicuique autem Tabulæ statim annexæ sunt assertiones. Prima Tabula Reges continet Franco- Pag. 1.
rum ante *Merovæum*, quorum priores, *Faramundum* antecedentes, inter duces potius collocandos, Cl. Autor in assertionibus monet, qui simul, ut eo tutius evitaret quævis vel fabulosa, vel saltem incerta, de origine tam gentis, quam vocis, Francorum, legumque Salicarum natali solo atque epocha, nulli sententiæ accedens, omnia in medio relinquit. Sic 3.
quoque ortum & cognationem Regum *Sigismeris* & *Sigeberti Claudi*, ejusque filii, *Chloderici*, definire noluit. Tabula secun- 19.
da *Merovæum*, ejusque patrem, cognatos, & posteros, ex *Chlodovæi I* liberis, *Theodorico*, *Chlodomere*, & *Childeberto*, exhibet. In Tabula tertia *Chlotarius I*, *Chlodovei I* filius, qui 50.
monarcha omnium Francorum, exstinctis fratribus, eorumque filiis, evasit, ejusque posteri, excepto *Chilperico* filio, conspiciuntur. Ipse *Chilpericus I*, & qui ex illius provenerunt stirpe, in quarta continentur Tabula, præter abnepotem 92.
Chlodoveum II, cujus progenies quinta in Tabula agmen claudit. Autoris præstantissimi diligentia in coacervandis testibus fide dignis, acumen in dignoscenda veritate a fabulis, & modestia in dissentiendo ab aliis, præsertim *Eccardo*, qui ipsi sæpius vapulat, omne removet dubium, quin Electorum & Ducum Germaniæ familiæ, iisdem legibus elaboratæ, cunctis veræ historiæ amatoribus acceptæ, cultoribus autem utiles, futuræ sint, præsertim si laterculus chronologicus, & catalogus Scriptorum, qui Opusculo nostro annexi sunt, iis etiam addentur. Nihil ergo magis in votis habemus, quam ut vita satis longa, valetudo semper optima, & otium nunquam interruptum, Clarissimo *Gebhardi* abundet, ad exhibendos, quos prelo paratos habet, Germaniæ superiores Principes Comitesque, in Ducatibus quondam conspicuos.

L'AVOCATO, &c.

h. e.

ADVOCATUS, DISSERTATIONIBUS ILlustratus a DOMINICO MICHELIO, Veronensi.

Veronæ, apud Dionysium Ramanzini, 1735, 4.
Plag. 10½.

Dissertationibus quinque Clarissimus Autor de Advocato, ejusque tam dignitate, quam officio, observationes quasdam affert. Pag. 1. In *prima* illarum de nobilitate Advocati agens, nobilem generaliter illum appellat, cujus mens virtutibus imbuta est; ex quo concludit, Advocatos ideo nobiles vocandos esse, quia officii illorum nobilitas in scientiis animique virtutibus, ad utilitatem publicam accommodatis, fundata sit. Hinc a nobilitate Advocatis competente eos excludit, qui virtutum scientiarumque expertes, strepitum solummodo fori in deliciis habent; quæstusque cupiditatem nobilitati huic adversari docet. 13. De scientiis Advocati in *secunda Dissertatione* sollicitus, maximopere Scripturæ sacræ lectionem Advocato commendat, cum ex illa non solum honorem majestati divinæ debitum cognoscere, sed præcepta quoque discere, possit, quæ utilitatem maximi momenti in vita tam Christiana, quam civili, afferunt; decisiones enim in sanctis inveniri literis innumerabiles, quibus justum ab injusto discernatur. Reliquas juris utriusque scientias & studia, quæ illis opem ferunt, dein uberius annectit. Ab Advocato consulente 25. prudentiam, fidelitatem, & justitiam, adhiberi, ac vitia his virtutibus opposita evitari, debere, *Dissertatio tertia* graviter 41. monet. Quæ sequitur *quarta Dissertatio*, copiosius præci-
58. pit, quid fugiendum, quidve sectandum sit Advocato, causas in foris oranti, cui ultima id, quod de moribus Advocati observari meretur, adjungit. Veritates ubique Lectori suo propinat Consultissimus Autor, de quibus dubitare haud licet; hinc, ut ab omnibus causarum patronis studiose diligenterque observentur, maximopere optamus.

JURIS FEUDALIS PRIMÆ LINEÆ, EX Germanicis & Longobardicis fontibus deductæ, ac usui hodierno forensi accommodatæ, cum Appendice Monumentorum & Formularum, nec non Indice locupletissimo,

in

in uſum Collegiorum HENRICI CHRISTIANI SENCKENBERGII, *J. U. D. S. R. M. Brit. Conſiliarii, P. P. Ord. & Syndici in Georgia Auguſta.*

Gottingæ, ſumtibus Chriſtiani Henrici Cuno, 1736, 8.
Alph. 2 plag. 4.

Nihil difficilius, quam Compendia ſcribere. Namque hæc
eſt negotii illius indoles, ut non ſolum exactam ejus,
quam quis examinandam propoſuit, diſciplinæ notitiam,
ſed judicium acre, uſuque limatum diuturno, requirat. Qui
omnem eruditionis ſuæ apparatum uno expromi libello, &
in Compendio vel minutiſſima rei objectæ capita cum accu-
ratione tractari poſſe ſperat, is, ni fallimur, ab inſtituto ſuo &
meta propoſita aberrat quam longiſſime. Ex quo conſequi-
tur, diſciplinam ejuſmodi non parum juvari, ſi ad tradendam
eam accedat Vir ad Compendium ſcribendum aptus, id eſt, &
rerum inſtructus copia, & judicii acumine. Nos in præſenti
Juris feudalis diſciplinæ merito gratulamur, quippe ad quam
Senckenbergius acceſſit, doctrinæ Vir ſatis excultæ, & multis
ſpeciminibus probatæ. Non heri demum aut nudius tertius
huic argumento horas quaſdam ſubſecivas dare incepit Vir
Clariſſimus, ſed a pluribus annis dies noctesque in hac arena
deſudavit. Nunc poſt tot labores ſpecimen edit, admodum
politum, & omnium plauſu digniſſimum, Compendium Juris §. 2.
feudalis naturali, ut ipſe ait, ordine conſcriptum. De quo cum
copioſe dicere non ſit inſtituti noſtri, ſumma tantum *Capita*
indicabimus, adjectis hinc inde rarioribus quibuſdam obſerva-
tiunculis. Prolegomena, quæ de re beneficiaria in univerſum
agunt, eo Vir Cl. præmiſit conſilio, ut & ab allodiis, & a ju-
ribus cognatis, feuda dignoſci queant. *Pars I* viam ad Jus feu-
dale inſtruit, a nemine ferme antehac tentatam. *Cap. I* tradit
*Præcepta generalia de feudali Jurisprudentia cum fructu per-
tractanda.* Inverſum ordinem ſequi eos putat *Senckenbergius*,
qui ſub ipſa ſtudiorum initia animum Jure feudali imbuunt; 4.
quod

quod poſt Civilia demum & Canonica ſcita debebant aggre-
di, cum variæ doctrinæ de juribus in re & ad rem, de con-
tractibus & teſtamentis, de Clericis, Abbatibus, Epiſcopis, &
Ordinibus equeſtribus, de beneficiis eccleſiaſticis, de compu-
tatione graduum, de præſcriptionibus, inde non raro ſint ar-
§. 5. ceſſendæ. De Jure Germanico nemo dubitat, quippe ex quo
inſtituta non pauca ſuam trahere originem, conſtat inter o-
mnes. *Cap. II* agit de *Scriptoribus Juris feudalis cognoſcen-
dis & dijudicandis*, & eorum aliquos recenſet, obſervato tem-
poris ordine. Dividit enim illos in *antiquiſſimos*, qui ante Sec.
XIV vixerunt; *antiquos*, qui Seculum XIV & XV doctrina
ſua illuſtrarunt; *recentes*, qui Sec. XVI & ſequenti innotue-
runt; & *noviſſimos*, qui in finem ſuperioris Seculi & noſtra
35. tempora incidunt. Boni ſcriptoris notam ei inprimis tribuit,
qui 1) ſcopo ſibi propoſito ſatisfacit, 2) materiam non ultra,
quam par eſt, diducit, 3) aliena a propoſito non immiſcet,
4) Germanica cum Langobardicis connectit, 5) ſingula ex
fontibus ſuis, non aliunde, explicat, 6) theoriam cum praxi
conjungit, 7) uſum curiarum hodiernum ubique monſtrat,
8) cuncta a ſe dicta ſatis probat, 9) probationes aptas ſeligit,
10) ordinem longe quæſitum reſpuit, 11) hiſtoriam, 12) Jus
civile, 13) Canonum placita, 14) Germanorum ſcita, adhibet,
15) perſpicuo dicendi genere utitur, 16) antiqua præjudicia
damnat, 17) a principiis ſemel receptis ſine ratione non diſ-
cedit, 18) ex propria praxi res ejuſmodi proponit, quæ
non propoſitæ ſunt prius. *Cap. III Juris feudalis hiſtoriam*,
ſerie temporum adhibita, delineat. *Cap. IV fontes Juris feu-
dalis* limpidiſſimos aperit, quos ipſa ſuppeditat Hiſtoria. Be-
neficiorum militarium origines ex antiquiſſimis Germano-
rum moribus derivandæ ſunt. Tum advocandæ in conſi-
69. lium gentium Germanicarum leges. Tales in Capitulis *Otto-
nis I* & ſanctionibus *Conradi II* reperiuntur. Varia *Philiber-
70. tus* ſeu *Fulbertus Carnotenſis* contulit. *Henricus III* Conſti-
72. tutionem de Feudis in Roncaliis campis publicavit. *Henri-
73. cus IV* ſecundum Palatinas leges decidi cauſas feudales juſſit.
Exſtant *Henrici V* concordata, cum *Paſchali II* Pont. Rom.
de

de investituris Episcoporum inita. *Caput V* tractat de *præsidiis, fontium interpretationi & applicationi inservientibus.* Nunc ipsam rem *Parte secunda* aggreditur, loquiturque *Cap. VI de voce Feodi, ejusque varia acceptione, homonymia, & synonymia,* quod argumentum Ill. *Gebauerus* pridem ita tractavit, ut addi nihil queat. *Cap. VII* in *Feudorum originem, definitionem, naturam, & affinia,* inquirit. Derivant feu- §. 135.
da alii a Romanis, alii a Francis, alii a Germanis. *Senckenbergius,* in singulis hisce opinionibus veritatis aliquid latere abditum, concedit, cum gentes singulæ contractum feudali similem inierint sæpius. Definitiones celeberrimorum hominum profert in medium, & docte corrigit, ipse vero hanc 136.
substituit: *Feudum est contractus, vi cujus vasallus domino* 153.
operas suas militares pro certa mercede elocat. En Feudi *essentialia.* His *naturalia* opponuntur, quæ omnibus conveniunt militibus; & *accidentalia,* quæ pro libera paciscentium voluntate possunt adjici. *Caput VIII* sistit *personas & dantes, & accipientes.* De jure dandi, utrum Nobilibus competat, dubitatum aliquando. Certe ad jura Baronum retulit *Ca-* 162.
rolus IV in Diplomate de A. 1360 apud *Glafeyum* in *Anecdot. Tom. I pag. 352.* Nunc affirmativam innumeris corroboratam exemplis videmus. *Caput IX* inscribitur *de rebus in feudum dandis, earumque pertinentiis; Caput X de titulis ac modis, quibus feudum ab initio quæritur & continuatur; Caput XI de feudorum perpetuitate, & translatione in alios; Caput XII de juribus & obligationibus domini ex hoc contractu; Caput XIII de juribus & obligationibus vasalli, agnatorum, & simultanee investitorum; Caput XIV de nuptiis, tutela feudali, & jure minorum; Caput XV de dissolutione hujus contractus pro parte vel in totum; Caput XVI de jure hæredum allodialium, & debitis feudorum; Caput XVII de judicio feudali, actionibus, & processu; Caput XVIII de Cancellaria feudali, & sportulis.* Cancellaria feudalis, sive regimini terrarum provin- 449.
cialium juncta sit, sive Cameræ computorum adjecta, ut in Gallia & Lotharingia, sive denique peculiari curiæ feudali commissa, absolvitur *Consiliario,* qui *Cancellarii* nomine

ſplendet, 2) *Secretariis*, qui omnia expediunt, & protocolli habent rationem, atque 3) *Archiota, einem Lehns-Regiſtratore. Archiva feudalia* ſero cœperunt inſtrui. Sic in Epiſco-
Pag. 451. patu Ultrajectino A. 1021 demum vaſallorum conſignatus eſt numerus. *Cap. XIX, de differentiis feudorum generalibus, & Germaniæ provinciarum ſpecialibus*, finem imponit Operi. *Caput* hoc in gratiam eorum, qui in diviſionibus acumen quæ runt, adjecit Cl. *Senckenbergius*, inutilem ceteroquin judicans laborem, ſi quis diviſiones feudorum generales confingere velit, cum omnis res ex pacto ſpeciali formam acceperit. Illud miramur, Virum doctiſſimum diviſionem dominii in directum & utile ex erudita proſcribere republica, vaſalloque nihil præter uſumfructum qualificatum aſſignare. Auro cariora ſunt, quæ adjunxit, LXXVII Documenta. His enim, nec decimam octavam, quam ſupra adduxerat, boni Scriptoris notam ſibi deeſſe, ſatis ſuperque demonſtravit. Quodſi in eodem, in quo jam decurrit, ſtadio perget Vir eruditiſſimus, non dubitamus, maxima olim optimis literis ab induſtria *Senckenbergiana* incrementa ventura.

ANATOMEN SCROTI, ENTERO-SARCOCELE tumidi, tradit AUGUSTINUS FRIDERICUS WALTHER, Regis Pol. & Elect. Sax. Archiater & Pathologiæ Prof. Publ. Lipſienſis.

Cum in ſexagenarii viri, & ex capitis vulnere demortui, cadavere utrumque ſcrotum inteſtinis & abundante cellulosa ſubſtantia tumidum ante aliquod tempus inveniremus, ipſis nobis objecimus, quare in veteri hoc herniæ morbo ſcrotum tantum majus duobus pugnis eſſet, nec ad multo majorem molem & magnitudinem acceſſiſſet. Quod ut inter plura dilucidius pateret, ejus ſcroti anatome primum obliqui externi muſculi tendinis annulum vel hiatum duorum pollicum menſuram cum ſemiſſe utrinque vidimus retuliſſe; ut etiam tres digiti, qui inter pollicem & auricularem medii ſunt, cum abdomen poſtea apertum eſſet, juxta inteſtinum, quod deſcen-

descenderat, permitterentur. Firmum, atque valde compactum, ligamentum, quantum neque illi inguinali subjectoque vinculo crassitudine cedit, superiorem dicere annuli oram quis maluisset, quam continuatam, aponevrosin vocare; quod ita quidem pristinam formam, & omnem annuli modum naturalem, ea amisisset, crassitudine insueta superasset, & excessisset. At inferior annuli pars, quanta, in statu quidem naturali, cognoscitur, contra ab inguinali ligamento ægre discernebatur, cum adeo subsedisset, ut tantum id inguinale ligamentum hac parte posteriore herniæ superesse, & tumorem sustinere, videretur. Disparuerunt arcuatæ illæ fibræ, quales ab externo annuli latere ceteroquin visuntur, & quas, liberaliore quidem naturæ beneficio, procedentibus obliqui tendinis externi fibris intextas esse, constat; quod annuli quoque exterior pars vehementius diducta esset, ut etiam omnis morbosus hiatus, obliqui inguinalis, & propinqui ligamenti, tractum sequeretur. Tendinosum illum, valdeque mutatum, ac superiorem hiatus marginem anatome in partes distinximus, cum unum quidem amplissimum abdominis musculum post alterum separaremus; quod singulus quisque tendo inter separandum monstraret, quantum sibi quidem deberet, id, ita ex triplici tendine, quasi compactum, & robustum herniæ, ac transversum, licet morbosum vinculum. Parum abfuit, quin decideremus: huic, ita subnato, paria incrementa dedisse obliqui utriusque musculi, & transversalis, morbo quidem auctos, tendines; scilicet, ubi nutritæ præter modum, aut aliter ad annuli pristini superiorem oram accumulatæ, tendinosæ fibræ, hoc diuturno morbo fuerunt. Quare omnes tendines, quicunque hoc convenere loco, quasi funiculum effecerunt, cum crassitudine calami scriptorii omnino comparandum, albidumque. Neque vero id nobis mirum jam erat, quod obliqui externi musculi tendo, ab externo tumoris latere, & quidem sub ligamenti inguinalis loco, quodammodo progredi, & cum crassiore hoc loco visa membrana cellulosa scroti, herniaque, connecti videretur; quandoquidem aliquam ejus partem super inguinales glan-

 dulas

dulas diffundi fibris solere, quin in sanis quoque corporibus ita pergere, & membranæ scroti, superioribus quidem locis implicari, id ita constat, & patet §. 85 *Doctrinæ musculorum* Cl. *Winslow*. Verum ab annuli ora, cum præcisa ablataque pars esset, quæ obliqui externique musculi tendini competebat, jam quoque interni musculi tendini tribuebatur altera pars ipsius tendinosæ oræ, quæ pariter accessione substantiæ crassæ, ac cellulosæ, inde cohærentis, veluti continuaretur, in scroti herniæque tunicam desinebat; & inter alia tumorem ita confirmabat. Quod herniæ involucrum utrinque dimidiam crassitudinem minimi digiti habuit, totumque latus distenti peritonæi tumoris usque ad fundum ipsius investivit, & quidem a parte externa laxum, & consuetæ scroti internæ substantiæ magis simile visum fuit, quam ubi, a parte interna, multo spissius erat, & ad ipsam peritonæi firmiorem membranam adhærescebat. Nam, hoc rerum singulari nexu, omne latus tumoris, veluti cum beneficio quodam, in vivo suspendi, & firmari, potuit. Supererat autem, & accedebat transversarii musculi tendo, cui quidem reliquum, quod in tendinosa annuli ora supererat, jam adscribebatur; similemque substantiam, qualem vidimus a parte obliqui interni musculi tendinis, sed alia quodammodo ratione, nos inde continuari observavimus. Verum, ne quid fortassis fictum, & ita tantum cultro, noviterque, divisum esse videretur, hinc utriusque hujus ultimæ ligamentosæ, ac novæ, utut morbosæ, productionis plantationem diligenter investigavimus. Nam ex his altera, palmam cum progressa esset, sensim versus herniæ tumoris fundum extenuabatur, cujus latus tum ita obduxit, tum in imo tumore finem habuit: altera vero productio, quantam a transversi musculi tendine nos ante deduximus, hæc nondum medium tumorem consecuta erat, cum esse in ejus habitu desineret; ut, sine vulnere peritonæi, eandem cultro persequi, nobis haud concederetur. Igitur utramque ultimam partem nos cellulosæ & externæ peritonæi parti adscripsimus; atque, magis ex morbosi corporis, quam sani, anatome, ita conjecimus: duplicem, vel triplicem, ejus contextus laminam, his inguinum locis,

locis, ceteroquin haberi, & cum obliqui utriusque, & transversi, musculorum tendinibus, unam post alteram, scilicet in herniæ morbo, paulatim, & magis, subsidere, deinde cum scroti membrana coire, ac postea luxuriari; sicut observatum in exemplo fuit.

Nisi animus nos fallat, duplicem hæc usum fert experientia, & meditatio. Nam ita demum, quid ponderosum tumorem perinde sustineat, atque omnimodum intestinorum, scilicet quorumcunque ad cedendum aptorum, descensum, in seros quoque annos, nec raro, prohibeat, id inde rectius explicatur, aut liquet: alterum vero est, quod ita circiter & experiamur habitum, & crassitudinem, & omnium situm, quæ subinde, & præcipue quidem in hernia incarcerata, incidere necessum est. Sed ad absolvendum sectionis historiam modo progrediamur. Nam, hæc licet ita visa essent, nihilo minus spermaticorum vasorum fasciculus, juxta ipsum internum peritonæum, quod ex imo ventre jam deductum distentumque erat, inde seorsim quoque, ac posteriore loco, egrediebatur; quippe consueto peritonæi processu, neque morboso, & porro cremastere musculo vestitus, atque cellulosis productionibus, quas ante diximus, & ab herniæ principio aliquo usque intextus ille erat, donec inde deflecteret, ut testiculum adiret. A sinistris portio ilei intestini, quæ pedem longa, ac prolapsa erat, hujus lateris saccum peritonæi cum parte conveniente mesenterii implevit; sed tumorem scroti, etiam hujus intestini crassitudo, quippe naturali vel triplo major facta, adauxit, cum quidem ejus habitus, & color, erysipelacei essent; nihilo minus, intra scrotum, trium digitorum transversorum spatium, & ab intestinis vacuum, supererat, quo testiculus residebat. At a dextris, per similem distentumque annulum, cœcum intestinum, deinde duarum spithamarum pars coli intestini, cum majore parte omenti, jam quidem scirrhis obsessi, quin etiam cum mesocoli parte, olim delapsa erant; ut dextram hanc scroti cameram fere totam illa occuparent, & quarta circiter parte hunc tumorem præ sinistro scroto majorem efficerent. Intentiones ab

 hoc

hoc latere procul dubio graviores, tantæque in vivo homine fuerunt, ut neque coli inteſtini, neque adipoſi renis ſacci, pluriumque rerum, naturalis nexus impediviſſet, quo minus ipſe ren dexter ad ſedem novam, ac duobus tranſverſis digitis præ naturali inferiorem, deductus eſſet. Exemplum ita ſuppeditatur vis tolerabilis viſæ, ſcilicet paulatim illatæ; quanta, ſin ſubito inferretur, nunquam vitæ periculo careret. Igitur nos vidimus & fellis folliculum, & ſtomachi dexteriorem partem, præter modum declivem quoque obtinuiſſe poſitum; hinc alia quævis vicina ad illam tenſionem, ac deſcenſum, paulatim a dextris fuere accommodata; ut, inter plura, ureteris, ex rene jam egreſſi, valde fluxuoſam viam pariter animadverteremus. Sed, hæc ita absque intolerabilibus moleſtiis fieri, quis facile mirari deſinet, cum is porro cogitaverit, ſicut alvus, in hernia ſcrotali, præſertim in multo grandiori tumore, aperta maneat: ut nec lapſi inteſtini ſpirarum numerus, nec omnis annuli rigor, atque anguſtia, excernendorum itum per hæc inteſtina, reditumque, impedire, plerumque obſervetur.

Verum de impedimentis jam agere opportunum erit, quæ quidem ejus generis morboſum ſaccum, perinde ac inteſtina, quin reſtituantur, in vivis prohibent. Atque, præſenti exemplo, repoſitionis obices, & quævis impedimenta, quot in clinica praxi quidem occurrere ſolent, fere conſpicua fuerunt. Aut enim, ob majorem annuli diſtentionem, & amplitudinem, retinendorum inteſtinorum ſpe Chirurgos fruſtrari ſe ipſos, nos cogitabimus; & ita in utroque latere rei exemplum hoc cadavere allatum fuit: aut aliter & ad fundum ſcroti, vel ſaltem ad ejus internum ambitum, adnaſci peritonæum, & irrito conatu reſtitui, cenſebimus: aut denique inteſtinum potius cum interno ſacco cohærere, vel utrumque, & peritonæum, & inteſtinum, ita figi exiſtimabimus; tum iſtam obſervationem in utroque ſcroto, hanc vero tantum in dexteriore, fecimus; quo loco cæcum quoque inteſtinum ad ſacci peritonæi fundum firmiter adhæſerat. Quæ ita vulgo etiam innotuere reponendi tumoris impedimenta;

menta; ſed nos modo unum alterumque adjiciemus. Ex his primum ſtatim in ſcroto obvium, illaque moles eſt, ad quam, in veteri morbo, increvit cellulosa omnis ſubſtantia, ſigillatim, quæ utcunque deducitur externa peritonæi pars; quam nos cum tendinibus obliqui utriusque & tranſverſi muſculi paulatim deferri, ſed in morbo augeri, & continuari, hinc in ligamentum tumoris, juxta longitudinem ſuam, abire, conjecimus. Verum in exemplo accidit, quod inter plures quoque obſervationes fieri intelleximus, quas in hoc genere fecimus, ut ab iliaci muſculi decliviore loco peritonæum, cum id vincula alia laxiora, & alia ſtrictiora, præbet, ſcilicet quibus intervenientibus, cum oſſe ſacro inteſtinum, aut ſaltem meſocolon, in ſtatu corporis ſano, ceteroquin jungitur, jam ad annuli, ex morbo quidem diſtenti, poſteriorem partem paulatim detraheretur, hinc ad inguinale ligamentum, ut porro ſubſideret, & figeretur, ac tantum ad permittendum inteſtina ſe accommodaret, quantum reſtitutioni lapſorum, & quidem ad modum arcuatæ valvulæ, jam plurimum obſtaret. Ejus vero generis valvula, & quæ pollicem lata erat, annulo ab ſiniſtris prætendebatur: ſicut alia, & quodammodo minor, a dextris erat, quæ neque ad angulum usque internum ipſius annuli, ſive ad os pubis, penitus acceſſit; hinc liberiorem quodammodo viam, tranſitumqu lapſis, vel per artem quoque reſtituendis, inteſtinis hoc loco relictum eſſe, videbatur. Igitur ex his patet, quid in vivis, ac præſertim in incidendi tumoris, & herniæ incarceratæ, exemplo, quanquam aperto peritonæi ſacco, imo vero ſubinde inciſo licet annulo, nihilo minus in veteri & obſtinato morbo obſtet, quo minus ex voto hæc manualis operatio aliquando cedat; niſi digito illato valvulam deprimere, deinde paulatim inteſtinum intra abdomen referre, magnopere juvet. Neque vero inter ea, quæ reſtitutionem inteſtini impediunt, jam reticenda hoc quoque exemplo, & quidem ab una parte obvia viſa inflammatio erit. Nam ſiniſtri, & intra ſcrotum delapſi, craſſitudinem inteſtini, triplo majorem naturali factam eſſe, id ſupra dictum a nobis fuit; roſeumque colorem, tanquam morbi clariorem notam, tum quoque adjecimus. De exem-

exemplo conjicere licebit, ob herniam, quam modo incarceratæ ex parte ſimilem cenſemus, & quidem ob graviorem dolorem, illum aurigam, miſerumque, continere ſe ipſum haud potuiſſe, cum quidem equo, lapſuque fatali, rueret, & concitatæ rotæ motu, hinc illata capiti multiplici fractura, periret. Tantum, nec ita penitus turgidum flatu, nec aliter excrementis nimium oppletum, aut usquam convolutum cadaveris inteſtinum anatome viſum fuit; ut ita nihilo minus in exemplo, & in omnium reſtituendi inteſtini obſtaculorum numero, hæc ſaltem deeſſent, quæ quidem inguinalis & ſcrotalis herniæ, præcipue vero incarceratæ, morbum frequenter aſperant, & cum aliis, quæ modo diximus, ancipitem herniotomiæ ſucceſſum faciunt.

Ausführlicher Bericht ꝛc.
h. e.

CHRISTIANI SCHLEGELII, DUCALIS GOTHANI Antiquarii & Secretarii, itemque Hiſtoriographi Saxonici, Vita Caſparis Aquilæ, primi Superintendentis Salfeldenſis, cum Præfatione D. ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI. Adjecta eſt Vita Autoris a JOANNE ZEITSCHELIO, Paſtore Ruhlano Gothanæ diœceſeos.

Lipſiæ & Francofurti, apud M. G. Giesbachium, 1737, 4.
Alph. 3 plag. 6.

Jam dudum fuerunt, quos inter eminet *Jacobus Thomaſius*, Profeſſor Academiæ noſtræ celebratiſſimus, qui *Caſparis Aquilæ*, Theologi haud poſtremi inter primos *Lutheri* aſſeclas, vitam literis mandare conſtituerent. Tandem ſerio ad exſequendum hoc negotium ſe accinxit Vir hiſtoriæ Reformationis inprimis peritus, *Chriſtianus Schlegelius*: qui tamen cum elaborationem non prorſus abſolviſſet, Rev. *Zeitſchelius* relictam ab eo materiam juſtum redegit in ordinem, totumque Opus publicæ luci expoſuit. Quin id gratiſſimo excepturi ſint animo Hiſtoriæ cultores eccleſiaſticæ, non dubitamus, cum inferat hoc ſcriptum multum lucis hiſtoriæ repurgato-

rum

rum ſacrorum. Noſtrum eſt, inde excerpere, quæ Lectores ad cetera hic inveſtiganda incitare poſſe videantur. Natus erat hic *Aquila*, cujus & effigies præfixa, A. 1488 familia nobili & patricia *Adlerorum* Auguſtæ vindelicorum. Literarum colendarum cauſa in Italiam ſe contulit adoleſcens: unde Bernam venit in Helvetiam, ubi A. 1509 in ipſius conſpectu comburebantur quatuor illi Dominicani monachi, quorum ſacra fraus Hiſtoriæ ſtudioſis eſt notiſſima. Hac in urbe cum Theologiam coluiſſet ſedulo, ſacerdos ibi factus eſt. Sed, cum majores in Theologia progreſſus faciendi cupidus eſſet, A. 1514 Lipſiam abiit. Non ita multo poſt clarus ille Germaniæ Eques, *Franciſcus Sickingius*, eum militibus ſuis dedit ſacerdotem: altero vero anno poſt ſacerdotium accepit Jengæ, quod oppidulum in vicinia jacet Auguſtæ Vindelicæ. Ibi inter primos agnovit veritatem doctrinæ Lutheranæ, quam profeſſus, & ſimul uxorem ducens, in carcerem conjectus fuit A. 1521. Ex eo mirabiliter liberatus, Wittebergam profectus eſt, ibique & *Lutheri* & *Melanchthonis* ſcholis interfuit. Accepto poſtea *Magiſtri* titulo, doctorem & Græcæ & Hebraicæ linguæ ſe præbuit Studioſis. Accidit vero, ut rurſus reciperetur in familiam *Sickingii*: quo exſtincto, cum exiguo tempore moratus eſſet Iſenaci, Wittebergam reverſus, ibi & doctor fuit literarum Hebraicarum, & Eccleſiaſtes in arce Wittebergenſi, imo & adjutor *Lutheri* ſacrum codicem patriam transferentis in linguam. Ac *Lutherus* eum quoque A. 1525 in ſuis nuptiis convivam habere dignatus eſt. A. 1527, ſuadente *Luthero*, creatus eſt primus Paſtor Lutheranus Eccleſiæ Salfeldenſis, poſteaque primus Superintendens. Ac illo ſtatim anno *Cathechiſmum* ſcripſit in uſum populi ſibi commiſſi. Ex eo tempore ſæpenumero per literas conſuluit *Lutherum*, cujus & aliquot Epiſtolæ ad ipſum hic exhibentur. A. 1530 profectus eſt Auguſtam Vindelicorum, cum ibi exhiberetur Cæſari Proteſtantium Confeſſio: quo anno etiam *Joannes Agricola* dedicavit *Aquilæ* ſua in *Paulinam* ad *Titum* Epiſtolam *Scholia*, A. 1533 Commentarium edidit in *Pſalmum XXXIV*, & libellum *de Eleemoſynis*: quibus ipſe *Lutherus* Præfationem affixit. Utriusque libelli hic recitantur nonnulla, ut zelus *Aquilæ* religioſus appareat. Plures hinc exhi-

bentur ejus Epiſtolæ, gravibus de cauſis exaratæ: quas inter duæ eminent, quibus captivum Saxoniæ Electorem A. 1547 conſolatus eſt. Ac exſtat hic etiam Electoris reſponſoria. Qui poſtea copioſe recenſentur libelli *Aquilæ*, eorum mentione omiſſa, illud tantum animadvertimus, *Aquilam* noſtrum vel primum fuiſſe libri *Interim* antagoniſtam publicum, vel inter primos. Quæ ſancta audacia pæne exitium, certe exilium, ei attulit. Ne enim victima fieret iræ Cæſareæ, diſceſſit Salfelda, & aliquo tempore in Patmo quadam latuit. Ex his tenebris ipſum extraxit Princeps Hennebergiæ, & A. 1550 conſtituit Antiſtitem Smalcaldienſis Eccleſiæ. Inde autem A. 1552 repetiit ſuam Salfeldam, & ad finem usque mortalis vitæ functus ibi eſt priori munere. Interfuit etiam juſſu Principis ſui inaugurationi Jenenſis Academiæ: qui & ipſum creavit Conſiliarium ſuum Conſiſtorialem & Eccleſiaſticum. A. 1560 d. 12 Nov. diem obiit ſupremum. Quæ deinceps traduntur de liberis *Aquilæ* nepotibusque, (inter quos Cel. *Heumannus*, quem prope triginta annos in his *Actis* conſcribendis συνεργὸν habemus diligentiſſimum, tritavum ſuum agnoſcit hunc *Aquilam*,) ea prætermittimus, id unum commemorantes, concludi hunc librum catalogo librorum, a *Caſpare* hoc *Aquila* editorum. Nec illud tacendum, pluribus hic illuſtrari multas partes hiſtoriæ Reformationis, prætereaque doctas paſſim digreſſiones inſertas eſſe, e. g. *pag. 12 ſeq.* de viris clariſſimis, Auguſtæ Vindelicorum natis; *pag. 26 ſeq.* de viris doctis, qui decimo ſexto Seculo Germanica ſua nomina Latinis mutarunt vel Græcis; (ubi tamen erratur, cum *pag. 27 Cochlæo* Germanicum nomen *Læffel* tribuitur; ita enim dici voluit a *cochlea*, quia natali ipſius loco nomen erat *Wendelſtein*,) *pag. 30 ſeq.* de claris *Aquilis*; *pag. 157 ſeq.* de nuptiis *Lutheri*. Annexa eſt *Vita Schlegelii*, cui hoc Opus debemus. Natus is Salfeldæ A. 1667, poſtquam Arnſtadienſi theſauro nummario inde ab anno 1700 præfuiſſet, una cum iſto theſauro A. 1712 delatus Gotham eſt, eodemque munere functus per vitæ reliquum, ibi deceſſit A. 1722 d. 17 Octobris, multis editis egregiis libris, quorum majori in parte veteres Germaniæ numi illuſtrantur eruditiſſime. Sed liceat nobis retorquere oculos ad *Aquilam*, ex ejusque *Vita* obſcuritatem aliquam tollere,

lere, quæ B. *Schlegelium* ita offendit, ut novam nos inducat in obscuritatem. Scilicet, cum *pag. 65* & *68* docuisset, *Aquilam* A. 1516 duxisse uxorem, ex eaque A. 1517 suscepisse filium, id quomodo fieri potuerit, non videns, inde *pag. 66* concludit, *Aquilam* nostrum primum omnium *Luthero* addictorum sacerdotum duxisse uxorem, non *Bernhardum* illum, sacerdotem Kembergensem, cujus nomen jam olim nobilitavit pia hæc audacia: qua de re etiam in his *Actis* dictum *A. 1703 pag. 335*. At ipse annus 1516 indicare debebat *Schlegelio*, id ab *Aquila* antea factum, quam *Lutherus* oppugnare cœpit Romam sacram, adeoque tum, cum adhuc esset (*Aquila*) sacerdos Pontificius. Usitata nimirum tum erant clandestina sacerdotum conjugia non solum in Helvetia, ubi aliquandiu vixerat *Aquila*, sed etiam alibi locorum. Apud *Sleidanum Lib. III fol. 59 Zuinglius* ait, *prudenter quondam* (hoc est, ante Reformationem,) *lege sancitum fuisse ab Helvetiis, ut quisque sacerdos habeat concubinam, ne alienam tentet pudicitiam.* Ac *Sarpius Hist. Conc. Trid. Lib. VI pag. 592* testatur, *concubinatum in Clero adeo fuisse frequentem, ut e centum sacerdotibus vix tres quatuorve reperti sint, qui non clam vel palam contraxerint matrimonium.* Jam id ab *Aquila* etiam factum fuisse, eo minus mirandum, quod ipse noster *Schlegelius pag. 73* e *Gassaro* docet, in diœcesi Augustani Episcopi, cui tum suberat *Aquila*, concubinatum, sive, uti vocat *Sarpius*, conjugium clandestinum, fuisse sacerdotibus & licitum & frequentatum. Fecit itaque noster *Aquila*, quod fieri solebat, quodque antea paulo fecerat *Leonis Judæ*, Theologi Helvetii, pater, de quo in ejus *Vita* ita scribit *Melchior Adamus pag. 44: Joannes Judæ, plebanus Gemerensis, concubinam sibi de more illorum temporum adscivit, honesto loco natam,* Elisabetham, *quam unicam conjugali fide domi suæ aluit. Ex hac suscepit sub annum Christi 1482 filium hunc, Leonem Judæ.* Addimus, *Aquilam* id non temere, sed pie, & in timore Dei, fecisse. Vidimus enim hisce nostris oculis preces ab *Aquila* hoc, matrimonium inituro, ad Deum effusas, ac versibus Germanicis illigatas: quas postea adscripsit primæ editioni *Postillæ Lutheri Ecclesiasticæ*. Ut appareat pia viri simplicitas, adscribemus initium:

O Herr, bescher mir ein Weib,
Dass ich vertreib mein Brunst,
Und nicht verlier dein Gunst.

NOVA LITERARIA.

Prodiit haud ita pridem Mediolani exspectatus diu, omniumque votis expetitus, *Operum Caroli Sigonii Tomus sextus*, isque ultimus, quo inspecto, exiguam temporis moram, scriptorum selectissimorum, maximamque partem non solum non editorum nunquam, sed vix cognitorum Viris doctis, copia largissime compensatam dices. Debemus & hunc ipsum, ut priores omnes, laudabili curæ præstantissimi Viri, *Philippi Argelati*, Societati Palatinæ, quæ Mediolani floret, a Secretis, cujus cum prodierint hoc ipso tempore *ad Viros eruditos* Literæ publicæ, præcipua hujus Voluminis decora commemorantes, non abs re futurum judicamus, si eas hoc in loco omnibus harum rerum curiosis legendas dederimus. Sunt vero hæ:

Si singulas moræ causas ad excusationem proferre vellem, ne dilatam in hanc usque diem Sigonii *Operum complementum vitio mihi vertendum sit, plura sane dicenda mihi essent, quæ tædium augerent potius, quam imminuerent, commemoratione minimarum rerum, unde nihil utilitatis, plurimumque fastidii tandem esset exspectandum; quamobrem in summa scias velim, Vir erudite, non ante me debitum solvere potuisse, quam universa nostri Autoris opera in meam potestatem venirent, ut fidem liberarem. Neque parcendum labori fuit & sumtibus, non tantum in comparandis iis, quæ typis tradita per manus literatorum hominum circumferuntur, sed expiscandis, ut ita dicam, iis, quæ hactenus inedita in vasto celebratissimarum Bibliothecarum pelago longius ab oculis & memoria plurimorum abscondita delitescebant. Propositum namque mihi fuerat, ne minimum quidem prætermittere, quod alibi esset inquirendum, tantaque usus diligentia Operi absolvendo incubui, quantam nemo alias profecto adhibuisset, si quæstui potius, quam nomini ornando, studuisset. De illustrationibus vero, quibus aucta pariter sunt plurima* Sigonii *Opera meo quidem hortatu, & literato-*

rum

rum hominum studio, nihil mihi sane tribuendum ultra curæ qualecumque pretium; commodi namque plurimum atque utilitatis allaturas esse, non dubito. Ceterum hæc ita per me gesta sunt, ut animus eo semper intenderit, quo referendæ gratiæ debitum vocat, ad Augustissimum nempe Imperatorem Carolum VI, *cui me, familiam, & quicquid est industriæ, dicatum volui, ne indigna Numine Majestateque ipsius editio a me repetita censeretur, &, postquam in tanta mole negotiorum ad literas & opellas meas respicere non dedignatur, re ipsa palam facerem, munificentiæ suæ liberalitatem in eas versam a me fuisse causas, quæ bonorum omninm calculo sint probandæ, imo boni aliquid sapiant severioribus Criticis, qui ferulis Prætorianorum fascium exemplo publicitus elatis, edictum de libris edendis hoc tempore proponunt. Quandoquidem, si ad gravissimam difficultatem respexeris, quæ fuit in colligendis iis omnibus, quæ* Sigonium *autorem habent, inter quæ plurima, quod paucis foliis olim tradita, & in vulgus emissa, fortasse ob raritatem exemplorum erant peritura, atque Orationes potissimum; illico dices nos operam non lusisse, ac tædium moræ diligentia compensasse. Nos* Orationes *undecim hoc Tomo damus, & in editione Hannoviana septem numero tantum invenies.* Fragmenta Ciceronis, *quæ innumeris fere mendis in prima editione scatebant, quantum potuimus, repurgavimus, &, quoniam in iis prelo tradendis cognovimus, Fragmenta nonnulla in ea prima editione desiderari, ad quæ* Sigonius *suis scholiis animadverterat, ea opportuno loco restituta volui, qualia in Patriciana editione leguntur, collata etiam Hollandica cum notis variorum, unde plura excerpsimus ad nostram hanc editionem concinnandam. Neque minus adhibitum diligentiæ in edendo libro, cui titulus:* Consolatio, *vel* de Luctu minuendo, Ciceronis *nomine primum vulgato, de quo tanta non sine acerbitate a literatis viris prolata sunt, eique Dissertationem doctissimi* Scharfii *præposui, vulgatam olim in libro, cui titulus:* Miscellanea Lipsiensia, *Lipsiæ A. 1717, ibique invenies* pag. 119, *ut rei actæ seriem facilius quisque cognoscat, & loco suo binas* Orationes *ipsius Autoris nostri subjunxi, & librum, cui titulus:* Accusator. *Et, quoniam optime noveram, Clarissi-*

rissimum Muratorium *in Vita* Sigonii *tradidisse, tertiam Orationem typis Bononiensibus A. 1603 ea de re fuisse vulgatam, nullum lapidem non movi, tam Bononiæ, quam Romæ, Venetiis, Patavii, Neapoli, ac celebratioribus quibusque Italicis urbibus, amicosque omnes sollicitavi, si uspiam inveniri posset, atque ab omnibus rescriptum est, nemini unquam tertiam Orationem apparuisse; quamobrem necessario dicendum, Accusatoris librum in Orationum numero habitum ab eo Scriptore, qui ætate* Sigonii *vixerat, & a quo notitiam hauserat laudatus* Muratorius, *vel ob raritatem exemplorum intercidisse, uti sane intercidisse puto* Orationem Demosthenis, *quam* Sigonius *e Græca in Latinam linguam verterat, Vitas* Ægidii Foscararii, *&* Onuphrii Zarabbini, *Latine scriptas, quæ omnes Autori nostro ab ipso* Muratorio *tribuuntur, & per summam diligentiam longoque tempore a me quæsita, hactenus desiderantur. Jacturam tamen Vitæ* Zarabbini *reparatam volui versione Italica* Borgarucii, *quæ præposita legitur editioni sacrarum Orationum dicti* Zarabbini; *atque in universum, si quid mœroris fuit ob eas deperditas, longe plus gaudii obortum est ab ineditis aliis Operibus, quæ mihi, priora quærenti, emerserunt,* Opuscula *nempe duo, &* Epistolæ, *quæ in hac amplissima Ambrosiana Bibliotheca servantur, quarum 53 datæ sunt ad celebratissimum* Onuphrium Panvinium, *8 ad* Aldum Manutium, *3 ad* Vincentium Pinellum, *una vero ad* Camillum Bosium, *atque ad eas accessit Præfatio doctissimi* Josephi Antonii Saxii, *eidem Bibliothecæ præfecti, unde utilitatem earum Epistolarum facile cognosces.* Historiarum Bononiensium *Libros etiam in hac editione suppletos habebis beneficio eruditi Viri, Abbatis* Alexandri Branchettæ, *præfecti publicæ Instituti Scientiarum Bibliothecæ, quæ patrii Senatus liberalitate atque amore in literas novum in dies habet librorum augmentum. In eo MSto Codice* Sigoniana *Bononiensis Historia legitur ordine temporum continuata per eos decem annos, per quos in editis hiat lacuna, & ad annum usque MCCLXXIV producitur, &, nisi oscitantiæ typographorum id tribuere velim, ingenue fateor, me causas investigare minime potuisse, ob quas hacte-*

hactenus inediti latuerint. Praeterea in eo MSto Codice Historia Bononiensis aliud habet initium, quam quod legitur in impressis, & illud etiam propono, ne quidquam videar praetermisisse. Quod vero desiderium certe meum implevit, & eruditioni tuae placiturum scio, illud est pretiosissimum, quod opera Patroni & Mecaenatis mei, cujus nomen ut in honore, sic in silentio, habendum, e Vaticana Bibliotheca nuper accepi; Censuras *dico, in* Sigonianos *Libros de Imperio Occidentali, de Regno Italiae, in Notas ad* Sulpicium Severum, *& Librum de Republica Hebraeorum. Anonymus est earum Autor, adversus quem reposuerat* Sigonius, *adeoque mihi arrisit fortuna, ut Bononiae apud Amicum exemplum alterum Vaticanum Censurae cum* Sigonii Responsis *invenerim. Quod sane pertinet ad responsa in Censorem libri, qui Notas habet ad* Sulpicium Severum, *cum propria* Sigonii *manu scripta sint, ne minimum quidem de Autore dubitandum: cetera vero, quae, a me comparata cum Epistolis, aliena manu scripta illico apparent, aliquid hactenus incerti relinquere possent in forensi potius judicio, quam in literario, cui stilus & rationum gravitas est observanda. Tu, cum ea leges, Vir erudite, plurimum sane delectationis eris habiturus ob eximiam eruditionem, & acutioris Critices examen, quibus usus Autor noster, de doctrinae suae aemulis profecto triumphavit,* Glareano, Robortello, *ceterisque invidis, frustra blaterantibus. Censuris iis & Responsis praemisi etiam libellum de utilitate capienda ex Historia* Caroli Sigonii *de Regno Italiae, a Viro doctrina & dignitate eminentissimo scriptum, nempe ab* Augustino Valerio, *S. R. E. Cardinali, & Episcopo Veronensi, ne laudator laudatissimus ipse* Sigonio *deesset. Quaecunque vero hoc Volumine complexi sumus, isto quidem ordine leguntur:*

Caroli Sigonii *Emendationum Libri II;* Ej. *Disputationum Patavinae adversus* Franciscum Robortellum *Libri II;* Ej. *de binis Comitiis, & Lege curiata, posterior cum* Nicolao Gruchio *disputatio;* Ej. *de Nominibus Romanorum Liber;* Ej. *de Dialogo Liber, in quo de Personis, de locis, ac tempore scribendi Dialogi, vocatis ad examen antiquorum Philosophorum autoritatibus, elegantissime disserit;* Ej. *Orationes variae, nempe pro Eloquentia quatuor; de Latinae Linguae usu retinendo; de laudibus Historiae; de laudibus studiorum humanitatis; Oratio habita in Gymnasio Patavino*

idus

8 *Idus Novembris anni* 1560; *de ingenio excolendo; & de laudibus Bononiæ Oratio, habita in Academia Bononiensi 7 Idus Novembris anni* 1563; *cum D.* Rodericus de Pazos Figueroa a Pontevedra, *Hispanus insignia Scholæ Rectoratus acciperet, Oratio habita Bononiæ 5 Nonas Octobris A.* 1575; Aristotelis *de Arte Rhetorica Libri III*, Carolo Sigonio *interprete, in hac editione a pluribus mendis expurgati; Fragmenta Ciceronis, passim dispersa,* Caroli Sigonii *diligentia collecta, & Scholiis illustrata,* Philippus Argelatus, *Bononiensis, recensuit, & Scholia suis locis apposuit;* M. Tullii Ciceronis *Consolatio, vel de Luctu minuendo, cui nunc præfigitur* Antonii Riccobonii *Judicium de eadem: atque M.* Godofredi Balthassaris Scharfii *de vero Autore Consolationis Ciceronianæ Dissertatio;* Caroli Sigonii *Orationes II, nec non Accusator pro* Ciceronis *Libro de Consolatione, omnia a nonnullis mendis expurgata;* Ej. *de rei Romanæ Scriptoribus Judicium; Vita* Onuphrii Zarabbini, *Cotineolensis, Canonici Regularis e Congregatione Salvatoris,* Carolo Sigonio *Autore;* Ej. *Opuscula II, adhuc inedita, nempe de Donatione* Constantini M., *& de Scholis Bononiensibus, nec non ejusdem Epistolæ, omnia nunc primum prodeunt e MStis Codicibus Bibliothecæ* Ambrosianæ, *cum prævia Præfatione Clarissimi Viri,* Josephi Antonii Saxii, *eidem Bibliothecæ Præfecti; Continuatio ad Historiam Bononiensem ab anno* 1258 *ad* 1274, *Autore* Carolo Sigonio, *nunc primum prodit ex MSto Codice Bononiensi;* Anonymi *Censuræ in varia* Caroli Sigonii *Opera, nempe in Occidentale Imperium, in Regnum Italiæ, in Notas ad Historiam Sacram* B. Sulpicii Severi, *& in Rempublicam Hebræorum, cum Responsionibus ad easdem Censuras, quibus præmittitur Opusculum Clarissimi Viri,* Augustini Valerii, *S. R. E. Cardinalis, & Veronensis Episcopi, de utilitate capienda ex Historiis* Caroli Sigonii *de Regno Italiæ; omnia nunc primum in lucem prodeunt ex MStis Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ, & ab altero Bononiensi;* Julii Signii *ad* Carolum Sigonium *de* M. T. Ciceronis *Consolatione, vel de Luctu minuendo, Epigramma: nec non Epicedium in funere* Caroli Sigonii, *Autore* Anonymo: *ex MSto Codice Bibliothecæ Ambrosiana. Hæc sunt, quæ rescire te volui, Vir erudite, unde labores hosce meos æstimare possis, &, si grati futuri sint, ad alia brevi capessenda humanitate, qua soles, animum addas. Dabo etenim quamprimum literas, in quibus consilium meum de nova editione Operum alterius Autoris, qui* Sigonio *celebritate nominis & doctrina par esse possit, & eruditioni tuæ novum etiam afferat emolumentum. Ex iis omnia cognosces, & liquido constare poterit, eos nos esse, ut pluribus nullam ob injuriam graves, sicuti manus ab alienis operibus cohibemus, ita & aliorum molestiam hactenus patientissime toleramus. Vale.*

Dabam Mediolani 9 Calendas Martii A. 1738.

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Julii Anno MDCCXXXVIII.

ACTA COMITIALIA RATISBONENSIA PUblica, oder Regenspurgische Reichs-Tags-Handlungen, &c.
h. e.
RATISBONENSIUM COMITIORUM ACTA & Historia, qua ea, quæ A. 1653 & 1654 gesta sunt, describuntur, Autore JOANNE GOTHOFREDO DE MEIERN.

Lipsiæ, apud Mich. Turpium, 1738, fol.
Alph. 12 plag. 22.

Generosissimus hujus Operis Autor, cum intelligeret, connexissima esse cum *Pace Westphalica*, quæ paucis annis post deliberata & acta fuerunt in Comitiis Imperii, ut & integritatem conciliaret suo *Actorum Pacis Westphalicæ* Operi, & nihil desiderii relinqueret tam splendidi tamque elaborati Operis possessoribus, hoc quoque Opus, de quo nunc verba sumus facturi, composuit tanquam justam ac necessariam prioris Operis appendicem. Scilicet in Westphalica illa pacificatione cura justitiæ in Romano Imperio ad certam perpetuamque normam conformandæ propter aliorum negotiorum multitudinem & moram dilata fuerat in proxima Comitia. In his igitur A. 1653 & 1654 tractata fuit & pertractata hæc gravissimi momenti materia, ad ultimumque in lucem prodiit Decretum Imperiale de modo administrandæ posthac justitiæ. Apparet jam statim, quanti sit facienda lex hæc publica, quamque magno & suo & clientium suorum

incommodo clara solidaque ejus cognitione careant cum Judices, tum Advocati, patriæ nostræ, hoc est, Germaniæ: quam contra utrisque sit necesse, perspectam habere & legem illam sapientissimam, &, sine qua satis interpretari eam nemo valet, ejus historiam. Habemus igitur hoc in Opere non solum Decretum, quod diximus, Imperiale, sed universas de eo habitas deliberationes, e justissimis & simul uberrimis monumentis (quæ unde acceperit Ill. Autor, Præfatio docet,) luculentissime expositas. Exstat quidem jam *Pfanneri Historia Comitiorum Imperii, A. 1652, 1653, & 1654, celebratorum*, quam Illustris noster Autor non fraudat laude debita; at, præterquam quod stilus *Pfannerianus* multum habet caliginis, longe abest illa Historia a justa perfectione. Noster autem Autor non tantum consummatam exhibet historiam, verum etiam, ut major lux affulgeat isti negotio, adjecit, quæ jam A. 1643 & 1644 acta fuerant Francofurti de certa justitiæ Germanicæ norma: nec aut sumtui aut operæ pepercit, ut produceret, & conspicienda hic exhiberet, quæ in scriniis inaccessis, imo & incognitis, tam diu latuerant.

Perlustrandi nunc nobis sunt *Tomi* hujus *prioris* (*posterior* brevi subsequetur,) *Libri*, in quorum *primo*, posteaquam causas attulit, cur ad annum 1652 dilata fuerint Comitia, exponit toto, quid Ratisbonæ A. 1652 actum sit ante Comitiorum exordium. Occurrunt hic plures controversiæ, quarum pars magna fuit composita, e. g. de præcedentia, de admissione Legatorum Suecicorum ad hæc Comitia. Describitur etiam *§. 29* & *30* electio Regis Romanorum, Augustæ Vindelicorum facta, ejusque coronatio, cujus universæ cerimoniæ recensentur. Præcipue legi digna est, quæ *§. 21 pag. 144 – 152* exhibetur, Principum Protestantium Epistola ad Imperatorem, qua ipsum rogant, ut in regionibus suis hæreditariis liberam permittat religionem iis civibus, qui Augustanæ Confessioni sunt addicti. Apparet, Autorem hujus Epistolæ fuisse pium, & de iniquitate juris in conscientias affectati solide edoctum, Politicum. In *secundo Libro* commemorantur controversiæ, quæ, cum mense anni 1653 Junio Comitia cœpissent initium,

initium, ortæ ſunt plures. Aichſtadienſis enim Epiſcopus locum ſibi aſſerebat contra Spirenſem: Civitates Imperii, ſe votum in Comitiis habere deciſivum, contendebant: antiqui Principes non ſimpliciter, ſed certis ſub conditionibus, in Senatum Imperii cooptari volebant novitios Principes: querelarum nonnihil proferebatur contra Pontificios, ſuam ibi exercentes religionem, ubi jus non habebant. *Tertio* in *Libro* exhibentur Protocolla Seſſionum, ſecutarum usque ad finem menſis Auguſti. Hoc temporis tractu adhuc diſceptabatur de materiis hoc in conventu tractandis, deque Deputatis ad plenam Pacis Weſtphalicæ executionem conſtituendis, denique de majoritate votorum in materia Collectarum. Tum quoque Monaſterienſis Epiſcopus ab Imperatore petebat ſingulare ſuffragium (*votum* vulgo vocant,) nomine Comitatus Strombergici: eique aſſentiebatur Imperator. Conſilia Comitum Imperii arctam inter ſe ſocietatem ineundi in communem utilitatem, ejusque confirmationem ab Imperatore petendi, *§. 6 pag 384 ſeq.* deſcribuntur; oſtenduntur que difficultates, huic conſilio objectæ. Qua occaſione ſimilis Comitum Wetteraviæ conjunctio, A. 1602 facta, deſcribitur *pag. 398 ſeq.* Judicii Imperialis Rothwilenſis Epiſtola ad Senatum Imperii, in qua oſtenditur, Judicium illud (quod quidam ſuaſerant,) jure abrogari non poſſe, profertur *§. 15.* In *quarto Libro* exhibentur Protocolla Seſſionum usque ad diem quartum Novembris. Hic rurſus Civitates Imperii urgent ſuum jus, quo adeſſe debeant relationibus & correlationibus publicis cum voto deciſivo. Comites item denuo deliberant de arctiori inter ſe ineunda ſocietate, cujus novum *Projectum* hic exhibetur. Diſputatur quoque de loco in ſeſſionibus Comitialibus aſſignando illis Principibus, quorum Principatus olim fuerant Epiſcopatus, e. g. Principi Halberſtadienſi, Mindenſi. Deliberatur adhæc de conſervando jure primogenituræ in Principatibus Germaniæ. Rex Sueciæ per literas ad Cæſarem contendit, Bremam non oportere haberi pro civitate Imperiali, ſed ſuæ ditioni ſubjectam eſſe. Tamen Procancellarius Imperii hoc ipſo tempore Bremenſibus promittit patrocinium Cæſaris ad

retinendam dignitatem urbis Imperialis. Exhibetur hic etiam Assertio Bremensis juris sui immediati. Multa postea disputantur de parificatione Deputatorum Imperii, deque pluralitate votorum in materia Collectarum. Scilicet urgebatur, totidem Deputatos Protestantes esse debere, quot Catholicos. Porro controversia exhibetur inter Electorem Brandeburgicum & urbem Magdeburgum, quæ libera haberi volebat Imperii civitas. In *Libro quinto* narratur longa lis Legatorum Principalium cum Electoralibus, illis contendentibus, inseri concluso publico debere rationes ab Evangelicis prolatas, his, id faciendum esse, negantibus. Legitur deinde Brema accepisse Protectorium Cæsareum contra Suecos: idque hic producitur. Tum Electores asserunt, separatum se facere in Imperio collegium, nec pari cum Principibus ambulare passu. Exhibentur item literæ Electoris Brandeburgici, graviter suadentis, ut approbetur pacificatio in deputationibus publicis, eaque re satis fiat voluntati Principum Imperii. Cui cum nec Cæsar assentiretur, nec Electores ceteri, idem is rursus urget *§. 15 pag. 765 seq.* datis ad Imperatorem literis, itemque ad Electores ceteros. Principibus conquerentibus de Abbate Corbejensi, indebita injungente onera oppido Hoexteræ, Cæsar ei mandat, ut judicio se submittat Cameræ Spirensis. Componuntur tandem lites cum Duce Lotharingiæ, datis ipsi trecentis Imperialium nummorum millibus. Hinc §. *11 pag. 731 seq.* novas legere licet literas Legatorum Protestantium, Cæsari ipsi a quatuor Deputatis redditas, quibus denuo precantur, ut civibus suis Augustanæ Confessioni addictis permittat religionis libertatem, ne, quod illo ipso tempore in Silesia fiebat, Pastores eorum violenter ejiciantur. Potissimum his utuntur argumentis: coactionem civium ad religionem, quam non agnoscant esse veram, natura injustam, & Scripturæ sacræ adversam, esse: hoc pacto Imperatorem suas regiones privare civium magna multitudine & commerciis, seque maximis reditibus: antecessores Imperatoris civibus suis Protestantibus indulsisse libertatem religionis: Imperatorem sibi conciliaturum esse amorem & fiduciam Principum Protestantium, si non persequatur

quatur ipforum religionem fuis in terris: cogitandum effe, lachrymas Proteftantium, quos perfequatur, in cœlum adfcendere, nec fua virtute carituras effe. Refertur *§. 17 pag. 788 feq.* conatus plerorumque Imperii Statuum, efficiendi, ut Brema admittatur ad votum & feffionem in Comitiis: & *pag. 796 feq.* exhibetur fententia Imperii de Brema ad id admittenda, d. 10 Januarii A. 1654 edita. In *fexto Libro* multa difputantur de Lotharingici Ducis invafione in terras Leodienfes, itemque de admiffione novorum Principum in Senatum Imperii. In *§. 19* relatum legimus, Legatum Bremenfem A. 1654 d. 8 Febr. admiffum fuiffe in Imperii Senatum. Longam vero hic *Liber* habet appendicem *pag. 977 – 1001*, in qua exhibentur Sueciæ Legatorum fcripta contra libertatem & *αὐτονομίαν* civitatis Bremenfis. *Liber feptimus* docet, cum tandem abitum meditaretur e Comitiis Imperator, multa veniffe fub aciem deliberationis. Sed, ea figillatim recenferi, prohibet noftra brevitas. Illud obfervatu præ ceteris dignum, Imperatorem, a Statibus Imperii femel iterumque rogatum, ut vel remaneat adhuc duos trefve menfes, vel filium fuum aut alios Commiffarios relinquat, tandem (*pag. 1075*) prorogaffe hæc Comitia, & Ordines Imperii poft biennium huc loci reverti juffiffe ad componendas controverfias refiduas. Habita fuper hoc Imperatoris Refcripto deliberatione, Legatus Guelficus *pag. 1081* copiofius ceteris fua exponit monita: inprimis urgens, ut Decreto five Receffui Imperiali inferatur mentio Capitulationis, utque Imperator definat fubditos fuos Auguftanæ Confeffioni addictos ob hoc ipfum tractare hoftiliter. Ac *pag. 1109 feq.* altera prodit & feverior Legatorum Suecicorum ad Imperatorem Epiftola, de concedenda Lutheranis libertate religionis in terris Auftriacis. Etiam Epiftola Statuum Imperii Proteftantium ad Imperatorem, idem rogantium, fiftitur *pag. 1120 feq.* Receffum Imperii d. 7 Maji A. 1654 publicatum fuiffe, *§. 21 pag. 1133* legimus: qui quidem *Receffus* hic non exhibetur a Generofiffimo Autore noftro, fed *pofteriori* hujus Operis *Tomo* refervatur. Ceterum

proximo ſtatim die Proteſtantes Imperii Principes exhibebant ſua monita contra illum Receſſum, quæ potiſſimum *pag.* 1136 – 1146 legi poſſunt. Coronidis inſtar exhibet Noſter *pag.* 1147 – 1153 cujuſdam Politici Proteſtantis (cui nomen eſſe *Schwarzkopfio*, e Præfatiuncula facile colligent Lectores: qui & e *pag.* 1158 clarius cognoſcent hunc Criticum,) judicium de his Comitiis, innexa habens plura conſilia libera &, ut uſitate loquamur, patriotica. Ultimo loco *pag.* 1155 *ſeq.* profertur Decretum Principum Proteſtantium, d. 1 Maji A. 1654, durantibus hiſce Comitiis, factum, de abolendo in ſuis Academiis *Pennaliſmo*, qui mos ſuperioris ævi inveteratus hic vocatur ***barbara & crudelis licentia.***

EMANUELIS MARTINI, ECCLESIÆ Alonenſis Decani, Epiſtolarum Libri duodecim. *Tomi II.*

Mantuæ Carpetanorum, apud Joannem Stunicam, 1735, 8. Tom. I Alph. 1 plag. 13, Tom. II Alph. 1 plag. 4.

EMANUELIS MARTINI, ECCLESIÆ Alonenſis Decani, περὶ Παθῶν, ſive de Animi affectionibus, Liber.

Mantuæ Carpetanorum, apud Joannem Stunicam, 1735, 8. Plag. 4½.

EMANUELIS MARTINI, ECCLESIÆ Alonenſis Decani, Vita, ſcriptore GREGORIO MAJANSIO, Generoſo, & Anteceſſore Valentino, Hiſpaniarum Regi a Bibliotheca.

Mantuæ Carpetanorum, apud Joannem Stunicam, 1735, 8. Plag. 11½.

Cum aliæ omnes Europæ cultioris gentes ampliſſimam nobis de ſuis in elegantiorem doctrinam meritis dicendi materiam præbeant; una fere Hiſpania, illa imperio, potentia,

tia, civium nobilitate, florentissima regio, suarum laudum nos rarissimos præcones habet. Neque vero hæc nostra, sed ipsius culpa est Hispaniæ, non eam literarum, quam armorum forte, gloriam sectantis, & inveteratam quandam barbariem tanquam in sinu suo foventis. Ita enim ex iis ipsis, quibus datum est in illa gente ultra vulgus sapere, haud pauci judicant, vix usquam alibi a veris literarum amatoribus majorem solitudinem esse, &, si quid in Hispania novi operis excudatur, id veteris scholæ spinas horridas, & ineptias majorum, redolere. Qui ipsi, multum desciville ab antiqua virtute patriam, queruntur, &, inculta nunc jacere illa studia, quæ *Vivem* olim, *Augustinum*, *Goveanum*, *Marianam*, alios, nobilitarunt, vehementer dolent. Quanto vero id bonarum artium incommodo & detrimento accidat, vel hinc existimari potest, quod nulli genti ad tractandum nobile Musarum opus paratiora a natura ipsa sint subsidia, quibus si recte illa uteretur, quanta tunc ab illa etiam Europæ parte, quam tristes huc usque tenebræ obtexerant, melioribus scientiis speranda incrementa forent! Ducit nos in hanc sententiam posita ob oculos nostros præstantissimorum, etsi numero paucissimorum, quibus hoc ipso tempore, non dicam superbit, sed potest superbire, Hispania, ingeniorum imago, quam intuentibus nobis, omnia illa artis & naturæ decora, aliarum gentium nobilissimis civibus singulatim data, conjuncta & consociata obveniunt. Est ex illis unus, aut, quod verius dicemus, illorum princeps est & gloria præcipua, *Emanuel Martinus*, Alonensis in Valentia Ecclesiæ Decanus, Vir *Tulliano*, quam hoc nostro, ævo dignior, & cujus unius discere exemplo liceat, quam feliciter exprimere incomparabilem ævi veteris elegantiam nostra, si velit, ætas possit. Videntur enim ad fingendum hunc hominem, & divinis ingenii dotibus instruendum, Gratiæ omnes Veneresque convenisse, nec quemquam facile alienæ virtutis spectatorem tam frigidum putamus, quem non publica illa, aut olim jam data, aut nuper demum nostris manibus oblata, *Martinianæ* monumenta doctrinæ, in admirationem solita majorem rapiant. Diu est, quod spectatissima hæc virtus inter eruditos emicuit, &,

&, quisquis excellentis hujus Viri *Ἀπαστέρωσιν Arca sua*, *Ovidiana* venæ carmen, & *Montefalconianum Antiquitatum* Opus, cui ab erudita *Martini de Theatro Saguntino* Dissertatione plurimum accessit ornamenti, porro *Aguirrianam Conciliorum Hispaniæ* Collectionem, & *Nic. Antonii Bibliothecam Hispanam veterem*, utramque præstabili *Martini* partim opera collectam, partim cura editam, inspexit, satis ei, quam præclara *Martini* in omne literarum genus exstent merita, constare arbitramur. Illa vero, quanticunque æstimentur, certe gratiæ & dignitatis parum habebunt, si cum nitidissimis *Epistolarum* Libris, jam demum a sene plus quam septuagenario vulgatis, comparentur, omnis quippe eruditionis instructissimo thesauro, in quo uno, quicquid venustum & elaboratum humana potest industria producere, repositum videtur. Est enim, quod legenti unicuique patet, horum genus scribendi a vulgari remotissimum, exulantque hic inanes illæ laudum & blanditiarum formulæ, aut rerum domesticarum inutiles narratiunculæ, quibus aliæ aliorum Epistolæ, ab illustri nomine scribentium omne mutuantes decus suum, repletæ sunt cum maximo legentium fastidio. Dictione *Martinus* tali utitur, quæ proxime accedat ad *Terentii* & *Plauti* suavitatem; ex quorum quippe lectione tantum ab ipsa inde pueritia oblectamenti cepit, ut nullius æque Scriptoris exprimendam sibi orationem duxerit. Facit tamen ingenii, quod præ multis aliis *Martino* datum est excellens & egregium, ignis ille atque virtus vivida, ut cum servili imitatorum genere habeat commune nihil, &, cum maxime imitari veteres videtur, tum propria quadam ac pæne inimitabili orationis structura placeat. Verbo dicemus: ea *Martinianæ* dictionis castitas & venustas est, quam nostra ætate assequi aut nulli, aut paucissimis, contingit; &, si quis eam dici potest assecutus, nihil illi ad Romanæ in dicendo majestatis deesse gloriam putandum est. Ipsa vero Epistolarum argumenta si spectentur, ea non solum vulgare nihil habent, sed tanta etiam bonarum rerum copia redundant, ut vel hoc nomine Epistolæ *Martini* locupletissimum eruditionis omnis

arcana-

armarium vocari possint. Habent hic, quod in rem suam vertant, omnium ordinum ac ætatum eruditi, quorum nullus est futurus, qui non ex horto hoc amœno suavissimi odoris flores, lectissimosque fructus, domum referat. Nam, quod gratiam insignem parit his Epistolis, jucunda rerum est varietas, non ea quidem, quæ levia a gravioribus, sed quæ merces nobiles ab æque bonis, distinguit. Fieri tamen non potuit, quin ad ea maxime studia, quibus se præ ceteris addixerat, ad rem scilicet grammaticam & antiquariam, ingenii se quodam trahi Noster impetu sentiret. In quibus ille agris cum per omnem vitam desudaverit colendis; non est mirum adeo, a domestica hac doctrinæ elegantioris parte plurimam ipsi scribendi materiam venisse. Quantas igitur habendas gratias putemus Viro in Hispanis præstantissimo, *Gregorio Majansio*, Antecessori Valentino, & Hispaniarum Regi a Bibliothecæ custodia, magno illi Musarum in Hispania defensori, qui, suo nuper exemplo expertus, quantum famæ acquiri possit Epistolis non negligenter & ignave, sed cum cura, scriptis, & arte pulchra dedolatis, frequenti sua admonitione, assiduisque precibus, eo tandem, reluctantem diu, & suis quasi diffidentem meritis, *Martinum* adduxit, ne formosos hos labores, in tabula suspendi publica dignissimos, latitare diutius in tenebris inauspicatis pateretur. Nimirum, quod literæ *Interiani de Ayala* & *Martini* mutuæ nos docent, jam ante quin- Tom. I
que & viginti annos forte in mentem venerat *Martino*, quic- pag. 74.
quid Epistolarum tunc in scriniis habebat, (nam, quæ nunc versantur nostris manibus, partem magnam scriptæ sunt post illud tempus,) publicare; quin eo res processerat, ut jam videret *Martinus* opus suum immortalitati consecratum elegantissimis *Interiani* Phaleucis, in ipsa Epistolarum, si ita videretur *Martino*, fronte collocandis. Sed abjecit postea, nescimus, qua de causa, hoc consilium; nisi forte effectum id gratiæ ab Hispanis ineundæ spe valde dubia existimes. Ita enim non sine indignatione Noster: *Quodsi quid in Epistolis Latini* 480.
candoris ac venustatis, ut tibi videtur; quid id tandem ad hirta & intonsa Hispanorum studia, eorumque mucidas quæ-

 stiones

ſtiones atque σαπρὰς? Quibus una literarum via: quæ ducit πρὸς τὰ ἄλφιτα? Nonne igitur pro quantula illa cunque gloria, fama, exiſtimatione, ſummum dedecus referam, cum maxima ignominia conjunctum atque ludibrio? Et (quod ſoricibus accidere ſolet) meo ipſius indicio peribo? Quod extremæ profecto eſſet amentiæ. Quod vero ſe nunc demum paſſus ſit ad curas priſtinas reduci, debemus id, ut diximus, *Gregorio Majanſio*, aut, ſi mavis, Generoſiſſimo in Saxonibus Equiti, *Joanni Theodorico de Schœmberg*, qui, certior olim factus in Hiſpanico itinere de politiſſima *Martini* muſa, nobiles quosque fœtus quotidiano fere partu excludente, cum poſtea in patriam redux cives ſuos magna noſcendi propius præclari Viri egregias virtutes cupiditate incendiſſet, rem gratam his facturus, cum *Martino* non ipſe tantum per literas, ſed interprete etiam *Majanſio*, de mittendis ad ſe, ut omnibus ipſius ſcriptis, ita *Epiſtolis* inprimis, & horum editione ſuæ curæ permittenda, agere amice cœpit. Cujus, & *Majanſii*, honeſtiſſimæ petitioni, multum & frequenter iteratæ, cum ille, plurima primum cauſatus impedimenta, annuiſſet tandem, jamque prela Lipſienſium excudendo Operi pulcherrimo parata eſſent, præter ſpem & exſpectationem interverterunt omne hoc negotium inauſpicatæ, quibus afflictam ante aliquot annos Europam conſtat, bellorum turbæ, hac etiam ex parte bonis literis pernicioſæ. Sed, quæ Lipſiæ negata videbatur, ipſi ſcilicet Hiſpaniæ fuerat inſignis gloria reſervata. Nam, cum eodem tempore Bibliothecæ regiæ, quæ Mantuæ Carpetanorum eſt, *Majanſius* præficeretur, hic, familiarior in illa urbe factus *Joſepho Octavio Buſtanzio*, in aula Regis Hiſpaniarum Reipublicæ Genuenſi a Secretis, conciliante optimo hoc Viro, ad colloquium admiſſus eſt illuſtriſſimi Anglorum apud Hiſpanos Oratoris, *Benjamini Keene*, qui, valde ſe delectari illis *Martini* Epiſtolis, quas legiſſet olim inter *Majanſianas*, affirmavit, &, ſi ceteræ omnes impetrari ab Autore poſſent, ſuis illas prodituras ſumtibus, recepit. Qua viri ſummi liberalitate, opportune ſibi oblata, utendum ille in rem ſuam arbitratus, omnem ſtatim

Epi-

Epiſtolarum ſupellectilem, ſua ſcriptam manu, eidem Anglorum ornamento tranſmiſit; ſicque honeſtiſſimis impenſis *Keenii*, & inſigni *Majanſii* cura, qui omnia diligenter recognovit, ejuſdemque *Martini* περὶ παθῶν, ſive *de animi affectionibus*, libellum affectum, & *Vitam Martini* ampliſſimam, adjecit, factum eſt, ut, quicquid hujus eſt præclari & vix ſatis admirandi operis, noſtrum tandem nitidiſſimo hoc habitu conſpectum ſubierit. Continentur igitur *duobus Voluminibus* Epiſtolarum Libri XII, earum partim, quas *Martinus* ipſe ſcripſit, partim aliarum etiam, quas ab eruditiſſimis ætatis ſuæ viris accepit. De quarum pretio facile exiſtimaverit, qui ſcribentium ipſa tantum nomina cognoverit. Habes enim hic literas *Joannis Interiani de Ayala*, Canarienſis, Doctoris Theologi Salmanticenſis, *Cæſaris Laurentii Buliphonis*, Neapolitani, *Philippi Buliphonis*, JCti Neapolitani, *Joſephi Borrullii*, Valentini, in Granatenſi curia Senatoris, *Joſephi Octavii Buſtanzii*, Patricii Genuenſis, *Jo. Baſilii Caſtelvinii*, Valentini, Cervilionis Comitis, Imperatori *Carolo VI* a Cubiculo & ſanctioribus Conſiliis, *Joannis Conductii*, Angli, *Jani Vincentii Gravinæ*, *Clementi XI* a Bibliotheca, *Joſephi Joach. Lorgæ*, Latinæ linguæ in Academia Valentina Profeſſoris, Marchionis *Scipionis Maffæi*, Veronenſis, *Gregorii Majanſii*, Olivenſis, Anteceſſoris Valentini, *Joſephi Eman. Mignanæ*, Valentini, *Bernardi Monteſalconii*, Monachi Benedictinæ Congregationis S. *Mauri*, *Emanuelis Navarronis*, Doctoris Theologi Salmanticenſis, *Cæſaris Portolani*, *Gabrielis Jo. Reginerii*, Galli, & *Jo. Theodorici de Schœmberg*, Equitis Miſnenſis. Singulorum elegans ſcribendi genus eſt; habent tamen præcipuum quoddam decus *Interiani*, *Philippi Buliphonis*, *Caſtelvinii*, *Gravinæ*, *Maffæi*, *Mignanæ*, & *Majanſii*, Epiſtolæ. Omnes vero in amore atque ſtudio *Martini* amiciſſime conſpirant, ut, quantum hujus Viri inter ſuos æque ac inter exteros omni tempore nomen fuerit, vel his conſtare teſtibus poſſit. Quis enim non valde ſibi glorioſum ducat, ab eruditiſſimis ætatis noſtræ Viris vocari cum *Martino Muſarum antiſtitem, myſtam, & parentem*, *Virum* πολυμαθέστατον,

alterum Latinitatis Varronem, eruditorum principem, Hispanæ gloriæ vindicem, elegantioris literaturæ & omnis antiquitatis ærarium, nostri seculi decus & ornamentum, gentisque suæ rarissimam gloriam; quibus si condecorari nominibus magnum est, certe, his dignum judicari ab omnibus, longe majus videtur. Ipsis Epistolis admixtæ sunt passim Dissertationes integræ, privata industria a *Martino* conscriptæ, &, nisi hic comparuissent, vix unquam lucem publicam visuræ; nec non felicissimæ venæ Carmina, in quibus vix satis admirari possis splendidissimam illam *Arcæ consecrationem*, anno jam 1727 seorsim publicatam, & loco satis commodo nunc repetitam. Carent & novitatis pretio Epistolæ nonnullæ, illæ nempe *Philippi Buliphonis* & *Martini*, quæ cum *Consecratione Arcæ* dudum prodierunt, & *Majansii* ad *Martinum*, hujusque ad illum, omnes, quas suarum *Epistolarum* Volumini olim *Majansius* adjecerat, denique & *Castelvinii* ad *Martinum* una, aliaque hujus ad *Castelvinium*, quæ, cum *Martini ad Hispanam juventutem*, & *ad Lecturos*, literis, præmissæ sunt *Ferdinandi Ruizii Villegatis Carminibus*, Venetiis A. 1735 publicatis. Splendet in fronte Operis, & Dedicationis locum sustinet, Epistola *Martini* ad *Benjaminum Keene*, qua omnem ei Epistolarum supellectilem submisse offert, ejusdemque arbitrio editionem harum omnium permittit. Hanc sequitur duplex Operis *Censura*, altera *Blasii Antonii Nassarre & Ferriz*, Bibliothecæ regiæ Præfecti, altera *Joannis Iriarte*, Regiæ Bibliothecæ Quinqueviri, per septem paginas decurrens, in qua tanquam in tabula depictum, quicquid habent elegantiæ & venustatis hæ Epistolæ, videmus. Jam in rem nostram utemur instructissimis *Martinianæ* eruditionis divitiis, & ex insigni rerum optimarum, quæ legentibus nobis obvenerunt, apparatu hic paucula tantum, sed ea selecta maxime & scitu digna, annotabimus. Alliciunt nos autem ea præ ceteris, quæ pertinent ad Criticam, scientiarum partem nobilissimam & plane principem, in qua *Martinus* tanquam in suo fundo dominatur. Nam, cum vocum ac dictionum Latinarum potestatem castitatemque expendit, vivi instar Lexici est,

omnia

omnia omnium Scriptorum loca in numerato habens. Particulam *equidem* personæ tantum primæ aptari posse, scimus Tom. I eorum multis, qui non ultimum inter Grammaticos locum pag. 69. occupant, persuasum. At, personæ etiam secundæ & tertiæ jungi recte posse, & contractius pro *& quidem*, non, quod videtur aliis, pro *ego quidem*, dici, Noster, adductis veterum Scritorum locis bene multis, ostendit. Quid sit *signum septem pedes altum* apud *Livium Lib. VIII Cap. 10*, ita planum facit, 91. ut nihil amplius supersit dubii; ibidemque, pro *piaculum hostia cædi* legendum *piaculo hostium*, acute vidit; nisi forte præferendam putes Codicum quorundam lectionem, *piaculum hostium cædi.* Formula *vale & salve* non aliter, si audias *Martinum*, veteres sunt usi, quam cum ab iis recessere, 112. in quorum nunquam erant amplexum ac congressum reddituri. In versu *Virgiliano*:

Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant, 147.

invenisse sibi, quod mireris, figuras decem & tres videtur, quas ita enumerat, ut singularum simul rationem reddat. De *gæso*, teli genere, ad *Livii Lib. VIII Cap. 8* tam erudite, tamque copio- 92 seq. se, commentatur, ut vix ante eum quisquam alius. In loco ejusdem *Livii: Ne sacra regiæ vicis desererentur*, *Flaminem, Jovi assiduum sacerdotem, creavit*, defendit vulgarem lectio- 312. nem *regiæ vicis* contra *Vinc. Turresium*, qui *regiæ vitiis* scribendum conjecerat. Plenæ inprimis sunt ejusmodi deliciarum Epistolæ *Martini* ad *Minianam*, in cujus epistolari dictione cum labeculas nonnullas notat, multa minime vulgaria, nec adultioribus negligenda, profert. Est in his una, præ cete- 196 – 218. ris cultissima, & integri libelli formam habens, qua *Minianæ de Bello Valentino* Opus, destinatum tunc luci publicæ, sed nunquam editum, sub criticum examen vocat, &, quæ legenti ipsi parum caste, nec satis eleganter, dicta obvenerant, tam indicat amice, quam docte emendat. Sed hic, ut verum fateamur, interdum justo se rigidiorem præbet, reprehendens ea, quæ bona erant, aut saltem quæ tolerari poterant. Nam, quod vocem *quassatio* haud esse Latinam ait, meliora doceri poterat ex *Livii Lib. XXII Cap. 17*, ut taceamus aliorum loca; quod *vacuefa-*

ctus apud idoneum Autorem vix reperiri perhibet, in eo injuriam facit *Nepoti*, ea voce bis utenti, *V*, *2*, *5*, & *XX*, *3*, *2*, quin ipsi *Ciceroni*, habenti id vocabuli in *Orat. in Catil. I*, *7*, nisi illis potius credendum putes, qui *vacua facta* legunt. Sunt & alia nimis religiose notata, sed quibus docte satis ipse *Miniana* respondet. Per longam Epistolarum seriem extenditur amica hæc disceptatio, cui nemo non lubens spectator adsit. Dolendum autem maxime, Historiam hanc *Minianæ*, qua ingressum Austriacorum Fœderatorumque in Valentiam descripsit, opus, si illi alteri, quod *Marianæ* Historiæ Hispaniæ nuper attextum est, simile existimetur, egregium & expolitum, nondum suis tenebris egressam, nec his egressuram unquam, si vera retulit *Don Hyacinthus Jover & Valdenoches*, qui, exstincto *Mariana*, abiisse hanc opellam in manus furaces hominis ignoti, nec, quorsum pervenerit, nunc satis constare, nos docet in Præfatione, novæ editioni *Marianæ* præmissa. Sed redeamus ad *Martinum*, qui, cum in alienis scriptis omnium minutiarum observator fuerit, minus religiosus in suis fuit, usus subinde vocabulis & dictionibus non optimis, quin plane barbaris, quales sunt *elucescit*, *ab eo amplector*, (quod uni *Plauto* placuit,) *veritate perscrutata*, & *ita mei oblitus es*, *ut Saguntinis delinitus ac inescatus deliciis*, *Emanuelis tui nomen fastidio jam tibi fuerit & ludibrio*. Sed facile hæc condonabimus, & tanquam nescienti excidisse putabimus, Viro in his literis vix parem habenti, qui, si ipse interfuisset sui operis editioni, forsan emendaturus ea omnia fuisset. Veræ eloquentiæ studiosis semel iterumque legendas commendamus illas *Martini* ad *Majansium* literas, quibus imitationis oratoriæ non vulgaria præcepta tradidit, &, quis præ ceteris imitandus, quæ imitandi sit tenenda ratio, diserte exposuit. *Ciceroni* inter veteres Scriptores principatum defert, sed, male acturum, putat, qui ceteros contemnat, sua quippe singulos & dicendi arte, & suavitate, commendabiles. Inprimis multum tribuit *Terentio*, cujus castam & vere Latinam dictionem si quis effingere imitando

[Margin notes: Tom. I pag. 222 seq. — 73. 215. 256. 302. — 23. 74. — Tom. II pag. 346 seq.]

tando possit, nihil ei ad Romanæ laudem eloquentiæ amplius deesse judicat. *Quisquis*, ait, *Terentium e schola ejicit, is profecto Latino sermoni vitam aufert.* Quod dum rationibus minime spernendis probat, exprobrat simul Hispanis suis stultum veteris barbariæ amorem, & doctrinæ elegantioris rusticum fastidium. Quam enim nunc in illa gente torpeant humaniores literæ, vel teste hoc domestico constare potest. *Latine loqui*, inquit, *insanire est. Si admirationi esse cupis, famaque vigere; tertio quoque verbo solæcismi & stribiligines effutiendæ sunt. Hac via itur ad immortalitatem. Cetera omnia quisquiliæ, ac meræ nugæ. Quo fit, ut, si aliquando in eas angustias devenerint, ut vel tria verba Latine proferre debeant, huc illuc incassum se versent tanquam mus in matella.* Culpam communis hujus ignaviæ in illud maxime genus hominum conjicit, quos nudis pedibus incedere, & nobiles quosque labores spernere, & in otio ætatem consumere, lex & usus suæ sectæ jubet. De his, mireris, hominem in media Hispania viventem, quin eorum unum, quibus sacrorum in illa gente cura est commissa, scribere tam contemtim & abjecte ausum: *Terentium conviciis & maledictis proscindunt. Illi præsertim, qui obstipo capite, cervice in latus devexa, pando petaso & fluitante, calceisque impolitis, soleaque repanda, incedunt. Genus hominum ad perniciem natum bonarum artium.* Quibus multo acerbiora illa putes: *Ea est Hispanorum natura atque indoles, ut, ethnicorum (ita Romanos appellant) monumenta evertere, pietatem appellent, seque eo officio Deum maxime sibi propitiare arbitrentur. Hem præposteram pietatem! Sed qui aliter accidere potest in regno stolidæ atque inerti C. nationi obnoxio? A M. monitis vel latum unguem discedere nefas ducunt. Quicquid illi effutiunt, tanquam ex Apollinis tripode edita oracula venerantur. Quo infami obsequio ignavissimi homines turgentes, inferorum supplicia iis minitantur, si vel ad aliquod vetustum simulacrum oculos vertant.* His plura alia addit, parum illi sectæ honorifica, impudentiam illorum hominum & in præstantissima antiquitatis

Tom. II pag. 53.

56.

52.

288.

tatis

tatis monumenta ſtupidum rigorem reprehendens. Quæ quam aperte ſint omnia & libere prolata, vel ex iſtis diſce:

Tu interim harum pecudum ſtupiditatem mirare, &
– – – – crimine ab uno
Diſce omnes.

Sane, quotieſcunque caſtigandi turpem ſuæ patriæ ignaviam occaſio ſe obtulit, nunquam eam manibus demiſit; ſi forte efficere hoc modo poſſet, ut tandem puderet Hiſpaniam torporis ſui, &, tanquam expugnata his opprobriis, reduci ſe ad meliorem ſenſum pateretur. Ex multis pauca tranſtuliſſe huc ſufficiat. *Præſtat*, inquit, *abeſſe patria, quam in ea furtim*
Pag. 83. *literas colere, non tantum absque ulla præmii vel honoris illecebra, (quod eſſet tolerabilius,) ſed cum ſummo dedecore, ac nominis famaque jactura. Quod profecto Scythicum eſt. Regnat enim in ea peſtiferum quoddam blateronum morionumque genus, garrulitate ac petulantia inſigne, quos ignaviſſimæ nationis inſcitia ſupra ceteros mortales ita evexit, ut ille tantum ſapere videatur, qui cum illis inſigniter deſipit. Vere autem ac ſobrie ſapere, inſanire vocant.* Cujus generis & illa ſunt: *Hæc omnia lucubrata a me ſunt languidius, quod apud eam gentem verſarer, quæ hoc ſtudiorum genus non ſolum inutile ducit atque iners, ſed cum dedecore quodam ac contumelia conjunctum: blaterones nempe, ſcholaſtica crepitacula, merique ἀσκοὺς πεφυσημένους. Sed mittamus ea monſtra ac propudia.* Quid vero exteri de Hiſpanis dicent in poſterum, ſi ita dicere impune videant & civem & alumnum gentis? In numorum veterum cognitione, & omnis generis antiquitatibus, tantum valet *Martinus*,
Tom. I quantum *Auguſtinus* olim, magna Hiſpanorum gloria. Ju-
pag. 900. cundum eſt, ex literis ad *Caſtelvinium* cognoſcere, ſi qui inde a *Caligulæ* ætate Imperiales numi, in Hiſpaniarum coloniis ac municipiis percuſſi, reperiantur, omnes adulterinos eſſe; exiguam mereri fidem numos illos Hiſpanienſes, quos *Harduinus* olim publicavit, quippe ingenio confictos *Goltziano*, & ab *Harduino*, nova omnia amante, lubenter adoptatos; jus cudendæ monetæ Coloniis ac Municipiis Hiſpaniæ non a *Clau-*

Claudio, sed a *Cajo Caligula*, incertum vero, qua de causa, ademtum: non nisi æreos exstare nummos, *Augustorum* tempore in Hispania excusos, præter *Tiberianos*, ex ære Corinthio conflatos: aureorum, & argenteorum, nusquam vestigium occurrere. Idem *Martinus* gemmam veterem, inscriptam: εὐμοιρφίζη Σεβ. & aliam, qua Minotauri cædes exprimitur, scite & ingeniose explicat. Alia multa prætermittimus, quæ mutuis *Martini* & *Joannis Conduith* Epistolis continentur, his, qui veterum numorum studio tenentur, non minori cum fructu, quam voluptate, legenda. Integra illa *Martini de Theatro Saguntino* Dissertatio, cui jam olim locus datus in *Montefalconii* Opere *Antiquitatum Tom. III P. II*, denuo hic, cum ipsius ad *Anton. Felicem Zondadarium*, & aliis ad *Quatuorviros Saguntinos*, horumque ad *Martinum*, Epistolis, comparet. At nullius pretii est, si *Martini* standum sit judicio, quem Romæ A. 1716 *de Theatro Saguntino* edidit *Joach. Alcarazius*, libellus, quippe *Martino* ab homine, ut vocatur hic, *invido*, *alienæ laudis obtrectatore*, *plurimum sibi arrogante*, *suorum studiorum doctrinæque ventoso buccinatore*, *alienis scriptis inhiante*, *quæque aliunde expilavit*, *pro suis venditante*, callide subductus, sed, ne nihil alienum habere videretur, pessime corruptus, misereque laceratus. Quæ cum diu occultari non posset malitia improbitasque *Alcarazii*, late per Italiam spargentibus hunc rumorem amicis *Martini*, & in his maxime *Jano Vinc. Gravina*, brevi eo se redactum ille vidit, ut oculis hominum subtraheret opellam, & a se editam dissimularet. *Gasparem Mendozam*, Marchionem Mondexarensem, exstare Inscriptionem illam Saguntinam, quam primus in lucem produxit *Moses Ben-Schem-Tob*, negantem, meliora docet testis ipse αὐτόπτης *Martinus*, in lapide hæc verba legens: *Puig. Vesinus Decanus Oschæ reduxit hunc tumulum in locum suum 1599.* Inter rariores ævi veteris Inscriptiones illa maxime meretur locum, quam exhibet Museum *Ant. Felicis Judicis*, hunc in modum exscripta:

Tom. II pag. 251. 254.

Tom. I pag. 166. 170. 389.

21.

29.

444.

D. M. S.
Petiliæ Q. F. Secundinæ
Sacerdoti. Minervæ VIX
Ann. VIIII. M. VII. D. XVIII. ob. infatigabilem. piet.
Tom. II *Ejus [illegible]essi A Doi. Caſ. Mat. infel. Fil. B. M. F.*

pag. 305. In qua, cum ſingulare ſit, expreſſum videre ſacerdotium puellæ impuberis & caſtitatem matris, duo hæc luculento quodam velut Commentario illuſtrantur a *Martino*. Ejuſdem præclara ſunt in *Montefalconianum* Opus *Antiquitatum* merita, cui ornando plurima antiquitatum Hiſpanarum fragmenta, inſcriptiones, numos, ſtatuarum baſes, & ſimilia, contulit; quæ omnia ex mutuis horum literis plenius cognoſci
59 – 119. poſſunt. Nec minus liberalem *Fabretto* ſe præbuit, cui multas, antea non cognitas, Inſcriptiones antiquas tranſmiſit, ſed quas parum ille accurate in ſuo *Inſcriptionum* Opere exſcribendas curavit, ut ſpecimine inſigni oſtendit No-
5. ſter. At vix a quoquam majores ei gratiæ debentur, quam a clariſſimo illo urbis Veronenſis, quin omnis Italiæ, lumine, *Scipione Maffæo*, cujus cum prodierit magnum *Inſcriptionum* corpus, in quo totus eſt Vir ille maximus parando, tum, quam ſolers fuerit antiquitatis patriæ inveſtigator hic *Martinus*, omnium optime cognoſcent eruditi. Ornabunt enim illuſtriſſimum hoc Opus Inſcriptiones numero 514, poſt *Gruterianos* labores effoſſæ, quas partim ex idoneis Autoribus
104. 110. excerpſit, partim ex ipſis avtoglyphis exſcripſit Noſter; nu-
260. 297. mi item 160, veterem Hiſpaniam illuſtrantes, roganti *Maffæo*, ad id, ut per eum fierent juris publici, a *Martino* liberaliter conceſſi. Neque vero præter Criticam & Antiquitates eximium nihil habent hæ Epiſtolæ, inſtructiſſimæ menſæ ſimiles, unde promere ſibi quiſque, quæ ſint maxime ad palatum, poſſit. De *Ferdin. Ruizii Villegatis*, Hiſpanorum nobiliſſimi, *Carminibus* ita magnifice ſentit, ut magis vix poſſit,
Tom. I *Martinus* in Epiſtola ad *Reginerium*, quæ ſi nuperæ horum
pag. 61. *Carminum* editioni Venetæ acceſſiſſet, *Ruizianæ* famæ non male proſpectum fuiſſet. Quid enim effuſiſſime laudatum dices, ſi illud non eſt: *De hoc Opere equidem univerſe ita ſentio:*

sentio, nihil esse prorsus, quod magis referat divinum illud
Maronis *ἀρχέτυπον. Ita enim exprimit imaginem prisci*
ævi, ut, nisi Autoris nomen prohiberet, ætatis aureæ prolem
quam meritissimo judicarem. Dictio in eo tersa, pura, ele-
gans, castigata. Numeri sonori, teretes. Sententiæ perspi-
cuæ, novæ, vividæ, torosæ. Inventio mirabilis. Fluit sane
Poeta magnificus sine tumore, elatus sine fastu, sine abje-
ctione verecundus, diligens sine morosa περιεργείᾳ. Deni-
que (nisi ego insanio) a Virgilio *secundus; propior tamen*
primo, quam ceteris, ut verbis utar Afri Domitii. Tres il-
los, qui vulgo tribuuntur *Hirtio, de Bello Alexandrino, A-* Pag. 76.
fricano, & Hispaniensi, Libros non ejusdem Autoris esse, di-
versitas stili docuit *Martinum,* qui, longa idem argumen-
tum Dissertatione persecuturum se, promittit. De Fuli-
cis, avium edulium genere, vix delicatius disserere *Non-* 124.
nus aut *Apicius* potuisset. Abditi, quod mireris, passim
in Hispania latent Scriptorum veterum MSti Codices, quo-
rum si usum Germanis nostris aut finitimis Belgis bona fata
concederent, non leve inde amœnioribus literis commodum
sperandum esset. Ipse sibi *Martinus* ære modico compara- 330.
tas refert *Aristophanis* Comœdias cum Scholiis, nondum edi-
tis, *Demosthenis & Aristidis* Orationes, *Philostrati* Vitas So-
phistarum, Excerpta ex *Philostrati* Vita *Tyanei,* ex *Hymerii*
Sophistæ Declamationibus, ex *Libanio, Hyperide, Plutarchi*
Parallelis, *Plutarchi* Gorgiam, sive de Rhetorica, *Aretæi* Cap-
padocis Libros *περὶ ὀξέων νόσων, Rufi Ephesii ὀνομασίας τῶν*
τοῦ ἀνθρώπου μορίων, Manuelis Atramytteni librum *θεοσο-*
φίας, denique *Festum Pompejum* de Verborum significatio-
ne. Si nihil bonum & laude nostra dignum haberent hæ
Epistolæ, certe copiosa illa *de Autore Anthologiæ Græcæ* Dis-
sertatio, quam literæ ad *Alexandrum Zondadarium* nobis ex- 362 – 381.
hibent, & in aliis ad Marchionem Mondexarensem tan- 424.
quam in compendium redactam legimus, una nobis legendi
molestiam compensaret. Ita enim hic, quæcunque de va-
riis Epigrammatum veterum Collectionibus, harumque Au-
toribus, commemorari poterant, docte Noster & accurate

ediſſeruit, ut ab ejus induſtria nihil poſſit amplius deſiderari; cumque ad manus ipſi fuerit Codex Anthologiæ MStus, quem Vaticana ſervat, omnibus aliis præferendus, hinc varia, alibi non obvia, Græca Epigrammata depromſit, unde, qui fuerint Collectionis hujus Autores primi, optime cognoſci poteſt. Nec hæc attulit tantum, ſed oculo etiam critico luſtravit, & paſſim non infeliciter emendavit, ut, quam Græce etiam doctus, & artis interpretandi peritus ſit *Martinus*, vel hinc exiſtimari poſſit. Cum mortem Principis doctiſſimi, *Gaſparis Mendozæ & Segoviæ*, Marchionis Mondexarenſis & Agropolitani, poſtridie Cal. Sept. A. 1708, ætatis anno primo & octogeſimo, defuncti, acerbe luget, ſimul ſcripta ejus memorat, in magno pretio habenda, ſed partem maximam ſuis adhuc tenebris incluſa, quorum editionem pergratam viris doctis fore, vel ipſa eorum argumenta, admodum

Pag. 382. ſelecta, ſpondent. Sunt vero hæc: *De Moſe, ſcriptore omnium vetuſtiſſimo; Carthago Africana; Patronatus S. Fructi; Diſſertationum Eccleſiaſticarum Tomi duo; de Prædicatione S. Jacobi in Hiſpania, adverſus* Natalem Alexandrum; *de Deo Carmelo; de vera origine Ordinis Carmelitarum; Fabula de equabus Luſitanis zephyro gravidatis exploſa; Monumenta genealogica, propria familiæ de Segovia; de vera Epocha occupatæ a Sarracenis Hiſpaniæ; de prima migratione gentium in Hiſpaniam; Gades Phœniciæ; de Æra Hiſpanica; de origine & praxi impedimenti conſanguinitatis & affinitatis; Monumenta Hiſtorica* Alphonſi VIII, & Alphonſi, *cognomento Sapientis, Regum Hiſpaniæ; hiſtoria familiæ Mondexarenſis; Hiſtoria familiæ Montecatenarum; Hiſtoria familiæ Pontiorum de Leon; Notæ & obſervationes in* Homeri *Batrachomyomachiam; Notæ in Satyram nonam* Juvenalis, *cum adjuncto Opuſculo de annis, diebus, & horis Romanorum; Scholia in Artem poeticam* Horatii; *de Phalange, ſeu teſtudine Macedonica; Hercules Gaditanus; de Etymologia militis, ad l. Miles ff. de Teſtam. militis; de Judiciis Areopagi; Epilogus Ordinum militarium; de Conceptione Virginis matris; Hiſtoria Comitum Barchinonenſium; Miſcellanea.* De horum plu-

plurimis magnifice Noſter ſentit, ut maxime nobis eorum, quæ lucem nondum publicam viderunt, expetenda ſit editio. Tom. I
Sam. Bochartum *omnium, qui unquam uſquamve fuerint, Criti-* pag. 440.
corum facile principem dicit. De Flavii Dextri *Chronico Hiſpa-* Tom. II
niæ judicat, eſſe *totum ſplendidiſſimis mendaciis anilibusque* pag. 34.
fabellis refertum; ab impoſtore quodam confictum, qui eo conjecerit male ſani capitis deliramenta; monſtrum, non librum. At *Antonium Pagium*, ob editam in Annales *Baronii* Criticam, vo-
cat *ſummum Chronologum, egregium Hiſtoricum, & Criticorum* 198.
omnium longe principem. Gravinæ Origines Juris Civilis in eorum librorum numero ponit, quibus carere elegantioris Juriſprudentiæ ſtudioſus plane nequeat. Ita enim de his: *Nihil in*
lucem prodiit neque doctius, neque nitidius — — In iis enim 336.
Juris civilis primordia & ſcaturigines detectæ, abditiſſimi Romanarum antiquitatum explorati receſſus, Latini ſermonis reſeratæ divitiæ; tanta verborum concinnitate, tam apto & congruenti ordine, tam naturali rerum cauſarumque nexu, ut, ſi cujus animum non ſtatim mira quadam voluptate pelliciant,
næ ille plumbeus ſit & ſtupidior lapide molari. Repetitæ hic 401.
leguntur elegantes illæ & feſtivæ *Martini* leges Bibliothecales, quas ex Epiſtolis *Majanſianis* excerptas olim dedimus in *Actis A. 1734 Menſ. Sept. pag. 400.* Neque vero metaphyſicas ſubtilitates in *Martino* deſideres, quarum plena eſt Epiſtola ad *Ja-*
num Serreſium, Gallum, ubi ſenſuum velut patrocinium ab eo Tom. I
ſuſcipi, idque demonſtrari, videas, nec fallacem illorum uſum pag. 407.
eſſe, nec carere his in veſtiganda veritate quemquam poſſe. Tractat & ſubinde controverſias, ubi acutus eſt & vehemens,
nec ſalis expers, ut vel ex acutiſſimis illis telis diſcas, quibus Tom. II
Matthæum Ægyptium petiit, in explicanda Inſcriptione antiqua pag. 179.
occupatum. In deſcribendis locorum amœnitatibus, ſi quem
alium, feliciſſimum dicas. Popilianam villam ita nobis de- 231.
pingit, ut vix locum invenire poſſis, cui tantas natura divi-
tias conceſſerit. In jocis vero quam facetus & urbanus ſit, Tom. I
doceant Lectorem illæ epulæ, quas, omnium deliciarum ap- pag. 124.
paratu inſtructas, amico ſuo *Turreſio* paravit. Exſtat inter Epiſtolas *Martini* una ad *Franc. Aquavivam & Aragonium,*

S. R. E. Cardinalem, *Jacobi Pizei* nomine a *Martino* scripta, qua huic Principi dedicatur Pars una magnæ *Decisionum Rotæ Romanæ* Collectionis, in complura Volumina a *Pizeo* redactæ. Non exiguo honori cedit *Martino*, noluisse *Aquavivam* a quoquam alio commemorari laudes suas, quam a *Martino* nostro, qui munere hoc ita dextre & feliciter defunctus est, ut non *Francisci* tantum virtutes eleganti oratione explicaret, sed universæ simul *Aquavivæ* gentis, ab ultima memoria repetitam, historiam describeret. Gallis Noster, sive inveterato quodam gentis odio, sive maledicendi libidine, quæ minime decebat virtutis tam spectatæ senem, parum favet. Nam, cum belli Valentini, exstincto Rege *Carolo* inter Hispanos & Austriacos gesti, mentionem facit, in eo totus est, ut Gallis exprobret ignaviam suam, rapinas, scelera, idque tam vehementer & acerbe, ut sine indignatione hæc legere nemo vir bonus possit. Quid enim truculentius illis: *Gallos, quibus nihil fuit in eo prælio ignavius, cælo effers. Per eos stetisset, actum profecto esset de* Philippi *regno. Ita illi gregatim more pecorum, trepidantes ac pæne exanimati, relictis ordinibus Almansam confugerant. Quod quidem oppidum terrore compleverant, dum muliebriter ejulantes, ac rimabundi, latebras quærunt, abjectis extra murum scloppis, ut expeditius per macerias creperent. – – Nec ea animi consternatio fuit impedimento, quo minus ad diripiendum templum se converterent, quo specie quærendæ salutis confugerant. Ea est gentis prædandi libido, & sacrorum contemtus.* Nobis nihil minus ferendum videtur, quam cum homines privati, inprimis vero in munere sacro constituti, injuriis & contumeliis gentes integras lacessendi, jus & audaciam sibi sumunt. Sunt & inter aliorum Epistolas, *Martinianis* admixtas, tales passim obviæ, quas neminem pœniteat legisse. Tersissima est, & ex ipsis sapientiæ fontibus hausta, quam de vera Poetices ratione, deque venustis *Martini*, & mire ineptis aliorum Poetarum, Carminibus *Reginerius*, Gallus, scripsit. Nec minus *Mignanæ* omnes placent, hominis, qui se, præter ea, quæ a *Martino* acce-

Tom. II pag. 257 – 272.

Tom. I pag. 217 seq.

44 – 60.

118.

ceperit, *αὐτοδίδακτον* profitetur. A *Castelvinio* vero, *Gravina, Maffæo, Montefalconio*, quis vulgaria & indigna plausu publico exspectet? Ex *Philippi Buliphonis* literis apponemus judicium de *Aug. Calmeti* in sacra Biblia Commentariis, quos ille *Opus* dicit *egregium, ingens, eximium, & superius omni laude.* Addit: *Hos qui viginti tres Tomos habeat, haud ille ad pleniorem sacrorum Codicum intellectum, uberioremque divini sermonis doctrinam, quidquam desiderabit.* Mirum etiam decus accedit Epistolis *Martini* ab adjunctis hinc atque illinc felicissimæ venæ Carminibus, quibus lectis, nemo non *Martino* Poetæ excellentis laudem tribuat. Suavissimi sunt & *Catullianis* similes Hendecasyllabi, quibus *Mignanam* ad se visendum invitat, & alii, quibus amanter rogatur *Interianus*, ut sua præsentia levare ipsi velit acerbos podagræ dolores. Inprimis vero, cum libris suis, Bibliopolæ Londinensi venditis, ultimum vale dicit, nihil potest phaleucis illis mollius politiusque fingi. Nec minorem gratiam habent Epigrammata ejus, *in recens natum filiolum Philippi Buliphonis*, & *in Museum Strozzianam*, quorum æquat elegantiam duplex illud, tam Græce, quam Latine, scriptum, *in Polycarpi Gazini versionem Hispanam Syntagmatis de Diis fatidicis apud priscos illustribus, olim a* Petro Mussardo *editi.* Nec Græcis numeris nihil potuisse *Martinum*, periti harum rerum Lectores judicabunt. Nam, cum Græce reddit Epigrammata *Martialis* breviora XXVIII, nihil invenias in hoc labore, quod non referat ingenium Poetæ veteris, & Venerum Græcarum melleam dulcedinem; nec laudem nullam a Lectore feret *Imitatio* illa *Odæ I Anacreonticæ*, qua *Lusus convivalis* describitur. Insignem hanc *Martini* in cantando artem æmulatus est civis ejus, *Interianus de Ayala*, cujus bonum est Epigramma *in Podagram, Martino insultantem*, & *Flacco* digna Ode illa, ad ingenium *Horatianæ*: *Beatus ille* &c. feliciter expressa, qua viri sapientis bonum & honestum otium decantatur. Applaudimus eidem, *Lusum convivalem* Martini, Carmen Græcum, numeris totidem Latinis, iisque optimis, reddenti.

Tom. II pag. 210.

Tom. I pag. 242. 508.

Tom. II pag. 413. 227. 253. 15 seq.

503.

Tom. I pag. 489–496. 510. 460 seq.

Epistolis *Martinianis* ejusdem Autoris περὶ παθῶν, sive

503.

ſive *de Animi affectionibus*, libellus, ſeu libelli potius particula, acceſſit, cui ultimam manum adhibere *Martinum* cauſæ variæ, maxime domeſticæ, prohibuerunt. At ſic ſatis dignam, quam ab interitu vindicaret, opellam hanc duxit *Majanſius*, quippe a vulgari philoſophandi ratione, & a ſcholaſticis ineptiis, quas, nemo neſcit, ſatis adhuc regnare in illa gente, adeo remotam, ut, ejusne generis liber unquam in Hiſpania prodierit, nos quidem valde dubitemus. Commentarium dicere poſſis in *Librum quartum Quæſtionum Tuſculanarum Ciceronis*, cujus lectione ad ſuſcipiendum id laboris *Martinus* exſtimulatum ſe ſenſit. Sunt hic omnium perturbationum ac commotionum genera ad quatuor claſſes revocata, *libidinem*, *voluptatem*, *metum*, *ægritudinem*. Inde, tanquam ex ſtirpe ſua, derivatur, quicquid extra ſe rapit animum humanum, & tranquillitatem ejus turbat. Ea vero, quæcunque ſunt, ſuo ordine & accurate Noſter explicat, vera ſingulorum origine & hominem afficiendi modo indicatis, aptis etiam atque rei prorſus congruis nominibus prolatis. Inprimis vero ſolers & ſubtilis eſt in definitionibus, quarum plurimæ hic novæ ſunt, & Autoris ingenio excogitatæ, quod veterum Philoſophorum, ipſius etiam *Ciceronis*, nonnullæ admitti nullo modo poſſent. Sed, ut ſuum *Martinus* in his omnibus ingenium & ſenſum ſequitur, aliis aliorum aut rejectis, aut ſaltem non conſultis, opinionibus, ita facile, futurum, prævidemus, ut, quæ deſiderent & carpant in hoc Opere, ii inprimis noſtri temporis Philoſophi, qui omnis ſapientiæ quendam velut principatum affectant, ſatis multa inveniant.

Jam dicendum etiam de vita *Martini*, quam, copioſe diligenterque deſcriptam, & nitidiſſimæ orationis floribus conſperſam, inſcriptamque *Joſepho Octavio Buſtanzio*, cujus inprimis conſilio hoc, quicquid eſt, laboris ſuſceptum eſt, ita cum Epiſtolis *Martini* conjunxit *Majanſius*, ut ab iis etiam, nullo laboris utriusque detrimento, commode ſeparari poſſit. Nos vero, memores eorum, quæ jam olim in *Supplementis Nov. Actorum Tom. I pag. 402* ex *Cæſaris Buliphonis* Præfatione, *Apaſteroſi Martini* præmiſſa, de vita & meritis præſtantiſſimi Hiſpa-

Hispanorum breviter commemoravimus, jam, si qua tunc reliquimus intacta, de illis maxime supplendis laborabimus. Natus est *Martinus* d. 14 Cal. Aug. A. 1663 Oropesæ, parvo Valentiæ oppidulo, patre *Josepho Martino*, cive Oropesano, matre *Maria Zaragoza*, Turralbina, honesto parentum pari, rei agresti & pecuariæ dedito, & laude optime gestorum inter suos conspicuo. Gremio parentum egressus anno ætatis sexto, Turrim albam migravit ad avunculum & materteram, qui primis literarum elementis hunc felicissimæ indolis puerum erudiendum curarunt. Inde decennis Castulonem abiit, Latinæ linguæ tirocinia positurus in schola *Michaelis Falconis*, nobilissimi illius urbis Grammatici. Jactis his intra trium annorum spatium omnis doctrinæ fundamentis, Valentiam se contulit, & in illustri hac Musarum sede per triennium bonis literis operam navavit duce *Vincentio Stephano*, Theologiam vero Scholasticam annos quatuor ex ore *Marcelli Maronæ*, *Jo. Bapt. Scuderii*, *Franc. Milani*, & *Antonii Pratensis*, hausit. Nec inter severiora hæc studia amœniores literas neglexit, ita Poeticæ inprimis deditus, ut in tenerrima ætate, nobilissimæ *Parnassi* Academiæ, quæ cum altera, *Arcis* dicta, laudabili industria artem poeticam vernaculam Valentiæ exercet, socius adscriptus, partim elegantissima Carmina complura scripserit, quorum præcipua habentur *Gigantomachia*, Poema heroicum, *Comœdiæ quatuor*, in publicis theatris actæ, & *Sylva* quædam, ex antiquissimis vocabulis composita, sed quæ omnia postea ab Autore ipso flammis sunt mandata, partim ex tempore magna sæpius versuum tanquam flumina effuderit. Nec minus Latinæ Poeseos suavitate captus, annos vix duodeviginti natus Elegias viginti composuit, quibus, postea A. 1686 Romæ editis, non inconcinnum *Amaltheæ Geographicæ* nomen imposuit. Græcam linguam Valentiæ primum, postea & Romæ, quam in urbem se contulit A. 1686, sine magistro didicit, nec penitus abstinuit ab Hebraicæ & Gallicæ deliciis. Romæ in album Academicorum, qui vocantur *Infecundi*, receptus, poesi adeo Etrusca excelluit, ut vix cuiquam eo nomine palmam concederet. Sed & Latina Carmina secessus ille Romanus bene multa tulit, quorum nonnulla integro *Amorum* libro,

ſed nunquam edito, complexus eſt. *Ovidianis* etiam *Faſtis* Libros novos duodecim ſupplementi inſtar adjunxit, & *de Tiberis alluvione* Silvam effudit, A. 1688 Romæ publicatam. His politiſſimi ingenii ſpeciminibus aditum ſibi paravit ad gratiam eruditiſſimi Romanæ Eccleſiæ purpurati, *Joſ. Saenzii Aguirrii*, cui a Bibliotheca eſſe juſſus, magnæ *Conciliorum* Collectionis, quam auſpiciis *Aguirrianis* prodiiſſe conſtat, editionem curavit. Præterea *de Poculis veterum* tunc eruditiſſimum libellum ſcripſit, Alonæ poſtea ab ipſo flammis commiſſum, Notisque non vulgaribus *Theocritum* illuſtravit, & ex *Martiale* Epigrammata nonnulla in Græcum tranſtulit. Recens inſtitutæ *Arcadum* Academiæ non ſolum ipſe nomen dedit, adoptato *Eumeli Olenii* nomine, ſed & ad condendas ejus leges cum aliis conſilia contulit. At nulla re majorem Italorum plauſum tulit, quam limatiſſimis in *Q. Sectani*, Pſevdonymi Senenſis, decem priores Satyras Notis criticis, *Satyromaſtyx* inſcriptis, quibus multorum ex Italis, maxime vero *J. V. Gravinæ*, famam a turpiſſimi hominis obtrectationibus vindicavit. Quem laborem remuneraturus *Gravina*, inſcripſit ei *Dialogum de Lingua Latina*, ubi *Martinum* de illa omnium linguarum regina jucundius, quam ſubtilius, diſputantem inducit. In Academiam dogmaticam eodem tempore receptus, aliquot Diſputationes, ſucci plenas, & ingenio illo dignas, recitavit. Frequens etiam Bibliothecarum ſpectator fuit, quas ingreſſus, ſuperſtites inprimis veterum Scriptorum reliquias curioſo oculo luſtravit, & ſelecta quæque in codicillos retulit. Epigrammata Græca 150, nondum edita, ſed *Anthologiæ Græcæ* ſuo merito adjungenda, ex vetuſtiſſimis Scriptoribus deſcripſit; & cum optimæ notæ Codicibus MStis multos, tam Græcos, quam Latinos, Autores veteres contulit, unde prægrande ipſi variantium lectionum Volumen enatum eſt, poſtea, tædio patriæ, nihil hæc curantis, diſcerptum. Dixit enim ſæpiſſime, *patriam ſibi obſtitiſſe, quo minus aliquam ſui memoriam poſteris relinqueret.* A. 1696, ſuaſu & autoritate Cardinalis *Aguirrii*, edidit Romæ *Nicolai Antonii*, civis ſui, *Bibliothecam Hiſpanam veterem*, ſuis

ſuis paſſim ad marginem Notis non inutilibus adſcriptis. Meditatus eſt præterea Linguæ Latinæ Etymologicon magnum, opus diu deſideratum, ſed a quo deinde, amplitudine inſtituti deterritus, abſtinendum duxit, ſatius futurum ratus, ſi, quæ eam in rem diligenter collegerat, aliquando per partes publicaret. Præcipue vero omnibus admirationi fuit eloquentia *Martini*, cujus tum maxime illuſtria dedit ſpecimina, cum publice dixit coram *Innocentio XI* & *Alexandro VIII*, Pont. Max. qui Oratorem hunc gratia & honore omni digniſſimum judicarunt. Decennio Romæ exacto, A. 1696, *Martinus*, impetrata prius utriusque Juris laurea, Romæ valedixit, rediturus in Hiſpaniam, ubi Decani Alonenſis munus a Pontifice Max. ipſi fuerat collatum. Provinciam hanc dextre adminiſtravit per biennium, quo elapſo, Vicarium ſibi petiit obtinuitque *Joſeph. Anaſtaſ. Martinum*, A. 1731 demortuum. Ipſe vero, fatis impeditus, quo minus Romam repeteret, ſtudiorum cauſa Valentiam ſe contulit, ubi, præter alios, familiariſſime uſus eſt *Jo. Baſilio Caſtelvinio*, Cervillionis Comite, eruditiſſimo Viro; ex cujus Bibliotheca, omnibus rei literariæ divitiis & ornamentis inſtructiſſima, protraxit *Ferdinandi Ruizii Villegatis*, Poetæ Hiſpanorum vetuſtioris, aurea prorſus Carmina, indigniſſimis tenebris adhuc ſepulta, ſed tunc a *Martino* diligenter recognita, & ita ſtudioſe expolita, ut, niſi *Calvinio* viſum fuiſſet, differre hoc negotium, tunc exire in lucem publicam potuiſſent. Totus etiam fuit in vertendis *Euſtathii* in *Homerum* Commentariis, urgentibus hoc inſtitutum Italorum doctiſſimis, maxime vero Marchione Villanovano, qui, Pariſiis curaturum ſe ejus Operis editionem, receperat. In tractum vero Saguntinum excurrens, primus nobiliſſima Theatri, ad hunc diem prorſus incogniti, rudera detexit. Valentia Mantuam Carpetanorum invitatus a *Ludovico Cerda*, Eccleſiæ Principe, tranſtulit huc penates ſuos A. 1704, ibidemque, curæ & cuſtodiæ præfectus Muſei numarii, quod Neapoli ſecum advexerat Illuſtriſſimus ille Princeps, redigendis in concinnum ordinem præſtantiſſimis numis, quantam potuit, induſtriam adhibuit, tantam continuo hoc ſtudio rei numiſma-

misfmaticæ peritiam confecutus, ut, quadam fiducia fui, haud femel dixerit, *fe, fi Imperator aliquis imperii alti, quod in Gallienum defînit, revivifceret, defignaturum illum, manuque comprehenfurum, vel fi occultare fe vellet inter multa hominum millia.* Collegit & ipfe fuis fumtibus rariffimorum numorum fupellectilem, adeo pecuniæ prodigus, ut mallet parcus effe in victu, quam his cimeliis carere. Inter has curas A. 1705 *de Autore Anthologiæ Græcæ* doctam æque ac copiofam Differtationem fcripfit, muneris loco oblatam *Antonio Felici Zondadario*, Archiepifcopo Damafceno: eodemque tempore manibus ejus exiit *Defcriptio theatri Saguntini*, poftea in Opere *Antiquitatum Montefalconiano*, & inter *Epiftolas Majanfianas*, publicata. Vertit etiam Hiftoriam *Olympiadum Phlegontis Tralliani*, additurus huic operi Annotationes criticas, nifi librorum penuria intervertiffet nobile confilium. In lectione *Libri quarti Quæftionum Tufculanarum Ciceronis* A. 1706 occupato, dignum vifum eft *de Animi affectionibus* argumentum, quod integro libello explicaret. Itaque magnam ejus partem intra breve tempus abfolvit, cui ne reliqua tunc adderet, eum domefticæ calamitates variæ prohibuerunt. Anno fequenti, præclare meriturus de *Jofepho Emanuele Mignana*, amico fuo, hujus *Hiftoriam belli ruftici Valentini*, fecum, ut erat literis confignata, ab Autore communicatam, fua expoliendam lima fufcepit, monuitque *Mignanam* non nullius momenti varia, fed de quibus non eam, quam merebatur, ab illo gratiam tulit. Hinc plurimis *Martinus*, publicis partim, partim domefticis, malis, inprimis vero amicorum & Mecænatum quorundam jactura, graviter afflictus, hypochondriacis etiam infultibus mifere vexatus, A. 1711 Madrito valetudinis caufa Hifpalim fe recepit. Hic, recuperata aliquantulum valetudine, totum fe dedit antiquitatibus Hifpaniæ fcrutandis, felix in eo, quod Amphitheatrum Italicenfe, nobiliffimum olim, primus ex ruderibus fuis protraxit; cujus defcriptionem poftea cum *Bern. Montefalconio* communicavit, illius *Thefauro Antiquitatum* inferendam. Præterea demandatam fibi a *Nicolao Corduba*, Marchione *Priegi*, provinciam, difpo-

disponendi librariam ipsius supellectilem, valde copiosam atque splendidam, numisque & ornamentis antiquariis ditissimam, dextre & expedite administravit, effecitque cura sua, ne quidquam sive in ordine, sive in externo ornatu, librorum jure desiderari posset. Suis etiam usibus impigre collegit numos veteres, quorum, intra annos quatuor & sex menses, congessit mille & sexcentos; nec minori studio MStos Codices vetustiores inspexit, quorum nonnullos diligenter cum libris editis contulit, mendisque liberavit. Hispali reversus est Madritum A. 1715, quo tempore decesserat *Gabriel Alvarezius*, Bibliothecæ regiæ præfectus, cui dignior dari successor non potuisset *Martino*, nisi, commendatione *Guil. Dubantonis*, Regi a Confessionibus sacris, prælatus ei fuisset *Joannes Ferreras*, *Annalium de rebus Hispaniæ* Scriptor ferreus. Madriti confligandum fuit *Martino* cum morbo gravi, cujus dolores levaturus aliquantum, in Græcum convertit *Martialis* quædam Epigrammata, & amicos suos donavit Hendecasyllabis, ad elegantiam veterum compositis. Restitutus sanitati pristinæ, amicitiam contraxit cum *Bern. Montefalconio*, Gallorum ornamento, cui lectissima multa antiquitatis monumenta transmisit, splendidissimum *Antiquitatum* Opus ornatura. Quæ qualia sint, quamque diligenter a *Martino* descripta, jam cuilibet ex ipso illo *Antiquitatum* thesauro, in omnium manibus versante, integrum est cognoscere. A. 1716, cum libellum *Martini*, quo descriptio theatri Saguntini continetur, levi tantum Autoris mentione facta, paucis etiam mutatis verbis, pro suo ederet Romæ *Joach. Alcarazius*, Valentinus, injuriam hanc *Martino* illatam graviter ultus est *Jan. Vinc Gravina*, qui fraudem *Alcarazii* per omnem Italiam brevi tempore divulgavit, eoque deduxit lepidum caput, ut Autorem se dicere pulchri adeo laboris non amplius auderet. Madrito petiit Alonam *Martinus*, ubi aliquantisper commoratus, & jucunde conversatus cum *Philippo Buliphone*, denuo navigavit Romam A. 1717, nunquam, si fieri posset, in Hispaniam rediturus. Hic, veteres colendo amicitias, Musea tam libraria, quam numaria, frequentando, doctrinam suam co-

ram nobilissimis Italorum explicando, otium suum suaviter fefellit, omniumque sibi gratiam conciliavit. Jam etiam serio meditari cœpit *Eustathii* sui in Latinum translati, nec non *Epistolarum*, quas dederat ad eruditos, & ab his vicissim acceperat, editionem; sed mire eum delusit fiducia in *Montefalconio* posita, qui, cum sæpius, curaturum se, promisisset, ut typis Parisiensibus exscriberentur hi libri, tandem istius rei nihil præstitit. Aliquot mensibus Romæ transactis, Edictum publicatum fuit *Philippi V*, Hispanorum Regis, quo celeriter redire in patriam, quoscunque Roma tunc alebat, Hispani jubebantur, additis gravissimis pœnis, si quis obniti jussis, aut nectere moras, auderet. Itaque, peragrato prius Prænestino & Albano Montisque Tusculani agro, numarii thesauri, quem prorsus sibi in patria inutilem futurum noverat, magna parte vendita, A. 1718 difficili itinere Noster in Hispaniam contendit. Alona salutata, ad Musæ suæ otium privatum rediit, scripsitque *Observationes* aliquas in *Aristophanis Comœdias*, cujus Poetæ incredibili amore ferebatur. Numismata vero consularia, quorum insignem copiam collegerat, *Andreæ Bonito*, Neapolitano, & alia Græciæ, Siciliæ, & Hispaniæ vetustioris, Anglo cuidam, pertæsus patriæ, has prisci ævi reliquias contemtui habentis, vendidit. Anno sequenti 1719, *Jacobi Pizei* nomine, *Francisco Aquavivæ* Cardinali, id serio expetenti, *Volumen quartum Decisionum Rotæ Romanæ* dedicavit Epistola pereleganti, & laudum gentis *Aquavivæ* plena, qua lecta, Cardinalis dixit: *Se æque æstimare Prosphonesin illam, ac purpuram, qua induebatur*. Circa idem tempus perfecit Ἀπαςέρωσιν suam, seu *Arcæ consecrationem*, olim inchoatam, Poema nulli ex veteribus secundum, postea A. 1722 a *Cæsare Laur. Buliphone*, cum Epistolis nonnullis *Martini* & *Buliphonis*, & Carmine jucundo *Jani Interamnensis Ajalæ*, publicatum. Haud ita multo post A. 1720 in amicitiam *Martini* venit *Gregorius Majansius*, tunc adhuc juvenis, sed, ut ipse de se ait, *ingenio satis acuto, studio erga literas ardenti, & judicio pro ætate acri;* qui ab illo tempore diligens virtutum *Martini* admirator fuit, eodemque non

tam

tam amico, quam magistro, usus est. Amicos etiam tunc nactus est *Martinus Joseph. Octavium Bustanzium*, ortu Genuensem, *Antonium Judicem*, Juvenatii Principem, & Marchionem *Scipionem Maffaeum*, cui, magnum *Inscriptionum* corpus paranti, insignem copiam Inscriptionum Hispanarum, nemini ad hunc diem cognitarum, transmisit. Ingravescente jam aetate, oculorum acies deficere *Martinum* coepit, ut nec legere libros, nec rebus suis praeesse, sat commode posset. Itaque pertaesus, si non studiorum, librorum tamen, omnem Bibliothecam suam, non tam numerosam, quam libris rarissimis, & nitidissime excusis, spectabilem, A. 1726 vendidit Bibliopolae Londinensi, qui eam postea longe majori pretio venum exposuit civibus suis. Sic velut altero oculo, aut dimidia parte animae, orbatus, omnem abjecit studiorum curam, nec commercium amplius cum Viris doctis, nisi cum *Gregorio Majansio*, habuit, qui Epistolas ejus complures, vernaculo sermone scriptas, diligenter in scriniis servat. Quae post illud tempus acta sint de praestantissima *Epistolarum* Collectione Lipsiae publicanda, & quibus modis effectum sit, ut illa tandem Mantuae Carpetanorum lucem adspexerit, jam supra copiose dictum est. Nunc vero in extrema senectute Alonae *Martinus* placide, tranquille, sapienter, vivit, paratus mortem, quandocunque venerit, forti animo excipere. Figuram corporis ita nobis depingit *Majansius:* Emanuelis Martini *statura justa est; capilli subcrispi, canis nigrisque commixtis; frons ampla; supercilium canum sublatumque; oculi casii, quales Minervae dixit esse Poetarum princeps; nasus & os justae magnitudinis; color rubicundus; facies liberalis; incessus gravis; voluntas ad executionem promta; ut facile agnoscas, in ejus corpore regnare bilem.* Corpus ei natura robustum dedit, sed vexatum subinde capitis doloribus, nec non podagrae & morbi, quem Latini incubum dicunt, insultibus. Frequens ei in villa Popiliana, situ amoenissima, secessus est, ubi, terrestria omnia magno animo contemnens, ad coelestia se praeparat. Ingenium in eo omnes mirantur acutissimum & prorsus sublime; memoriam rerum omnium capacissimam; judi-

judicium acerrimum & severissimum. Veram eruditionem & ipse colit, & in aliis magni facit, libertatis inprimis amans, qua sine frustra ad supremum scientiarum adspirari fastigium intelligit. Amœnus est in familiari colloquio, seriis admiscens jocos, eosque salibus conditos. Linguas Etruscam, Latinam, Græcamque, egregie callet, prosa æque ac vorsa oratione excellens, ut eximiis speciminibus ostendit. Inter Græcos *Aristophanis*, inter Latinos *Ciceronis*, *Terentii*, inprimis vero *Plauti*, non maximus solum sectator est, sed imitator etiam felicissimus. Sophisticas Philosophorum disputatiunculas nihili ducit, in deliciis habens Philosophiam veram, sobriam, veritatis studiosam. Antiquitatum & rei numismaticæ vix eo peritiorem tulit ætas nostra. Quod alii frustra conati sunt, ipse magno animo ad condendum Alphabetum Hispanum se convertit, longius ea in re, quam ante eum quisquam, progressus. Abjecit tamen postea hoc consilium, innumerabiles, quibus ea res premitur, difficultates agnoscens, etsi satis in eo felix, quod tenebras multas, veteri Hispanorum linguæ circumfusas, primus dispulerit. In animo aliquando habuit, *Hispaniam antiquam* edere, opus, si in lucem prodiisset, omni certe posteritate dignissimum, eique condigne exornanda selectissima quæque antiquitatum Hispanarum monumenta collegit; sed vidit postea, nihil ejusmodi tentandum in Hispania, cui sordent elegantiora studia, & vix teruncii æstimantur. Quæ scripsit *Martinus*, numero multa sunt, sed quorum magna pars adhuc latet in tenebris, aut victima Vulcani facta est. Quæ lucem adspexerunt, hæc sunt: *Soledad*, Carmen vernaculum, Valentiæ, 1682, 4; *Amalthæa geographica, sive de rerum copia, Opus viginti Elegiis divisum*, Romæ, 1686, 8; *Sylva de Tiberis alluvione*, Romæ, 1688, 4; Ἀπαςέρωσις, *sive in Astrum conversio*, *Elegia*, Madriti, 1722, 4; περὶ παθῶν liber affectus, &, quæ cum illo nunc in lucem exeunt, *Epistolarum Libri XII.* Addimus his cetera, eodem prorsus ingenio & doctrina composita, sed quorum alia jam dudum exemta sunt commercio humano, alia prodeundi in conspectum eruditi orbis dubiam spem habent: *Comœdiæ*

qua-

quatuor vernaculæ, in publicis theatris actæ; Ammonii Hermetis *Versio de similibus & differentibus vocabulis, Notis & Commentariis illustrata*; Phlegontis Tralliani *Historia Olympiadum*; *Tractatus de Veterum poculis*; *Etymologicon magnum Latinæ linguæ*; *Elegiarum Decas ad* Camillam; *Fasti Romani veteres, elegiacis carminibus descripti*; *Odarum Liber*; *Hendecasyllabi*; *Plurimorum Anthologiæ Epigrammatum versio*; *Notæ in Theocriti Idyllia*; *Observationes in* Aristophanis *Comœdias*; *Satyromastix, sive Notæ criticæ in* Q. Sectani *decem priores Satyras*; *Observationes politicæ in Homerum*; *Volumen prægrande variantium lectionum, ex vetustis Codd. MStis collectarum*; denique Eustathii *Commentariorum in Homerum duo priora Volumina, in linguam Latinam conversa.*

I TALI ED ALTRI STRUMENTI LUSORI degli antichi Romani, &c.

h. e.

DE TALIS ET ALIIS INSTRUMENTIS lusoriis antiquorum Romanorum Commentatio; Autore FRANCISCO FICORONIO, Academiæ Regiæ Parisiensis Socio.

Romæ, ex typographia Antonii de' Rossi, 1734, 4 maj. Alph. 1, Tabb. æn. 2.

Clarissimus Autor, antiquitatum, si quis alius, felicissimus in Italia investigator, Commentationem hanc, Illustrissimo ac Eminentissimo Principi ac Cardinali *Lercario* dicatam, occasione talorum, ex terra effossorum, qui in manus ipsius inciderant, edidit, horumque talorum formam hic omnium o- Pag. 6 seq.
culis publice exposuit. Cognatum quoque ei argumentum de tesseris, pessis, & calculis, qui cum talis sæpe confundi solent, ut in Præfatione ait, adjecit. Ac primo quidem de ori- 8. 11. 12.
gine ludi talorum disquirit, eos refutans, qui, *Palamedem* ejus autorem esse, perhibent, ac *Pausaniam* aliosque Scriptores, 16.
ex quibus probare opinionem suam annituntur, de cubis

 vel

vel tesseris, Italice *dadi* dictis, loqui, easque differre a talis, ostendens. Dein alios, qui ad *Theuten*, Ægyptiorum Deum, illius inventionem, *Platonem* allegantes, referunt, in verbis ejus exponendis falli, eaque de pessis seu calculis agere, censet, ac eorum usum, formam, & significationem, explicans,
Pag. 18. ex vocabulo Græco *πεσσος* Italicum *pezzo* derivat. Græcos, ait, illos calculos etiam canes appellasse, & Latinos latrunculos, quia latronum, hoc est, militum, seu lateronum, ut *Var-*
19 seq. *ro* vult, vice in ludo erant, eosque ordine suo repræsenta-
22 seq. bant. Numerum autem horum calculorum, & cellarum ta-
33. 34. bularii, incertum esse opinatur, & de ludo, ab *Hesychio* diagrammismo dicto, conjecturas suas profert, ac ludum astragalorum, *Homero* ac *Herodoto* memoratorum, talorumque,
38 seq. antiquissimum, ex Asia per Lydios forsan in Italiam, ubi sedem fixerant, translatum putat. Porro talorum formam &
41 seq. partes, & jactus, eorumque nomina, ut *supini*, *convexi*, *Chii*, *Coi*, *Canis*, *Veneris*, *Vulturii*, *senarii*, describit, ac de iis con-
57. tra aliorum mentem judicium suum interponit. Veneris qui dicebatur jactus, ac omnes continebat talorum numeros,
61. ejus prærogativam præ aliis exponit, pessimum vero canum, seu jactum quatuor unitatum, fuisse monstrat. Ad obscura
64. alia nomina & numeros, ut *Stesichori*, *gruis*, *comæ Bereni-*
76 seq. *cis*, *Darii*, *Alexandri*, *Antigoni*, *Dicentronis*, *Midæ*, *Euripidis*, progressus, nihil certi de iis asseri posse arbitratur. *Plistobolium*, ludum Græcorum, cum *Euripidis* valore ac numero comparat, isque qualis fuerit, declarat, & alia nomi-
79. na, an a figuris, talis insculptis, orta fuerint, ut quidam con-
91. 93. jiciunt, in dubium vocat. De materia etiam talorum, ex qua formati fuerint, varia, ac de talorum usu apud Græcos & Romanos diverso, tabulæque talariæ & tesserariæ figura, dif-
95. ferentia, & materia, & cellarum numero, differit. Hanc al-
98. veum quoque appellatam fuisse dicit, ac tabulam, a *Grutero*
102. adductam, illustrat. Tesseras per fritillum sæpe, ad evitan-
111 seq. das fraudes, esse jactas, ostendit, non manu semper, & varia
120 seq. veterum Autorum loca de iis interpretatur, deque vocis ta-
130. bulæ sensu copiose disputat. Simul de instrumento, per quod

tesse-

tesseræ aut tali in alveum ceciderint, differit, ac pyrgum etiam, seu turriculam, dictum esse probat, nec minus in fritilli etymon inquirit. Et hoc instrumentum idem cum vocabulis Pag. 133
Psephoboli, *Itmi*, *Cami*, *Phimi*, a judicibus Græcis usitatorum, seq.
esse docet, easque voces exponit. Tandem de lucro & damno 137.
jactus cujuslibet talorum, præter Veneris jactum, qui omnia 147.
lucrabatur, nihil certi constare ait, ac in nummi alicujus latere cusis talis inscripta verba: *qui ludit, arram det, quod satis* 149 seq.
est, allegat & illustrat, eumque *Augusti* tempore, qui ludo talorum deditus fuerit, excusum fuisse conjectat.

ANACREONTE, &c.

h. e.

ANACREON NUMERIS ITALICIS REDditus a variis, addita textus Græci Latina, quæ JOSUÆ BARNESIO debetur, Versione.

Venetiis, apud Franciscum Piacentini, 1736, 4.
Alph. 1 plag. 3.

Floridissimi Carminis autor, *Anacreon*, postquam Latina civitate haud semel donatus fuit, mereri etiam visus est pluribus, ut numeris Etruscis redderetur. Favet instituto linguæ genius, & mollis illa luxuries, qua reliquis per Europam linguis dubiam facere palmam solet. Hinc *Anacreon* idiomatis Hellenici haud imperitis, itidemque Italici gnaris, sibi jam per omnia similis & verborum selectu, & schemate, & miris terminorum revolutionibus, apparebit. Ab omnibus cum gratiam inire studeret Editor, Latinam Græco, quem vocant, textui ad latus posuit versionem; cumque *Henrici Stephani* versionem elegantiorem, quam curatiorem, intellexisset, præoptavit *Barnesianam*. Floruit *Anacreon* tempore *Cyri* & *Cambysis*, natus Teo, Ioniæ oppido, quingentis ante Christum natum annis. Strenuus fuit divitiarum contemtor, qui, cum a *Polycrate*, Sami tyranno, quinque talentorum donum cepisset, promte

te remisisse legitur numos, eo quod insomnem noctem fecerant. A *Platone* sapientis nomen retulit, quamtumvis carminis luxuries a sapientia abesse videatur, sive quod vini & amoris, quibus carmina resonant, temperantior fuerit, sive quod, genio suo indulsisse, nec *Platoni* visa fuerit res bono viro adeo indigna. Senex mortuus est, nec facile intelligitur, quomodo, referente *Valerio Maximo*, dici potuerit *bis tantum humanæ vitæ modum superegressus*. Qui inter pocula vitam duxerat, hæc mortis suæ tanquam instrumenta habuisse narratur a *Valerio* & *Plinio*. Nam, cum viribus prostratus uvam ore sugeret, acino præfocatis faucibus interiit. Eodem fato ex uvæ grano gutturi illapso periisse *Sophoclem*, narrat *Lucianus*, unde vel prioris historia suspecta est, vel, eundem vitæ exitum disparis ingenii Poetas celebrasse, reputandum. Exstat, præter *Henrici Stephani*, cui restituti *Anacreontis* gloria unice debetur, versionem Latinam, carmine plerumque factam, *Eliæ Andreæ* labor similis, qui Odas, quas *Stephanus* non attigerat, carmine supplevit. Gallicis etiam versibus Poetam hunc extulerunt ille ipse *Henricus Stephanus*, *Ronsardus*, & *Bellavius*, itidemque erudita fœmina, *Anna Fabra*, *Tanaquilli Fabri*, qui in *Anacreontem* jam antea commentatus fuerat, filia. Omnibus fere præripiunt palmam Itali, quod linguæ volubilitas ad Græcanicum sermonem reliquis propius accedat. Longum esset, omnium commendare labores, qui bene de *Anacreonte* sunt promeriti. Qui hoc Volumine continentur, sunt *Bartholomaeus Corsini*, Abbas *Regnierius Maresius*, *Alexander Marchetti*, Abbas *Anton. Maria Salvini*, & *Anonymi*, quorum laboribus subjectæ sunt variorum compositiones *Anacreonticæ*.

JOANNIS GEORGII MICHAELIS, S. THEOL. Prof. Halensis, Observationes sacræ.

Trajecti ad Rhenum, apud Hermannum Besseling, 1738. 8. Alph. 1 plag. 12.

Exhibet hic S. Reverendus Autor Dissertationes quasdam selectas, uno fasciculo comprehensas, quæ maxima ex parte olim

olim in Academia Francofurtensi publico examini fuerunt subjectæ. Ex his *primum* locum occupat Exercitatio ampla *de Sacrificio cordis & cerebri*, cujus priorem partem Orationi, qua Philosophiæ Professoris munus, extra ordinem sibi in Academia illa demandatum, A. 1730 auspicatus est, præmisit, &, ab aliis sacrificiis cor & cerebrum absuisse, aliis adfuisse, multis rationibus nos docet. Cum vero postea *Albertus de Traven* peculiari scripto, *de corde & cerebro victimarum*, hoc negasset, &, ab omnibus plane sacrificiis illa absuisse, contendisset, singularibus observationibus, de hoc argumento A. 1732 editis, sententiam suam tueri studuit, easdemque iteratæ huic editioni cum luculentis accessionibus inseruit. Huic proxima est 2) Dissertatio *de Incisura propter mortuos, ad Lev. XIX, 28, XXI, 5, Devt. XIV, 1*, ubi in significationem vocum שרט & גרד, quæ *incisionem* notant, inquirit, ac, literam ל, vocibus מת & נפש præfixam, *commodum* designare, & respici ad sanguinem, quo manes in inferiis placari posse, profanæ gentes sibi persuadebant, ostendit, ea vero impia consuetudine quare Deus populum suum interdixerit, rationes nonnullas affert. Hanc excipit 3) *de Elisæo a probro puerorum Bethelensium justo Dei judicio vindicato, ad 2 Reg. II, 23, 24*, Dissertatio, qua gravitatem convicii illius demonstrat, Deique justitiam vindicatricem considerat, & simul de vario usu vocis נער, quæ *puerum*, ac de differentia inter גבחת & קרחת, quæ *calvitium* significat, disserit, eamque hoc loco non ad naturale referendam esse, nec a pueris eo sensu prolatam, erudite commonstrat. Hanc sequitur 4) *de Cane, symbolo Prophetæ, ad Jes LVI, 10, 11*, Dissertatio, in qua notionem hanc ex symbolica veterum Ægyptiorum sapientia illustrat, & veram originem vocis *Anubis* non Hebraicam, sed Ægyptiacam, ex doctissimi Viri, *Jablonskii*, meliore sententia, declarat; quo fine integram ejus Epistolam in Præfatione adjecit. Huic subjungitur 5) *de Spiritu sancto sub externo linguarum ignearum symbolo Apostolis communicato, ad Actor. II, 3 seq.* Exercitatio, qua Psevdonymi cujusdam, *Soleichtii*, & *Lakemacheri*, novas explicationes dicti illius examinat, nec locum eas habere

 posse,

poſſe, ex phraſibus oſtendit. Ordine *ſexta* eſt, *de Cruſtulis quotidianis Pontificis Maximi*, quæ ille ſingulis diebus mane & veſperi in ara igne cremare, & ſacrificio jugi præmittere, debebat. In hac, poſt etyma vocum מנחה & חבית explanata, & poſt obſervationes nonnullas de cruſtulorum materia, loco & modo conficiendi, diviſione, combuſtione, diſquirit, num figura crucis illis placentulis fuerit impreſſa, eamque opinionem non ſatis demonſtratam, attamen magis probabilem eſſe, hic, & in Præfatione prolixius, cenſet, altera illa, a Viro quodam doctiſſimo defenſa, in Diſſertatione, nuper edita, *de Panibus facierum*, ubi, hos quoque ſigno crucis notatos fuiſſe, aſſeruit, ac tandem varias rationes ſenſus typici illorum allegat. Claudit illius latus *ſeptima*, *de Sacerdote ex miniſterio ſuffitus non divite*, in qua, ſuffitum vim divitias augendi non habuiſſe, contra Judæorum magiſtros probat, &, præter alia, argumentum, ex *Devt. XXXIII, 10, 11*, voce חילך depromtum, refellit. Coronidem imponit Exercitatio *octava*, *de Tetracty Pythagorica*, qua, *Pythagoram* forſan aliquid de myſterio S. Trinitatis, per traditionem accepiſſe, ac cum ſententia ſua, de emanatione rerum omnium ex Deo ac divina natura confudiſſe, putat, atque hanc opinionem ex Valentinianorum etiam Tetracty illuſtrare annititur. Adhæc Scriptores, qui de *Tetracty Pythagorica* commentati ſunt, recenſentur, quibus nuper *Weiſmüllerus*, infeliciſſimus ejus interpres, acceſſit.

AUGUSTINI LEYSERI, IN REGIS POL. & Principis Electoris Saxonis Aula Conſiliarii, in Academia Vitembergenſi Ordinarii, Conſiſtorii Eccleſiaſtici Directoris, in Tribunali & Scabinatu primi Aſſeſſoris, Meditationes ad Pandectas, quibus præcipua Juris Capita ex antiquitate explicantur, cum Juribus recentioribus conferuntur, atque variis celebrium Collegiorum Reſponſis & rebus judicatis illuſtrantur.

Volumen VII & VIII.

Lipſiæ

Lipsiæ & Guelpherbyti, apud Jo. Christoph. Meisnerum, 1731 & 1735, 4.

Vol. VII Alph. 5 plag. 17, Vol. VIII Alph. 5 plag. 14.

Promissi sui olim dati adeo non oblitus est Illustris Celeberrimusque *Leyserus*, ut præstantissimas suas *Meditationes Juris*, quarum *Volumen I & II* in *Actis* nostris *A. 1723 Mens. Oct. pag.* 444, & *Volumina III – VI A. 1727 Mens. Jul. pag. 316*, suo merito laudavimus, adauxerit *Volumine VII & VIII*, utroque novam famæ *Leyserianæ*, in pulcherrimo jam flore constitutæ, materiam habente. Horum *alterum* nonnulla Juris capita ex *Libris π. XLI – XLVI*, *alterum* ex *Libro XLVII & XLVIII* usque ad *tit.* 4, desumta, continet. Ubique Ill. Autor, universi, quaqua patet, Jureconsultorum ordinis ornamentum maximum, satis superque docet, se autoritates nulla ratione fundatas contemnere, &, qui Jurisprudentiæ civilis, justitiæque, actiones hominum moderantis, veri sint fontes, aliis multis longe rectius tenere. Ut dictorum veritatem quilibet intelligere possit, utrumque *Volumen*, sed strictim, prout solemus, percurramus. *Voluminis VII Spec. 439*, ad occupationem neque animum, neque visionem, neque verba, neque signa, sufficere, existimat, &, imperium in res immobiles nondum cultas Principi competere, luculenter docet. *Spec. 442*, thesaurum prisco Jure Germanico a Principe vindicatum, ostendit. *Spec. 445* ostendit, rem aliquam ficte tradi, si tradantur instrumenta, ad eam pertinentia, nec de præsenti contractu confecta. *Spec. 446* contra *Titium*, *Franzkium*, & *Bergerum*, disputans, resignatione judiciali adhuc hodie multis in locis opus esse, & varias alienationes sine illa non consistere, contendit. *Spec. 454* discrimen rei vindicationis & actionis finium regundorum it evictum, idque præjudicio minime contemnendo illustrat. *Spec. 455* inter alia asserit, Patres & Pontifices non errasse, cum, nullam præscriptionem sine bona fide subsistere, probaturi, ad dictum *Paulinum Rom XIV, 23*, provocaverint. *Spec. 462* probat, possessionem in rebus meræ facultatis neque per usum solitarium acquiri, neque solo non usu exstingui, si vel maxime longissimum tempus ei accesserit. *Corollar. 2 Schwendendærf-*

feri

feri Summariam actionum forensium expositionem nominat *librum ineptiarum plenum, equis mulisque scriptum.* *Spec.* 468 communem opinionem de necessaria sententiæ cum libello conformitate habet popularem errorem, taleinque prorsus, qui pugnet cum Jure naturæ, divino, Romano, Germanico, speciatim Recessibus Imperii & Jure Saxonico Electorali, cum singula hæc Jura libelli rationem non aliter haberi velint, quam requirant indoles negotii, acta, & probata.

Jam etiam ex *Volumine VIII*, pro instituti nostri ratione, paucula addemus. *Spec. 532* Celeberrimus Autor ad quæstionem: num ordinaria laquei aliave ignominiosa pœna maneat studiosum, gravioris criminis reum, affirmando respondet, recitans criminale negotium *Castricianum. Spec. 537* demonstrat, Germanico quidem Jure furem haberi, qui apes & favos ex alieno fundo & arbore abstulerit, non tamen puniri hodie, nisi, apes & favos nondum occupatos eximendo, læserit arborem. *Spec. 539*, rapinæ, quam neque religio Christiana, neque leges *Maximiliani*, penitus exstinxerint, adhuc post *Caroli V* obitum exempla exstare, clarum facit. *Spec. 541* vocabulum in legibus Romanis frequens, *hamam*, interpretatur *Feuer-Eymer. Specimine 542*, cui adjuncta est Ill. Autoris ad *Frid Ottonem Menckenium*, Socium nostrum, Epistola perelegans & amoris plena, qualis sit differentia vindictæ & ultionis injurarum, ostendit, atque, causam suppetere, negat, cur injuriis accenseantur eruditorum vividæ inter se disputationes. *Spec. 543*, communi quidem, non tamen Saxonico, Jure in deprecationibus admitti procuratorem a parte rei, non sine ratione affirmat. *Spec. 545* septem describit sannarum genera, scilicet ciconiam, aures asininas, linguam exsertam, oris depravationem, imitationem, cornua protensa, & porrectionem digiti. *Spec. 557*, stellionatum a falso differre, negat. *Spec. 562*, postquam testatus est, se aliquot millia defensionum legisse, & duas tantum singulari artificio confectas, brevibus tradit methodum defensiones conscribendi. His annectit ea, quæ jam olim titulo *Ministri delinquentis* ediderat. Ubi describit crimen fidei, disquirit, in quantum Ministrissimatus crimen dici queat, nec ne, investigans simul, num & quando virtutis, miseri-

sericordiæ, fortitudinis, religionis & pietatis, magnanimitatis, magnificentiæ & liberalitatis, parsimoniæ itidem, fidei, exsuperantia delictis annumerari queat, quibus etiam modis ministri Principis delinquere possint. Denique *Spec. 574* vindicat *Joannis Parvi* de cæde perduellium privatis licita doctrinam contra aliorum calumnias. Recensioni finem imponimus, novis Ill. Autoris in Jurisprudentiam meritis applaudentes, & firmam ei constantemque valetudinem, ad alia multa, quæ sunt literis & harum studiosis salutaria, porro perficienda, ex animo comprecantes.

ACCURATA MEDENDI METHODUS, quantum fieri potest, ab omni hypothesi abstracta: in tres Partes divisa, Pathologiam universalem, particularem, & Therapeiam; per Aphorismos proposita ab HENRICO JOSEPHO REGA, in Universitate Lovaniensi Medicinæ Doctore & Professore primario.

Lovanii, typis Martini van Oberbeke, 1737, 4.
Alph. 2 plag. 20.

Cum methodus medendi sit ea scientia, quæ docet, quid sit faciendum, ut valetudo prospera conservetur, adversæ vero idoneis remediis obviam eatur, atque adeo hæc ultimus scopus, ad quem omnes reliquæ artis salutaris partes referendæ sunt, jure habeatur Cl. Autori, cui munus eam docendi in Academia Lovaniensi impositum est; potiora ejusdem capita, aphoristica brevitate, additis tamen, ubi res postulare videbatur, scholiis prolixioribus, exponere, ipse secum constituit. In *tres* totum Opus *Partes* dispescuit, quarum *prima* Pathologiæ generali dicata est, *altera* Pathologiam specialem, seu Semioticen, complectitur, *tertia* denique remediorum fontes, & operandi modum, explicat. Cum vero naturalia potiora sint præternaturalibus, præmissis notionibus vitæ, sanitatis, morbi, & mortis, primo loco statum naturalem partium solidarum, & requisita illarum ad functiones suas rite perficiendas, ut & fluidorum naturalem constitutionem, exponit, quo eo felicius varias inde declinationes in statu morboso ostendere possit. Cum a plerisque humorum vitia in omni

morborum genere accuſari, & omnis medela ad illa emendanda dirigi, ſoleat, neglecta fere ſolidorum conſideratione, id potiſſimum in toto Opere ſibi demonſtrandum cenſuit, ſæpius primam morborum originem a partium ſolidarum præternaturali affectione repetendam, utpote a quibus poſtmodum fluida corrumpantur, & pleraque remedia primario in ſolidas partes agere, hinc demum effectum in fluida etiam redundare. Unde primo de ſolidarum partium variis affectionibus agit, cumque ab harum juſto tono fluidorum motus æquabilis dependeat, illum vel intendi, vel minui, atque ſic motus nunc vehementiores reddi, nunc ſegniores eſſe, oſtendit, quorum vitiorum cauſas & effectus fuſius perſequitur: inde demum ad fluidorum præternaturalem conſtitutionem, tanquam promtum priorum effectum, explicandam accedit; atque, indicatis morborum diviſionibus & differentiis, generali Pathologiæ finem imponit. *Altera Parte*, quam ſpecialem Pathologiam appellat, potiſſimum accuratæ morborum hiſtoriæ ſtudium commendat, ut vel ſingula morborum phænomena a principio uſque ad exitum nota ſint, vel minimum ſigna eſſentialia & pathognomonica cujusque morbi perſpecta, ne in diagnoſi fallatur Medicus; neque minor labor in ſcrutinio cauſarum collocandus, cum his potiſſimum remedia ſint opponenda. Cum vero cauſam morbificam & morbi genium non parum declarent principalium actionum vitalium læſiones, linguæ etiam, oculorum, ac totius habitus corporis, conſtitutiones, ea denique, quæ pendente morbo excernuntur; de pulſu arteriæ, de reſpiratione, de lingua, ejusque vario in morbis habitu, de urina, de cruore e vena extracta, tanquam potioribus ſignis, unde Medicus morbum, ejuſque cauſas, cognoſcat, ex inſtituto agit, adductis ubique *Hippocratis* & reliquorum medicinæ patrum, quorum in diagnoſi & prognoſi morborum ſagacitatem merito admiramur, teſtimoniis, collatis ſimul recentiorum, qui horum veſtigia cum laude preſſerunt, obſervationibus. In *tertia Parte*, ſive Therapeia generali, explicata indicantis, indicationis, & indicati, ſignificatione, de modo inveniendi remedia, eademque debite applicandi, agit, poſt in ſummas claſ-
ſes

ſes digerit omnia auxiliorum genera, quæ vel ſunt evacuantia, vel alterantia. Inter evacuantia de venæſectione & purgantibus, ſive alvum ſolventibus, ex inſtituto agit, & de eorundem operandi ratione, ac effectu, quem in ſolidas primario partes exerant, erudite diſſerit; reliquas evacuantium ſpecies, cum ex dictis facilis de illarum virtutibus ſit conjectura, brevitatis cauſa omittit. Inter alterantia alia ſolidis partibus dicata oſtendit, quorſum ſtrictim ſic dicta ſolventia ſeu relaxantia, ſedativa, anodyna, & opiata, ſolidum ſtringentia, tonica, nervina & cardiaca, ut & derivantia & revellentia, quæ motum illarum mutent, refert, alia immediate afficere & alterare fluida docet, quorſum reſolventia, incraſſantia, balſamica, acre corrigentia, motum inteſtinum moderantia, vel excitantia, ſpectant. Singularia ex Opere, in quo cuncta inter ſe connexa & aphoriſtica brevitate propoſita ſunt, excerpere, ſuperfluum ducimus, cum ex declarato Autoris ſcopo, & totius Syſtematis diſpoſitione, ſatis appareat, quid ab illo exſpectandum ſit, atque ad curatius evolvendum ipſum Opus excitari poſſint ii, quibus nuda empiria non ſufficit, ſed qui cum ratione omnia in morborum medela ſuſcipere amant, quos impenſæ hujus libri lectioni operæ non pœnitebit.

URANOSCOPIA: OR THE CONTEMPLATION of the heavens, &c.

h. e.

URANOSCOPIA, SIVE COELORUM CONtemplatio, quæ continet demonſtrationem æquationis temporis, una cum methodo obſervandi ingreſſus ſolares in quodlibet eclipticæ punctum, & inveſtigatione apheliorum ac excentricitatum Planetarum; item determinationem maximæ elongationis Veneris & Mercurii a Sole, nec minus medii motus Telluris, ejus aphelii, & præceſſionis æquinoctiorum, locorum Solis & Lunæ verorum, per calculos & obſervationes; inventionem horæ veræ tempore nocturno, ope Stellarum, & novi cu-

jusdam Quadrantis; nec non explanationem demonstrationemque methodorum Keplerianæ & Flamsteedianæ pro calculo temporum & phasium Eclipsium solarium, quibus adduntur novæ Tabulæ nonagesimi gradus, ejusque altitudinis, Parallaxeos Lunæ tam in altitudinem, quam in longitudinem & latitudinem, multaque alia, quorun in tali Opere aliqua est utilitas. Autore CAROLO LEADBETTER, *Mathematum Magistro.*

Londini, typis J. Wilcox, 1735, 8 maj.

Alph. 2 plag. 9, cum Figuris nonnullis, textui insertis.

Cum ipsa tituli ratio satis indicet, quidnam operæ in hoc Tractatu sibi sumserit Cl. Autor; nihil aliud agendum nobis est recensionem confecturis, quam ut de nonnullis ejus *Capitibus* pauca quædam & notatu ceteris digniora Lectoribus nostris propinemus. Sunt autem *Capita* numero *tria & viginti*. In *primo* comparet demonstratio æquationis temporis, notaturque inprimis error *Streetii*, æquationem addere jubentis, cum subtrahi deberet, & contra; quæ res in diversas opiniones pertraxit Astronomos, donec controversiam decideret *Flamsteedius* peculiari Dissertatione, Operibus *Horroccii* posthumis annexa. Exponitur deinceps, quomodo inæqualitas dierum solarium oriatur ex duplici causa, scilicet obliquitate Eclipticæ, & reali motus Solis (vel Telluris) acceleratione & remissione in orbita. Quo facto, docetur, quomodo motus pendulorum ad medium Solis motum revocandus sit. *Capite II* monstratur, quomodo observandus sit Solis ingressus in notabiliora Eclipticæ puncta. Res exemplis declaratur. *Caput III* exhibet investigationem aphelii Terræ & inæqualitatis annuæ. Ubi notandum, Autorem non sequi veram hypothesin ellipticam, qualem adstruxit *Keplerus*, in qua radius vector, e Sole ceu foco ad Ellipsin ductus, areas vel sectores describit temporibus proportionales, sed illam, quam olim excoluit *Sethus Wardus*, ubi motus Terræ (vel Planetæ

netæ alius cujusvis) ex altero Ellipſeos foco tanquam æquabilis ſpectari ſupponitur. Adhibet tamen correctionem, ab *Iſmaele Bullialdo* pro ſolvenda hac hypotheſi excogitatam. Idem dicendum de *Capitibus quarto* & *quinto*, ubi anomaliæ mediæ, excentricitates, & aphelia, tam ſuperiorum, quam inferiorum, Planetarum, indagantur. *Capite VII* determinatur maxima elongatio Veneris & Mercurii a Sole: Invenitur maxima elong. Mercur. = 28°, 21′, 8″, Veneris = 47° 38′ 35″. *Capite IX* exhibetur calculus loci veri Lunæ, exactior, quam huc usque fuit inventus. Superſtruitur ſcilicet theoriæ lunari *Newtoni*. Cum motus Lunæ juxta theoriam modo dictam æquationes quamplurimas requirat, ut tandem habeatur verus Lunæ locus; Noſter, rem gratam Aſtrophilis facturus, a *pag. 88 – 116* inſeruit Tabulas lunares, quarum quatuor priores totidem æquationes exhibent, a *Newtono* indicatas. Eas excipiunt Tabula ſecundæ æquationis Apogæi lunaris, cum Logarithmo excentricitatis ejus orbitæ; Tabula variationis; Tabula ſeptimæ æquationis Lunæ; Tabula ſecundæ æquationis nodi Lunæ, cum Logarithmo ſinus inclinationis ejus orbitæ; Tabula latitudinis primæ in Syzygiis, item motus horarii, ſemidiametri, parallaxeos horizontalis, tandemque Tabula æquationis ellipticæ Lunæ, cum logarithmis diſtantiæ ejus a Terra. *Capite X* exponitur modus inveniendi horam veram tempore nocturno ope fixarum. *Capite XI*, ubi agitur de obſervando vero Solis loco, mentio injicitur novi iſtius Quadrantis, de quo in titulo libri jam fuit dictum, quemque conſtruxit *Jo. Barſton*, horologiopœus Chelſejenſis. Noſter tantis laudibus organon hocce effert, ut omnia id alia ſui generis antecellere dicat. Inſignis ejus eſt utilitas in navigationibus, a Viris rei nauticæ & aſtronomicæ peritis dudum cognita. Notatu præcipue dignum, Quadrantem hac ratione conſtructum, (referente ita Cl. Autore,) cujus diameter ſit unius pollicis Anglicani (*Inch*), reſpondere radio 15 pedum, juxta quem conſtructus eſt Quadrans ordinarius. Quodſi ejus diameter fiat 18 pollicum, reſpondebit Quadranti ordinario, cujus radius ſit 270 pedum.

Capite XII & *XIII* exponitur, qua ratione locus Lunæ tam verus, qualis ex centro terræ ſpectaretur, quam viſibilis, qualis nimirum ob parallaxium rationes apparet, inveniri debeat. *Capite XV* fuſe explicatur methodus computandi eclipſes ſolares, qualem primus excogitavit *Keplerus*, excoluit *Flamſteedius* & alii. Omnia illuſtrantur exemplis, magno tyronibus uſui futuris. Quomodo eclipſeos ſolaris præcipua momenta exquiri poſſint ope globi terreſtris, oſtenditur *Cap. XVIII. Capite XIX* docetur modus obſervandi phaſes Veneris & Mercurii. Reliqua *Capita* nihil offerunt, quod admodum notari mereatur, ſi ab eo diſceſſeris, quod uſum Tabularum, Operi ſubjunctarum, declarent, de quibus ſtatim plura. Videre igitur ad finem libri præcipue eſt 1) Tabulam gradus nonageſimi, pro obliquitate Eclipticæ 23° 29′, inde ab æquatore ad latitudinem usque 60 grad. tam borealem, quam auſtralem, computatam; 2) Tabulam anguli orientis, ſive altitudinis nonageſimi, qualem etiam exhibuit *Keplerus* in *Rudolphinis*; 3) Tabulam refractionum *Newtonianam*, quæ refractionem horizontalem 47″ majorem ſtatuit, quam *Flamſteedius*; 4) Tabulam Parallaxeos altitudinis Lunæ; 5) Tabulam Parallaxeos Lunæ in longitudinem & latitudinem. Conſtat, in calculo eclipſium ſolarium & occultationum fixarum inventionem loci viſibilis Lunæ per parallaxes rem eſſe difficultatis & tædiorum plenam. Pergratam itaque Aſtronomiæ cultoribus operam præſtitiſſe dicendus eſt Cl. Autor, quod, haſce Parallaxium Tabulas conſtruendo, onere tam gravi ipſos liberaverit.

A MISCELLANY OF MATHEMATIKS IN two Parts, &c.

h. e.

MISCELLANEA MATHEMATICA, DUABUS Partibus comprehenſa, Autore RICHARDO LOCKE.

Londini, ſumtibus Innys & Manby, 1736, 8.
Plag. 21, Tabb. æn. 4.

Septem annorum ſtudia & obſervationes in eo a ſe collocatas, Autor in Præfatione fatetur, Tractatulum hunc ut conſcri-

ſcriberet. Scire igitur avebunt ſine dubio Lectores noſtri, quænam ille argumenta contineat. Indicabimus ea paucis. *Pars prima* abſolvitur *Capitibus duodecim. Primum* exhibet definitiones Aſtronomicas, introductionis loco in doctrinam Aſtronomiæ præcipue ſphæricam futuras. Igitur, quid magnopere hic ſit notandum, non apparet. Quod Tellus motu tam diurno circa axem, quam annuo in orbita, feratur, opinionem eſſe *maxime probabilem*, ait *pag. 5. Capitis ſecundi* titulus valde eſt magnificus; inſcribitur enim: *Quadratura Circuli.* En! quam confidenter de hac ſua quadratura Autor loquatur in Præfatione: *Si verum eſt*, inquit, *quod Batavi ſtatuerint præmium 10000 librarum ei, qui circulum quadraturus eſſet, ego quidem ſpero, eos aut pecuniam numeraturos, aut fore aliquem, qui demonſtret, rem non eſſe confectam.* Batavorum itaque eſt, hanc circuli quadraturam ad examen revocare. Quantum tamen nobis feſtinantibus perſpicere licuit, quadratura circuli abſoluta, qualis deſideratur, non datur ab Autore, ſed aliquis forſan approximandi modus, cujus veritatem explorare jam non vacat. *Caput tertium* rurſus Aſtronomicum eſt, Autoris cogitata de Anomaliis exhibens. Improbantur orbitæ Planetarum ellipticæ, quales hodie ſtatuuntur ab Aſtronomis tantum non omnibus. Quodſi Autorem audias, perfectioni machinæ cœleſtis non parum derogatur, ſi, motus in ea dari, defendas, qui non plane ſint circulares. Quod iis omnibus accidit, qui quadraturam circuli reperiſſe ſibi videntur, ut neſcio quæ myſteria ex circulo depromi poſſe ſibi perſuadeant, idem Noſtro quoque contigiſſe, haud obſcure apparet. Subjunguntur huic *Capiti* Tabulæ æquationum pro Sole & Luna. *Capite quarto* exhibetur ſchema generale gnomonicum; addita explicatione. *Caput quintum* tractat de potentiis mechanicis, quarum myſterium (ita loquitur Autor,) etiam ex circulo demonſtrari poteſt. *Caput ſextum* exhibet diviſionem Monochordii, ex circulo derivatam; *ſeptimum & octavum* doctrinam refractionum, & radiorum convergentium; *nonum* quadraturam Ellipſeos, ex ſua circuli quadratura deductam; *decimum & undecimum* varias de uſibus Circuli & Ellipſeos medita-

meditationes. Denique *Capite duodecimo* proponitur geometrica (ut ait Autor) Cubi duplicatio, per solas lineas rectas, quæ vero, ut paucis dicamus, est purus putus paralogismus, in eo positus, quod loco duarum mediarum *geometrice* proportionalium inter duas lineas extremas, quærantur duæ mediæ *arithmetice* proportionales, adeoque confusio sit proportionis arithmeticæ & geometricæ. Quæ falsa Cubi duplicatio, primo nobis obtutu deprehensa, nec de Circuli quadratura, ab Autore excogitata, admodum bene sperare nos patitur.

Pars secunda libelli, *duodecim* & ipsa *Capitibus* constans, continet tam Trigonometrica, quam Hydrographica, & Astronomica. Et quidem Trigonometrica habentur a *Capite I ad V.* Contendit Autor, se aliam invenisse viam, triangula tam plana, quam sphærica, absque canone Sinuum & Tangentium, expedite resolvendi, quæ fundetur in proportione laterum ad angulos. Rem novam hic præstitisset Autor, si demonstrasset legitime. At vero dolendum, demonstrationes & hic meram esse paralogismorum farraginem, qui statim in oculos incurrunt intelligenti. Dum *Euclidem* citat Autor, manifestissime prodit, se *Euclidem* non intelligere. Nostrum non est, atro carbone scripta notare, quæ recensemus; sed ubique tamen dicendum, quod res est, & veritati pretium suum statuendum. Si hac ratione triangula solvantur, quot & quanti errores orientur! E. g. si detur hypothenusa trianguli rectanguli = 37, latus unum = 31, & quæratur angulus huic lateri oppositus; juxta analogiam Autoris erit ille = 64°, cum tamen per veram Trigonometriæ methodum inveniatur = 55°, 55′, differentia prorsus haud ferenda. Reliqua *Capita* quod attinet, ea respiciunt potissimum Problema longitudinis. Cum ibi Trigonometriæ suæ applicationem faciat Autor, facile animo præcipient Lectores nostri, quid de iis sit statuendum. Tandem adduntur Tabulæ, ad aliquot Solis & Lunæ motus pertinentes. Sed de his satis.

In hoc ipso *Mense pag. 394 lin. 16* pro *horum* lege *harum; pag. 397 lin. 7* pro *Scritorum* lege *Scriptorum; ead. pag. lin. 14* pro *reddituri* l. *redituri; ead. pag. lin. 32* pro *in* l. *in-; pag. 416 lin. 21* pro *exornanda* l. *exornando.*

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXXVIII.

HISTOIRE DES SEQUANOIS ET DE LA PROvince Sequanoise, des Bourgignons, &c.

h. e.

HISTORIA SEQUANORUM, PROVINCIÆ Sequanensis, & Burgundorum, duobus Voluminibus exposita, quorum altero primum regnum Burgundiæ, & Ecclesia Vesontina, usque ad Seculum sextum, Abbatiæ item Comitatus Burgundici, inde ab earum fundatione usque ad præsens tempus, altero secundum regnum Burgundiæ, Comitatus Burgundiæ sub Regibus Carolingicis, tertium & quartum regnum Burgundiæ, describuntur. Autore F. JO. DUNODO, Semiore Advocato Parlamenti, & in Academia Vesontina Professore Regio.

Divione & Parisiis, apud Briassonum, 1735 & 1737, 4. Vol. I Alph. 3 plag. 10, Vol. II Alph. 4 plag. 15.

Ea semper fuit Burgundorum regio, quæ sive soli fertilitate, sive incolarum virtute, sive majestate regni, sive fortium factorum gloria, sive denique multiplici rerum gestarum varietate, nulli alii palmam concederet. Mirum itaque est, non a pluribus, quam duobus, nec majori diligentia, illustris illius provinciæ historiam fuisse illustra-

tam. Sunt illi duo *Ludovicus Golutus*, Advocatus Parlamenti Dolensis, cujus sub finem Seculi XVI *Commentarii de rebus Burgundorum* (*Memoires de Bourguignons*) forma majori prodierunt, & *Jo. Jac. Chifletius*, Medicus Vesontinus, qui Seculo superiore *Historiam Burgundorum Ecclesiasticam & Civilem* in 4 edidit. Neuter horum suis carere vitiis videtur. *Golutus*, cum librum suum ampla fabularum farragine impleverit, id magis egisse videtur, ut ingenium ostenderet, quam ut veritatem ex tenebris erueret. *Chifletius* Opus dedit doctissimum, sed in quo Romanas tantum antiquitates sectatus est, Celticarum fere nihil habet. Ejusdem *Chifletii* habemus Historiam Ecclesiæ Vesontinæ, felicioribus auspiciis ab Autore, quippe pluribus hic ac certioribus instructo documentis, compositam, ita quidem, ut, rejectis fabellis, quas Secula portentorum plena invexerant, omnia hic testibus ac monumentis fide dignis munita compareant. Hæc erant, quæ bonum & patriæ amantem civem impellere poterant ad rimanda majorum monumenta. Inter varias turbas, quæ a studiis humanioribus Autorem nostrum per aliquod tempus detinuerunt, variæ ipsi enatæ sunt observationes, vel plane novæ, vel multo emendatiores, quam illæ, quas superior ætas dederat. Nobilis autem quidam Burgundus, quem patriæ amor ad eadem studia compellebat, effecit literis ac monitis frequentioribus, ut, quæ sparsim antea, nullo ordine, in adversaria Noster conjecerat, elaboratiora in manus eruditorum traderet. *Duobus Tomis* dispescitur præsens Opus; de cujus instituto & argumentis breviter præmissæ *Tomis* singulis Præfationes exponunt. *Prior Tomus duabus Partibus* civiles & sacras antiquitates pertractat. A civilibus auspicium cum Autore faciamus. Primum historia Sequanorum & Provinciæ Sequanensis legitur, commemorans ortum Sequanorum, adventum in Galliam, potestatem in vicinos, bellorum cum Germanis Romanisque fata, submissas Latino jugo cervices, reportatos a *Cæsare* triumphos, obedientiam subsecutis Imperatori-

toribus præstitam, calamitatesque tristissimas, quas, post *Constantini Magni* tempora, furor Alanorum, Gothorum, Francorum, Burgundorumque, rebus Sequanorum olim florentissimis attulit. Campus hic est amplissimus, in quo laxis quasi frænis omnis generis Scriptores excurrere, urbium vetustarum ruderibus fixam suam sedem vindicare, obscurorum nominum tenebras admoto vel historiæ, vel conjecturarum, lumine discutere, contemplari priscæ ætatis stupenda miracula, aquæductus artificiosos, ædificia splendida, marmora insignia, &, qui maximus est fructus, historicos errores priorum Seculorum notare atque emendare, possint. Ista vero a Nostro, tantum abest, ut neglecta censeamus, ut, qua fieri potuit cura & eruditionis copia, explicantem ea omnia legamus, quæ Romani imperii majestatem & splendorem ostendunt. Orationis autem filum ne divelleret, ampliorem dicendorum apparatum *sex Dissertationibus* complexus est. Non ingratum facturos nos Romanarum rerum curiosis speramus, si, quæ docte hic traduntur, curatius, pro rerum dignitate, exponamus, in ceteris eo simus breviores. Ita vero in singulis *Dissertationibus* partes suas agit doctissimus Autor, ut literas præmittat Nobilis illius Burgundi, quem paulo ante diximus, quæ dubia nonnulla movent ex Historico Vesontino, quo nomine *Golutum* indicari opinamur, aut, veris Autoris narrationibus rejectis, meras fabulas venditant, suas his deinde responsiones subjungat, in quibus inscitiam superiorum temporum reprehendit, novisque argumentis sententiam suam corroborat. *Prima Dissertatio* ad Geographiam spectat, & in figendis Sequanorum limitibus versatur. *Secunda Dissertatione* de vetustate Vesontionis, de nominis hujus origine, de fundatione Dolæ, de loco, ubi Amagetobria sita fuit, & de vetusta Metropoli Sequanorum, differitur. Juvat hinc decerpere nonnulla, quæ scitu maxime utilia videntur. Sunt, qui Vesontionem ipsa Roma vetustiorem dicant. Quibus non solum assensum præbet Autor, sed & ulterius progressus, Vesontionis origi-

nem in illa prima & antiquiſſima, ante *Trojam* expugnatam, tempora rejicit, quibus Celtæ, non, quod putant alii, navibus, ſed continente terra, litora Danubii legentes, ex Armenia & Tauri jugis in Galliam proruperunt. In ſtatuenda vocis Veſontionis etymologia ab Hiſtorico Veſontino Noſter, ut in aliis omnibus, diſcedit. Derivarat ille vocem a nomine *Biſon*, originis Græcæ, quod generi cuidam taurorum ſylveſtrium proprium fuit. At Noſter, Græcam linguam penitus ignotam fuiſſe Sequanis, nec hos alia locutos lingua, contendit, quam quæ Germanis fuit patria, quippe partem Germaniæ fortunæ ſuæ ſedem habentes. Affirmat potius, a Celtica voce *Veſen*, id eſt, *arce*, ſive a Germanico *Weſen*, (voluit dicere *Weiſen*,) id eſt, *viam ducere*, *inſtruere*, unde *Veſtung*, caſtellum, vocis originem petendam. Amagetobriam, ubi Sequani, cum *Cæſare* juncti, Germanos devicerunt, non ad Bingium trans Navam, (quod *Samſonio*, in Mappa vetuſtæ Galliæ, viſum eſt, *Auſonium* perperam in partes ſuas trahenti,) nec ad Rheni ripas, ſed ad Araris & Ognoni confluentes, collocat, eo ſcilicet loco, quo Broia (*Broye des Peſmes*) ſita eſt hodie, quam antiquitus pro *Moigte de Broie Amagetobriam* dictam ſuſpicatur. De Dolæ vetuſtate & excellentia, qua Veſontione olim potior fuit habita, *tertia Diſſertatione* diligenter actum eſt. Nobilis ille, cum ſciret, Dolam ante *Julii Cæſaris* tempora Veſontioni prælatam fuiſſe, neque tamen in *Ptolemæo*, curatiſſimo antiquæ Geographiæ Scriptore, ullum ejus veſtigium inveniret; eam in *Dittacio* ſeu *Didattio* deprehendere ſibi viſus eſt, quod *Ptolemæus* cum aliis tribus Sequanorum oppidis primo ſtatim loco nominat. Notare illud nomen ait *Ditis ſtationem*, in aliorum etiam locorum nominibus extricandis ingenioſus valde, ut, ſi legas Nobilem illum, *Noachi* arcam in Gallia conſediſſe, aut omnem memoriam Chaldææ gentis hic conſervatam, aut totum fere Græcorum Deorum concilium huc commigraſſe, arbitreris. Addit tandem, Dolam, *Friderici I* Imp. præſentia, ſuperboque palatio, honeſtatam, poſteriori-

bus

bus maxime Seculis inclaruisse. Autor vero noster ita sententiæ illius Nobilis est contrarius, ut antiquorum Scriptorum tempore penitus neget exstitisse Dolam, medio autem ævo mediocre satis fuisse prædium existimet. Quod in *Ptolemæo* quæritur fundamentum dignitatis, qua Dola superbit, cum primo loco nominetur, corruit statim, si *Ptolemæum* meminerimus non pro meritis, sed pro mensura longitudinum, urbes disposuisse. Neque splendor ille, quo Vesontio enituit, verbis *Cæsaris* obscuratur, oppidum illud, non urbem, dicentis, quippe alio loco idem *maximum Sequanorum oppidum* appellantis. Nec minorem *Augusti* tempore, & post eum, urbis Vesontinæ inter Sequanos fuisse dignitatem constat. In tota vero Scriptorum antiquiorum turba haud unus est, qui *Dittatii* vel semel tantum meminerit. Neque ullum unquam marmor vetustum apparuit, unde vel levissima veri specie exsculpere Dolam possis. Ipsum *Ptolemæum*, ejusque Codices MStos, si inspiciamus, apertam erroris originem habebimus. Doctissimus *de Camps*, Abbas *Signiensis*, qui optimos *Ptolemæi* Codices manu exaratos in Regia æque ac aliis Parisiensibus Bibliothecis evolvit, testatus fuit per literas, exstare quosdam, qui Ουισόντιον legant. Et Cel. *Boubierius* Autori nostro affirmavit, apud se esse exemplar *Ptolemæi*, cujus margini Cl. *Salmasius* variantes lectiones adscripserit, e præstantissimis Palatinæ, nunc Vaticanæ, Codicibus depromtas, quæ legant διτλάσιον, quod Autor legendum conjicit *διςάσιον*, *bina statio*, putatque adeo, aut resecandum plane διττάσιον, aut διςάσιον legendum, hocque ipso notari loca *le Grand* & *le Petit Noire*, quæ melius, quam Dola, situi & gradibus *Ptolemaicis* conveniant; propterea autem *binam stationem* dici, quia in via Romana urbs fuerit utraque, & utraque sibi vicina, adeoque vel in hac, vel in illa, pro arbitrio potuerit subsisti, quod antiquitatis manifestum sit indicium. Eodem in loco multos erui numos & reliquias illorum temporum, e *P. Dunodi Notitia Provinciæ* (*Notice de la Province*) refert. Ceterum miram Historici Vesontini,

tini in explicandis, & e Tatarica barbarie protrahendis, nominibus Gallicis imaginandi vim pro merito exagitat, urgens inprimis, vetustatis nullum nec *Friderici I* ætate vestigium superesse Dolæ, nec fuisse Dolam hanc nisi castellum, quod *Otto* filius, & sequentes Comites, translata illuc sede, nobilitarint. *Quarta Dissertatione* quærit amicus Autoris, an, quod asserit *Gollutus*, & quando, Vesontio ab auro illic invento fuerit *Chrysopolis* denominata; porro, quis aquæductum, ab Arcierio Vesontionem pertingentem, construxerit, & cui arcus triumphalis fuerit erectus. Respondet Noster, constare ex illis, qui res istius tractus naturales æque ac civiles exposuerunt, aurum illic non inveniri. Aliud contra nomen, quod verum est & genuinum, ficto huic & corrupto substituendum suadet. Hausit illud e notitia quadam, quam e Bibliotheca Tigurina transscripsit *Jac. Simlerus*, & *Jos. Scaliger* magni fecit, qua expresse legitur *civitas Crispolinorum*. Est igitur *Crispopolis*, quod hominum ignorantia & linguæ volubilitas in *Crispolis* mutavit. Originem autem ducere id nominis putat a *Crispo*, filio *Constantini M.* quem ob repressas Germanorum incursiones, aliaque merita in Sequanos & omnem Galliam, insigni honore cives Vesontini prosecuti sunt, eodem nempe, quo patrem ipsius Byzantini affecerant. Eidem etiam, non vero *Aurelio*, arcum triumphalem erectum asserit, & ex inscriptionibus ac figuris illi impressis, quas singulas curate & distincte exponit, commonstrat, non nisi juveni illum convenire, quem, innata virtute ad magna quævis & ingenua connitentem, invida sors oppresserit. Neque etiam *Julium Cæsarem*, bellis Gallicis districtum, neque *Agrippam*, aquæductus ingentis ac mirandi autores agnoscit. Tribuit hunc potius *Antoninæ* gentis cuidam, quam e Gallis oriundam nonnulla maximi momenti testimonia produnt. Cum etiam *Aurelius* Romæ fissis saxis aquam dederit, & exstet adhuc Inscriptio, qua Vesontini pro præstitis sibi ab *Aurelio* beneficiis gratam mentem testantur, non videtur sibi errare Autor, si ad illum referat aquæductus ex-

struchi

ſtructi gloriam. *Quinta Diſſertatione* Eques ille Burgundus refert, detecta fuiſſe circa Maurianam (*Moirans*) monumenta antiqua, numos, inſcriptiones, rudera templorum, aquæductuum, pontis, amphitheatri, balnei publici, ergaſtuli, & propugnaculorum; teſtari illa de civitate quadam vetuſta, quam fortunæ caſus deſtruxerit. Sed, diſſentire, addit, de nomine duos Autores; alterum nominare Aventicum, a *Ptolemaeo* inter Sequanorum civitates relatum; alteri Iſernodorum dici, *Romani* & *Lupicini*, Sanctorum Seculi quinti, natalibus clarum, & magni factum a priſcis Gothorum Regibus, qui ibi numos ſuos cudendos curarint. Autor contra, qui omnia inſpexit ipſe, & attente exploravit, utrumque convellit; hunc, quod *Iſernodorum* adhuc ſub nomine *Iſernore* exſtet, ſex fere milliaribus a Mauriana diſſitum, & templum *Iſernodori Mercurio*, hujus vero urbis ſacraria *Pani* & *Marti Auguſto*, dedicata fuerint; illum ex eo, quod nec e *Gregorio Turonenſi Vitar. Patr. Cap. 1*, nec e *Ptolemaeo*, hauriri poſſit ſuſpicio, ac ſi duæ urbes fuerint Aventicum dictæ, una Helvetiæ, altera Sequanorum; omniaque, quæ de Aventico leguntur, de una accipi, non de pluribus, poſſint. *Maurianam* itaque urbem illam nominat; in cujus confinia S. *Marinum*, a Saracenis A. 731 interfectum, confugiſſe, nos docent Acta Sanctorum. Refert, deſtructæ hoſtili furore civitatis incolas, in montium rimas & cacumina diſperſos, evaneſcente metu, rediiſſe, & aliquanto poſt aliam urbem condidiſſe ejuſdem nominis, quod temporum curſus in *Moirans*, paululum flexa pronuntiatione, commutaverit. Commemoraverat autem antea, ut modo diximus, Inſcriptiones quaſdam, in quibus dedicatum *Mercurio* templum Iſernodori, itemque *Mars Auguſtus* & *Milites Niliaci* leguntur; quas attulit & explanavit, quo conſtaret ſimul, *Maurianam* civitatem dici a colonis militibus, quos ex Ægypto & Mauritania Imperatores huc pertraxerant. Occaſione hac data, in alias Inſcriptiones antiquas excurrit, ex quibus memorabilis eſt Lugdunenſis quædam, in qua Mars *Segemon* appellatur; quam vocem ex lingua Celtica interpre-

tan-

tandam conjicit. *Plinius* & S. *Augustinus*, vocem *Seg* originem Latinæ *Seges* dedisse, docent. Concludit ergo, *Siken* esse *metere*, & *Sikman messor*. E Celtico quoque aut Germanico *ziehen* derivat cognomen *Apollinis Siani*, quia arcum tendere fingatur. Ad Isernodorum tandem devenit, quod idem esse ac *Eisern Thor*, cum veterum testimonia, tum res ipsa, loquuntur. Locum hoc dedit singulari Epistolæ Amici inserendæ, qua facies antiqua hujus loci describitur. *Dissertatio sexta* narrat, quæ Vesontionem ornent monumenta vetustatis, & qualis hic literarum curiæque ratio olim fuerit. Illustrandis & confirmandis illis apprime inserviunt Inscriptiones, vel editæ, vel adhuc nunquam inspectæ, quæ ipsæ explicantur, & illustriores, præsertim Sequanorum, familias in clarissima luce ponunt. A. 1752 inventum fuit in fundamentis Ecclesiæ Vesontinæ fragmentum, quod ad vivum expressis & ligno incisis characteribus exhibetur. Occurrit in illo vox *Diachera*, de qua, cum crucem figat viris doctis, varias nonnullorum sententias profert. Inscriptiones observata nonnulla sequuntur, quæ vel *Mabillonium*, vel *Chifletium*, vel *Duchesnium*, castigant, aut novis ponderibus ante dicta confirmant. Relictis illis temporibus, quibus lætiorem Romanæ urbis faciem vidimus, in ea incidit Autor, quæ, luctuosa & exitiosa Romano Imperio, initia dederunt constituendo novo regno Burgundico, Visigothis sub *Arcadio* A. 416 ejectis, Burgundisque ad sacra Christi conversis. Facta & seriem Regum Burgundicorum incredibili fere labore ex obscura barbarorum temporum ignorantia eruit & illustravit.

Ita emensi *priorem* Libri elegantissimi *Partem*, ad *alteram* convertimur, cujus vel ipsa limina studiosis Historiæ sacræ non minora commoda, quam delectationem, spondent. Præliminaris Dissertatio monumenta MSta, in Ecclesiæ Vesontinæ adytis asservata, enumerat ac describit, ordinemque indicat & modum, quo confusas in illis libris hominum temporumque rationes correxit. In speciali Ecclesiæ Vesonti-

næ

næ recensione Episcopos, eorumque adjutores, enumerat, ac peculiari Dissertatione contra *Quesnellium* ostendit, *Celidonium* Episcopum Vesontinum fuisse, non Viennensem, aut subjectum Metropolitæ Arelatensi. Inde historiam Abbatiæ S. *Claudii*, a S. *Romano* institutæ, Abbatiæ *Palmensis*, & Prioratus *Gigniensis*, Abbatiarum *Luriensis*, *Castri Cabillonensis*, *Palmensis*, fœminis destinatæ, *Favernienfis*, *S. Claræ*, *Lons-le-Saunier* dictæ, *Migettiensis*, & *Montigniensis*, in Additionibus certam ætatem fundatæ Abbatiæ *Castri Cabillonensis* dubiis omnibus liberans e picturis, quas A. 1734 ibidem inspexerat. Documentorum, quæ historiæ merito animam & nervum dixeris, ea copia hic exstat, ut integras 14 plagulas missalibus, catalogis Episcoporum, privilegiis, &c. impletas videamus.

Dicendum jam de *Tomo* Operis præstantissimi *secundo*, in cujus Præfatione occasio ejus elaborandi enarratur, & summa argumentorum capita breviter traduntur. Dederat ante aliquod tempus R. P. *Planchetus*, Ordinis Benedictini, edendæ majoris Historiæ Burgundicæ Prospectum; quo viso, Autor noster, doctissimi Viri labores patriæ suæ gratulatus, ab opere dudum cœpto prorsus duxit abstinendum. *Planchetus* autem, Vir non magis doctus, quam modestus, moribusque expolitus, non concessit, ut omnis spes, quam de *Dunodo* Gallia conceperat, penitus concideret. Permovit potius & compulit Autorem, ut vel ad ea tantum tempora continuaret opus, quibus utraque Burgundia sub ultimis Ducibus in unum corpus coaluit. Id enim affirmabat ab homine, qui provinciæ cujusdam fata sibi exponenda sumserit, maxime requiri, ut iisdem moribus ac institutis innutritus, probe calleat regionem, atque loca omnia inspexerit, sciatque morosius ab aliis occultata tabularum & chartarum promtuaria recludere. Atque sic factum est, ut *septem Libris* non ea tantum exposita legamus, quæ secundi Reges Burgundici, scilicet e stirpe *Chlodovæi*, per 226 annos gesserint (*Libro I*), quæ *Carolingicorum* in Burgundos fuerit potestas, postquam Provincia illa a *Pipino* sub specie Ducatus reliquo regni corpori fuit innexa (*Libro II*), quæ fuerit

tertii regni Burgundici facies, quod Arelatenſe quoque & Provinciale dicitur, poſt *Ludovici* autem *Balbi* fata in *Boſone*, ejusque filio, *Ludovico*, vix per novem annos ſtetit, cum ſub *Rudolpho I* quartum regnum Burgundicum inſtauraretur A. 888, quod in *Rudolpho III* A. 1032 deſiit, (*Libro III*,) quæ tandem de Comitum Ducumque Burgundicorum poſteriorum, vel ex *Hugonis Capeti*, vel e *Valeſiana* gente, ſerie vitæque ratione tradi poſſunt, (*Libro IV*,) ſed illa etiam docentem Autorem videamus, quæ nexum habent cum antecedentibus, cumque Comites Burgundici ea ſemper fuerint autoritate & potentia, quæ vicinos tueri ac fulcire potuerit, & adverſus aliorum vim defendere, non immerito (*Libro V*) hiſtoriam Comitatus *Montis Bellicardi* & *Neocomenſis* ejusque ſucceſſionis jura deſcripſiſſe cenſeatur. Pauca huc usque Autor dixerat de natura terræ Burgundicæ, moribus incolarum, legibus, viribus, virisque illuſtribus nonnullis, quos toga vel ſagum illuſtres fecerat. Ea *Liber VI* pertractat. *Septimus* nobilium familiarum fumoſas tabulas ſuſpendit; quo tamen in loco pauca Autori obvenere nova, quæ dici mererentur, poſt *Guichenoni* & *Ducheſnii* induſtriam, ſi quatuor Genealogias plane novas excipias. Documenta ita multa, ut in ſuperiore *Tomo*, hic non exſtant. Illud addimus, poſt Præfationem legi Diſſertationem elegantem, in qua, præter alia, jura Præfecti Romæ & prætextæ diligenter explicantur. Figuras æneas addere conſtituerat Autor, ad quas ſæpius etiam Lectores ablegat, ſed typographi monitis abſterreri ſe a deſtinatis paſſus eſt. Ceteras hujus Hiſtoriæ ætates ſitne idem Autor aliquando deſcripturus, an provinciam hanc aliis relicturus, nemo facile, Autore ipſo tacente, dixerit.

ERASMI FROELICH, E SOCIETATE JEſu, Quatuor Tentamina in re numaria veteri. Editio altera, multis locis numiſque locupletata.

Vien-

Viennæ Auſtriæ, typis Mariæ Thereſiæ Voigtiæ, 1737, 4.
Alph. 2 plag. 13.

Poſteaquam eruditiſſimus Autor ſub nomine R. P. *Ludovici de Biel*, amici ſui, aliquantiſper latuerat, evulgatoque Viennæ ante quadriennium, & quod excurrit, forma octopartita *de Utilitate rei numariæ veteris* libello, a nobis etiam in *Nov. Act. Supplem. Tom. I Sect. IV pag. 190* laudato, famam ſibi plauſumque minime vulgarem acquiſiverat, nunc, detracta perſona, ipſe ſe nobis admirandum proponit, eundemque, quem diximus, librum, omnibus antiquitatum divitiis, & doctrinis cultiſſimis, auctum, prodire denuo in lucem & conſpectum eruditi orbis jubet. In priore quidem editione rei numariæ eximios fructus, Illuſtris quondam *Spanhemii* more, ineditis quibuſdam typis illuſtraverat, ſed, *Granellianis* opibus, quas propius intueri datum ipſi fuit, in dies mirum in modum locupletatis, duplicatus etiam labor ejus fuit, acceſſionesque ſignorum ſpecioſæ adeo ejus diligentiam acuerunt, ut ex duobus ingenii fœtibus quatuor feliciſſimi partus emitterentur. *Prima* enim *Diſſertatio*, *de utilitate rei numariæ*, ſi non nova, plura tamen rectius excogitata, profert, *octo* diſtincta *Capitibus*, quorum *I* de numorum veterum ordine & utilitate ad hiſtoriam; *II* de numorum Conſularium ſeu familiarum Romanarum ad Hiſtoriam Romanam utilitate; *III* Pag. 5.
de Auguſtorum numiſmatibus, ad hiſtoriam eorundem quid 14.
faciant; *IV* de numis Regum & urbium atque aliis, quid
Chronologiæ ſerviant; *V* de Geographiæ emolumentis ex 24.
numis; *VI* de numiſmatum uſu ad ſcientiam naturalem; *VII* 45.
de veſtibus, armis, religionibus, ritibus, ædificiis, in numis ex- 56. 61.
preſſis, Pictoribus, Poetis, Architectis, quid proſint; *VIII* 71.
de numorum veterum utilitate ad virtutum amorem conci-
liandum, erudite Noſter fuſeque commentatur. Nobiliſſimum 33 ſeq.
in his *Caput* ſine dubio eſt, quo Cl. Autor in æras & epochas Regum Aſiaticorum majori cura, quam *Harduinus*, *Noriſius*, *Vaillantius*, inquirit. Reliqua enim omnia *Antonio Auguſtino*, *Noriſio*, *Spanhemio*, *Vaillantio*, *Harduino*, *Joberto*, in

acceptis se ferre, lubens fatetur, videlicet, ut tironum captui accommodatius esset perarduum & inexplicabile nonnunquam Chronologiæ studium. Catalogum Epocharum, quibus utebantur in computandis anni notis civitates, texuit, &, sicubi aliquid a trium Virorum, *Norisii*, *Vaillantii*, *Harduini*, opera profectum erat, eorum nomen bona fide addens, Epochas quamplurimas ex numis Græcis *Adramnorum*, *Ægeaorum*, *Alexandrinorum*, *Gabenorum*, *Doriensium*,
Pag. 36. *Canothaeorum*, Decapolitanæ Palæstinæ, *Lydorum*, *Orthosien-*
37. *sium*, *Rhabbathamenorum*, *Flaviorum Samosatenorum*, *Smaitarum*, detexit. Ex *Capite VI*, videtur nobis operæ pretium, repetere, quæ de numo fertilitatem Ægypti indicante observat. Ait enim, in quodam *Hadriani* numo comparere Iς,
58. *sedecim*, qui numerus sine dubio tantum cubitorum deno-
59. tet, quantum aliquando Nili fluvio excreverit, quod exinde possit colligi, quoniam Cornucopiæ, maximæ vilitatis anno-
81. næ symbolum, fuerit adjectum. *Altera Dissertatio Appendiculam ad numos Coloniarum Romanarum, per Cl. Vaillantium editos*, exhibet. Princeps est, quem exhibet, numus *Corinthiacus*, procul dubio cusus, cum *Agrippa*, *Germanicus*, & *Tiberius*, A. U. C. 757 adoptarentur, contra *Vaillantium*, qui falso numum hunc ad A. 770 retulit, quo *Tiberius* & *Germanicus* Consulatum adierunt. Postea rarissimus *Sinopensis* se-
TAB. V quitur, cujus adversa pars *Neronem* laureatum sistit, cum in-
Fig. 1 scriptione: *Nero. Claud. Cæs. Aug. Anni CII*, aversa *Octaviam*,
pag. 88. uxorem *Neronis*, repræsentat cum verbis: *Octavia. Aug. C. I.*
89. *F. S.* quæ primordia vocum ita interpretatur doctissimus *Frælichius*: *Colonia Julia Felix Sinope*. Inserit præterea, explicatione hujus numi facta, Epistolæ partem, quam Vir quidam eruditus ad Autorem Belgrado dederat, qui & A. 1733 plures Sinopenses numos, ulteriori pervestigatione & acutiori ingenio dignos, cum ipso communicaverat, v. g. numum ex ære magno, ita signatum:

IMP. SEV. ALEXAND.	Caput laureatum.
C. I. F. S. A. CCXCIIII.	Figura cum hasta, considens in lecto.

Num.

Fig. I.



Fig. IV.




Fig. II.



Fig. III.



Fig. V.





Fig. VI.



Num. 12 exſcriptus eſt numus *Philippenſis* in honorem *Commodi* Imperatoris, qui fœminam poſt Imperatorem ſtantem, ipſique coronam laureatam imponentem, oſtendit, unde error *Vaillantii* patet, in omnibus numis *Philippenſium* hunc inveniri typum ſibi perſuadentis, excepto Imperatore *Commodo*. *Num.* 14 conſpicitur numus *Juliæ Auguſtæ* cum capite *Juliæ Piæ*, in altera parte *Col. Cæſ. Antioch. S. R.* Deus Lunus dextra haſtam tenet, ſiniſtra Victoriolam, quæ tropæum humeris impoſitum fert, columna etiam ſiniſtram fulcit, Gallus humi adſtat, & Lunus caput bovis pede premit. Ibi inveniſſe ſibi videtur triformem *Hecaten*, quæ, uti ex Mythologia conſtat, in cœlo *Luna*, in terra *Diana*, & apud inferos *Proſerpina*, fuiſſe creditur. *Num.* 21 numum *Corinthiacum* profert, in quo apparet Leo, poſterioribus pedibus ſubſidens. Arbitratus ante Autorem noſtrum *Vaillantius* fuerat, hic ſepulcrale monumentum *Laidis* deſignari, ſed opinionem illam Noſter refellit, primo, quia hic & in altero *Vaillantii* numo non *leæna*, ſed *leo*, dein, quia bene jubatus ſit, quibus tamen jubis carere *leænas Ariſtoteles* prodat; adhæc, clarum *Pauſaniæ* teſtimonium conjecturas ejus diluere, exiſtimat, qui leænam, anterioribus tenentem manibus arietem, monumento *Laidis* impoſitam fuiſſe autor eſt, quod tamen nec in *Vaillantii*, nec in ſuo, numo fieri, fidem facit. Potius *Caracallæ* ſymbolum eſſe conjicit, qui aſſimulaverit *Alexandrum M.* ideoque leonem in annulo, teſte *Spartiano*, geſſerit. *Num.* 27 in numi *Tyriorum* una parte *Julia Aquilia Severa Auguſta* cum capite *Aquiliæ*, uxoris *Elagabali*, & ſigno incuſo, caput *Elagabali* referente, ſiſtitur, in altera parte Dea *Aſtarte*, inter duas columnas prominens, doctiſſimo interpreti ſuſpicionem præbet, Tyrios alluſiſſe ad id *Elagabali* factum, quo Deo ſuo *Elagabalo*, repudiata *Pallade*, *Aſtartes* ſimulacrum Romam deferri, atque idcirco ludos feſtos tota in Italia celebrari, juſſerit. *Num.* 28 eorundem *Tyriorum* alius prodit, in cujus antica parte imago *Juliæ Aquiliæ*, & in poſtica urna, reperitur, qua exit ramus, latente infra conchylio, & inſcriptis eidem urnæ, inverſo literarum ordine, verbis:

Pag. 95. 97. 105. 112. 113.

 AIΛΥΛΆΗ

ΑΙΛΧΑϥΗ, id eſt, Heraclia,
ΑΙΠΜΥΛΟ, id eſt, Olympia,

Pag. 118. TAB. V Fig. 2. ob ludos olympicos Tyri celebratos. *Num.34* eximii pretii, mediæque formæ, numus Coloniæ Auguſtæ Troadis, in honorem *Maximi*, ex ære factus, obvenit, ea de cauſa memorabilis, quia *Vaillantius* omnes *Maximi* numos rariſſimis accenſet. Paucis interjectis, excipit eum, quem jamjam memoravimus, elegantiſſima numorum cohors, quæ nos in liberiorem orationis campum alliceret, & vehementi quodam impetu in laudes tam pretioſarum antiquitatis reliquiarum canendas ferret, niſi animo ſemper inhæreret juſtæ brevitatis ratio. Hinc in pauca nobis contrahere liceat, quæ ſunt maximo eruditionis apparatu exornata, & ingeniis omnigena priſcarum rerum cognitione abundantibus pro integro opere eſſe poſſunt.
122. Egregia raritate pretioſi, & majore contemplatione digni, ſunt *Viminacienſes* omnes numi, averſæ partis typis hactenus
124. non prolatis, & vel muliebri figura expanſis manibus inter
125. taurum & leonem ſtante, vel muliere utraque manu vexillum tenente, vel demum muliere dextra poſteriores cervi pedes ſtringente, vexillumque in terram figente, inſigniti:
135. *Dacici*, totidem annorum ſingularibus notis inferius exor-
128. nati: *Philippi Boſtrenſis* ſenioris, in quo ΔΟΥΣΑΡΙΑ, ſeu, ex mente Autoris, Bacchanalia, quæ nullus adhuc Antiqua-
143. rius vel ſcivit, vel interpretatus eſt: *P. Licii Gallieni*, *Iconienſis* typus, eximius profecto & bene conſervatus, cujus ur-
148. bis nulla apud *Vaillantium* mentio: ſinguli *Antiocheni* numi,
151. cum in *Cornelii Gallieni*, tum *Claudii Gothici*, honorem cuſi, qui plurimum profecto lucis Hiſtoriæ, Geographiæ, Chronologiæ, fœnerantur, & apud *Vaillantium* & alios nu-
153. morum collectores fruſtra quæruntur. In *tertio Tentamine*, quod eſt *Appendicula ad numos Auguſtorum, ab urbibus Græce loquentibus cuſos, & a Vaillantio vulgatos*, multa tenebris ante involuta feliciſſime evolvuntur, plurimisque locorum ſitibus, urbium nominibus, magiſtratibus, epochis, lux affunditur. Ita numus *Nyſienſis Tiberium Cæſarem* per
155. illud monogramma ΓΡ γραμματέα appellat, ex quo conficitur,

ficitur, quantæ fuerit dignitatis ſcribarum apud Græcos munus. Non enim, ut apud Romanos, miniſter magiſtratus fuit, ſed ſummus ipſe magiſtratus, qui idem eſt ac caput civitatis aut præfectus urbi. Ne autem quidquam diſſimulet elegantiſſimus Autor, ingenue fatetur, ſe in poſtica numi parte, cum obtritæ adeo fuiſſent priores literæ, ante Καισαρ ex ingenio addidiſſe *TIB.* Eundem in modum docte ex numo Pag. 157.
Gabenorum tandem definit, cuinam urbi Gabenorum numi 169.
videantur adſcribendi. Arbitratur enim, Gabæ illos procudi in Ituræa vel Trachonitide, quia adjectum in numo appareat verbum *Φιλιππεων*, ex quo ſuſpicatur, compellationem hanc in honorem *Philippi*, Tetrarchæ Ituræenſis, aſſumtam fuiſſe. Porro ex *Philippolitarum* numo Πρεσβευ- 196.
τοῦ titulum clariorem reddit, &, cur non perpetuum hoc nomen honoris fuerit, felici induſtria anquirit. Solet enim in omnibus Thraciæ numis nullum aliud magiſtratus nomen occurrere, quam Ηγεμόνος, ſeu Præſidis provinciæ, in hoc autem præter ſolitum Ζηνῶνος Πρεσβευτȣ Σεβαςȣ Αντωνείνȣ, Φιλιπποπολειτῶν legitur. *Pag. 199* novam *Lydorum* epocham ex numo *M. Aurelii Auguſti* eruit, ubi in adverſa parte inſoliti viſuntur numeri ⅂Ππχ, anno 686; quare ab eo anno 914, quo imperare cœperat *Aurelius*, ſubducens illos, quos diximus, annos, delapſus eſt ad A. U. C. 228, quo tempore *Darius* inter ſeptem Magos, quorum ipſe unus erat, principatum adeptus, totam Perſiam in ſeptem præfecturas diviſit. *Pag. 220* ex numo *Byzantiorum* duo notatu digna adducit Clar. Autor: 1) *Marci* nomen cuidam familiæ proprium fuiſſe contendit, numum afferens, cui inſcriptum M. ΜΑΡΚΟΥ, huncque erudite illuſtrans; 2) *Vaillantium* & *Harduinum* refellit, qui, in *Byzantino* quodam numo, cujus epigraphe: ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. Η. ΒΥ- 221.
ΖΑΝΤΙΩΝ, putarunt, Η ſignificare octavum, ſed ex præſenti numo, cujus averſa pars legenda offert verba: ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. ΕΠΙ. Μ. ΜΑΡΚΟΥ. Η. ΤΟ. Β. conjicit, in hoc, uti in aliis, Η nihil aliud denotare, quam

quam Ἡγεμόνα, quia β, hoc est, iterum, adjectum eleganter, & non sine causa, appareat. Nondum, si recte recordamur, antea Παγαίων nomen satis explicatum dederunt Antiquarii, sed opera & vigiliis Cl. Autoris, Pagas Megaridis oppidum fuisse, jam scimus. Signa quoque exhibet cultissimus Autor, ex quibus fere omnes *Herculis* labores addiscimus. Nunc enim equos *Diomedis* abripientem, nunc Cervam domantem, nunc leonem Cleonæum discerpentem, nunc tria poma ex Hesperidum hortis fraude acquirentem, cernimus. Inprimis *Hercules* ille arrisit nobis, *Stymphalidas* aves occidens, quem *Patinus* & *Spanhemius* se reperisse, sed frustra, crediderunt. Depingitur enim in Nicæensium numo *Hercules* gradiens, sinistra sublata arcum tenens, dextra sagittam e pharetra humeris pendente eximens, & sollicite in altum suspiciens, pone ipsum vero aves, telo transfixæ, decidentes. In *ultimo Tentamine*, quod *Numos monetariorum culpa vitiosos* expendit, & ob argumenti novitatem tam omnibus, qui harum literarum dapes amant, acceptum esse debet, quam nobis inspicientibus oblectamento fuit, *Capite I* se locuturum promittit tum de iis numis, qui procul omni dubio nævos & errores prodant, tum de aliis, qui suspicionem saltem haud inutilem erroris commissi injiciant. Per Monetarios non intelligit Triumviros aut Quatuorviros monetales, qui auro, argento, ære flando feriundo præpositi erant, sed secundum *Suidam* τὰς περὶ τὸ νόμισμα τεχνίτας, qui circa numismata fabrilem operam exercent, quales sunt, qui metallum flant, feriunt, signant, malleatores, suppostores, & signatores. Lapsus eorum ex eo inprimis derivat Autor doctissimus, quia nonnunquam in typaria chalybea inciderant, epigraphen vitiantia, & depravata plerumque per oblivionem inscitiamque inscriptio fuerat, dein, quia falsæ monetæ autores, in eremis antra sibi parantes, nonnunquam a publicis abhorrentes typos fecerint. *Capite II de Sculptorum erroribus certis, in formis numorum sincerorum*, disserit, quorum illustriora duo exempla producit, alterum in numo *Trajani* exstantem, ubi pro *optimo optimo*

Marginalia (left margin, in order): Pag. 243. (beside line 2) — 319. (beside "rentem, cernimus") — TAB. V Fig. 3. (beside "phalidas aves…" / "risse…") — 361. (beside "transfixæ, decidentes") — 370. (beside "flando feriundo") — 371. (beside "ptio fuerat") — 372. (beside "rint. Capite II")

timo & *Consencautio* pro *Consecratio* legitur, alterum in numo *Aurelii Caesaris* obvenientem, ubi pro HONOS conspicitur DESNOS. Minutos vero μορφοχαρακτῶν errores committi vel *transpositione*, vel *adjectione*, vel *omissione* literae, aliave *substituta*, docet. Transpositione literae peccatum esse, ex notissimis *Severi* & *Neronis* numis probat. Ille enim pro hoc literarum ordine P. M. TR. P. COS. h. e. *Pontifex Maximus Tribunitiae Potestatis Consul*, exhibet, turbato vocum nexu: P. T. M. R. P. COS. hic vero JANUM CLUSTI pro JANUM CLUSIT offert. *Adjectione* fieri mendosum ait Cl. Autor, si v. g. exsculptum sit SAECULLUM pro SAECULUM, HPHAKΛEOΥΣ pro HPAKΛEOΥΣ. *Subductione* laborare numum ostendit, qui CONSTATINUS pro CONSTANTINUS, VERITAS pro VBERITAS, ΤΡΠΕΖΟΥΝΤΙΩΝ pro ΤΡΑΠΕΖΟΥΝΤΙΩΝ praebeat. *Substitutione* vitiari numos putat, si legatur *Fortunae Reducae* pro *Reduci*, *Apollini Sulutari* pro *Salutari*. Cautionem tamen omnibus rei numariae studiosis suppeditat, ne temere & sine ulteriori literarum pervestigatione numum, forte imposturis & edaci tempore absumtum, vitiosum statim esse clamitent, sed observandum ante omnia esse ait, sitne numus adhuc sincerus, an secus, nihil hic suspicionibus dandum, sed integros simul esse inspiciendos. Ne tirones quoque inscriptiones, quae ipsis praeter solitum insertae numis videntur, ut suspectas & priscae aetati absonas damnent, *Capite III de Inscriptionibus inusitata forma insculptis, quae vitiosae non sunt*, Cl. Autor agit, atque in hac causa decidenda suasor nobis est autorque, literarum antiquitatem in numis ne unquam credamus vitium redolere, sed ut Archaismum in scribendo adhiberi cogitemus. Sic addi verbis VAALA, VIIRTUS, FEELIX, HIMEPA, A, E, I, & Graecum I, dein vero haud raro in nomine *SULLA* τὸ L omitti, ita, ut saepissime SULA finxerint monetarii, aut pro *Crassus Crasus* fieri, aut arctari quandoque voces, fortassis ob soni similitudinem, ut FOSTLUS pro FAUSTULUS, censet. Praeterea numum *Getae* nobiscum communicat, cujus adversa facies caput laureatum *Ge-*

Pag. 376.

382.

Pag. 386. *tæ* cum inscriptione offert: P. SEPT. GETA. PIUS. AVG.
BRIT. in aversa mulier velata stans, utraque manu signum mi-
litare gerit, tertium signum ad sinistrum latus humi defixum
cernitur cum epigraphe: FED. EXERC. TR. P. III. COS. II.
Excusat ibi quidem Clariss. Autor permutationem vocum I &
E ex verbis *Genitrix* & *Genetrix*, & ex Italico idiomate, ubi
adhuc *Fede* pronuntiatur, sed pace doctiss. Viri mallemus E in
FEDE inter vitiosas scriptiones connumerare, quia
Fides a verbo *fio* derivanda videtur, nec huc facere quid-
quam videtur Italorum barbara pronuntiatio. Sequimur enim
Ciceronem, in *Offic. Lib. I Cap.* 7 ita dicentem: *Fundamentum
justitiæ est Fides, id est, dictorum conventorumque constantia
& veritas, credamusque appellatam fidem, quia fiat, quod di-*
391. *ctum est.* Capite IV *de vitiosa formarum combinatione in
subæratis numis* rationibus egregie conquisitis disputat. Ma-
397. nifesta enim typorum falso consignatorum errata profert, e. g.
cum *Getæ* filio adjecta est inscriptio P. M. TR. P. XII. COS.
III. P. P. quæ tamen aversæ partis imago ad caput *Severi*, pa-
401. tris *Getæ*, pertinet: porro cum *Philipporum* forma *Gordiano*
adjungitur: inprimis cum Apotheoseos symbolum Augusto
Augustæque incongruum inepte collocatur. Nimirum *Gor-
dianus* a S. P. Q. R. inter Deos relatus est *Capitolino* teste,
cujus ut consecrationis memoriam asservaret monetarius, *pa-
vonem*, qui proprium tantum muliebri consecrationi signum
habetur, ingenti cum errore effinxit: contra in *Faustinæ* nu-
mo *Aquila*, Augustorum inter Deos relatorum significatio,
405. summa oscitantia a numorum quodam conditore incisa fuit.
*Capite V nonnulli subærati numi, qui, formis præter solitum
compositis signati, dubium de vitio movent*, expenduntur. Pri-
mo Cl. Autor quosdam in *Haymii* pererudito Opere, *Tesoro
Britannico*, occurrentes numos sub examen vocat, atque falsi-
tatis arguit, deinde ex suo, h. e. *Granelliano*, cimelio nonnul-
410. los dubii pretii & incertæ sinceritatis affert; v. g. *Venerem* cæ-
lestem in numo *Augusti* collocatam, quæ in Augustarum alias
apud *Mediobarbum* imaginibus solum exstat. Restat tamen
dubitatio aliqua, hacne figura *Venus mascula* denotetur, quia
simula-

ſimulacrum *Veneris barbatæ* ſat lepidum repræſentatur. *Capite VI de erronea conſignatione in numis ſinceris* ſcite perquam & enucleate commentatur. Ineptam formarum compoſitionem non ſolis falſariis, ſed etiam publicæ autoritatis monetariis, tribuit. Ita enim duo ejuſdem formæ capita unius Imperatoris ſimul excuduntur: in priori alteraque numi effigie S. C. ponitur: in uno eodemque *Trajani* numo diverſi Conſulatus afferuntur, qui negligentiam ſculptoris luculentiſſime evincunt. *Capite VII de quibuſdam numis ſinceris, qui vitii ſuſpicionem injiciunt, neque tamen certo damnari poſſunt*, copioſum inſtituit ſermonem, cum *Pagio* contentiones elegantes ingreſſus, atque *Capite VIII, de aliis Monetariorum erratis, rei literariæ minus obnoxiis*, Operi ſuo, meliori ſplendente metallo, colophonem imponit. Nam, etſi *Auctarium numorum* in calce voluminis accedat, Appendicula tamen potius ad numos Auguſtorum, ab urbibus, Græce loquentibus, percuſſos, nominari debet, quam ſingularis quædam numorum collectio. In tantum ergo laudari Cl. Autoris ingenium induſtriamque fas eſt, in quantum numi ejus, quos ab oblivione & ſqualore ſordido liberavit, priſcæ literaturæ exoptatiſſimum præbent lumen, & doctrina ejus nitidiſſime exſplendeſcit, quam ut illuſtrioribus & huic ſimilibus monumentis porro celebriorem reddat, votis omnibus precamur.

Pag. 412. 423. 446.

JACOBI CUJACII, JCTI CLARISSIMI, Obſervationum & Emendationum Libri XXVIII. Acceſſere Autorum citationes, locorum Græcorum interpretationes, & novi Indices. Præfationem de CUJACII adverſariis & obtrectatoribus præmiſit JO. GOTTL. HEINECCIUS, JCtus.

Halæ, impenſis Orphanotrophei, 1737, 4 maj.
Alph. 4 plag. 18.

Dudum notiſſimæ ſunt, & humanioris Juriſprudentiæ ſtudioſis commendatiſſimæ, quæ ſolæ Autorem ſuum im-

mortalem reddunt, *Jac. Cujacii Obſervationum & Emendationum* Libri. Quam ob rem nunc ea tantum commemorabimus, quæ hanc editionem ornant præcipue atque commendant. Omnibus profecto aliis, quæ in Germania unquam prodierunt, hæc ſuo merito præferenda eſt, ſive chartæ & typorum nitorem, ſive induſtriam in imprimendo Opere adhibitam, reſpicias, quæ tanta fuit, ut non ſolum Autorum veterum pleraque loca, quibus frequenter uſus eſt *Cujacius*, quam accuratiſſime indicata, verum etiam Græca, paſſim obvia, in ſermonem Latinum ſint converſa. Hiſce accedit novus rerum Index ſatis amplus. Debet autem reſpublica literaria nitidiſſimam hanc editionem cumprimis Illuſtri *Heineccio*, qui, ut volumen majori radiaret luce, Præfationem ei præmiſit bene longam, & more ſuo conſcriptam, id eſt, erudite, terſe, eleganter. Multa hic non vulgaria protulit de adverſariis & obtrectatoribus *Cujacii*, unde jam, eorum
Pag. 1. cauſa, qui literariæ Hiſtoriæ ſtudio tenentur, potiora decerpemus. Et initio quidem vaſta laudantur *Cujacii* opera, in quibus tamen nullum eſt, cui non palmam præripiant illi Obſervationum & Emendationum libri. Impendit iis conficiendis plus quam triginta annos. In animo fuerat *Cujacio*, Opus hoc ad XL
2. usque Libros perducere, ſed perfecit tantum octo & viginti,
3. quorum quatuor extremi poſt Autoris demum mortem in lucem exierunt. Eam Galliæ deſtinaverant fata felicitatem, ut multos JCtos aleret, qui, diſpulſis barbariei tenebris, priſtinam lucem Juris diſciplinæ, cultiorum artium præſidio ſuffulti, reſtituerent. Celeberrimus inter eos *Cujacius* eſt, qui in patria *Arnaldum*
4. *Ferrerium* præceptorem ſibi delegerat. Ipſe tamen plurima ſuo Marte didicit. Nova Juriſprudentiam addiſcendi methodo multorum odium contraxit, & æquales ſuos, ſi a
5. paucis diſceſſeris, tantum non omnes hoſtes expertus eſt acerrimos. Quod ipſum ſane multo eum cautiorem in ſcriptis ſuis reddidit, quam antea fuerat; unde dicere ſæpenumero conſuevit, ſe adverſariorum odio exacui, &, quicquid in Juriſprudentia profecerit, id omne ſe obtrectatori *Franc. Duareno* acceptum referre. Paſſus vero etiam eſt ſuos manes bonus *Cujacius*, & ſibi nonnunquam plus juſto indulſit. Ægre fere-

bat,

bat, alios ab ipſo diffidere, &, commotioris animi ſtimulis incitatus, illos conviciis, viro gravi haud ſatis dignis, cumulabat. Nimia etiam ingenii fiducia, nulla plane cogente neceſſitate, plures veteres ac probatas lectiones loco movere co- Pag. 6.
natus eſt. Quod ipſum ne amicis quidem placuit, neque diſcipuli ejus omnes hac in re præceptoris veſtigia premenda eſſe judicarunt. Denique hæc etiam tanti odii cauſa exſtitit, quod *Cujacius*, tam multa quotidie ſcribens, parum ſibi conſtabat, & interdum ſua ipſe vineta cædebat. Hinc quodammodo illæ lachrymæ! hinc tot adverſarii, tot obtrectatores! Agmen eorum ſine dubio ducit *Jo. Bodinus*, qui
& divina & humana ſtilo liberrimo lacerare ſolebat. Is, 7.
amore *Steph. Forcatuli*, quem in cathedra Toloſana anteferendum *Cujacio* ſuadebat, implacabiles adverſus eum concepit inimicitias. Sæpius poſtea huic civitati exprobratum eſt, quod viro reſtituendæ Juriſprudentiæ nato factoque hominem ineptiſſimum prætulerit, quam licet ignominiam Autor vitæ *Guil. Marani* a Toloſatibus removere conatus ſit, fruſtra tamen eum egiſſe, facile probatur. Aucta fuit deinceps *Jo. Bodini Cujacium* traducendi libido, nec deſtitit eum ſcriptis laceſſere. Enimvero oſtendit *Cujacius* adverſarii ſui & inſcitiam in Juris hiſtoria, & in Græcis literis infantiam, quod variis illuſtratur exemplis. Doctior
fortiorque *Cujacii* adverſarius fuit *Franc. Duarenus*, quem 10.
ipſe egregiis paſſim elogiis ornavit. Ea erat *Duareni* indo-
les, ut nec parem, nec ſuperiorem, imo ne inferiorem qui- 11.
dem, ferre poſſet. Rediiſſe tamen videtur aliquando in præcordia virtus, cum *Eguinarii Baronis*, quem multis affecerat injuriis, manes erecto ſuis impenſis monumento ſplendidiſ-
ſimo placavit. Neminem magni fecit, præter *Hug. Donel-* 12.
lum, quem etiam morti proximus bonorum ſuorum hæredem ſcripſit, forte quod moribus ipſi erat ſimillimus. Uterque enim, *Cujacio* Avaricum Biturigum ad Jura docenda
evocato, vel eum dejicere penitus, vel ſaltem vitam ei red- 13.
dere acerbiſſimam, ſtuduit: uterque, ne *Cujacius* in Collegium JCtorum cooptaretur, operam dedit, &, cum conſilium hoc ſuo careret fine, illi pro loco, quod vulgo ajunt,

 publi-

publice disputanti objecerunt homines loquaces & garrulos, qui Virum doctissimum, more nec nostris temporibus plane abrogato, omnium risui ludibrioque exponerent. Sed, eos tale quid non potuisse efficere, probabile est, & *Ro-*
Pag. 14. *bertus*, alia referens, pro teste minus idoneo declaratur. Studuerunt etiam *Duarenus* atque *Donellus*, ut *Cujacio* invidiam apud studiosos juvenes conflarent, quod cum vitæ pæne periculum eidem afferret, oborto seditiosorum tumultu,
15. fuga sibi prospexit, & Valentiam commigravit. Sed, exstincto mox *Duareno*, Avaricum rediit *Cujacius*, & facile pertulit *Donelli* iras, ob lanienam illam Parisiensem in Ger-
16. maniam & Belgium concedentis. Fuit ille *Duareno* paulo modestior, & raro, adjecto nomine, perstrinxit *Cujacium*, raro conviciis eum dilaceravit. Uterque vero adversariorum emendationes Juris textuum, quæ profectæ erant ex *Cujacii* ingenio, non facile admisit, nec id interdum sine ratione, quandoquidem, si verum fateri velimus, aliquæ ejus correctiones plus redolent ingenii, quam soliditatis. Paulo post in arenam descendit *Hotomannus* cum *Cujacio*, majori tamen modestia, quam priores, conspicuus. Maximi & hunc fecit *Cujacius*, & aliquando Virum ingenii probi & recti appellavit. Specimina affert Ill. *Heineccius*
17 seq. earum controversiarum, quæ *Cujacium* inter & *Hotomannum* intercesserunt. Sed sæpe *Hotomannus* sine justa causa dicam
21. *Cujacio* scribit; sæpe justam causam tam frigide tuetur, ut in ipsis *Cujacii* erroribus plus eruditionis reperias, quam in ejus strictùris: sæpe conjecturam probabilem opponit longe pro-
22. babiliori. Non tamen plane abstinet acerbo scribendi genere, quin potius passim miscet jocos mordacissimos. Dissentit Cel. Autor a *Scaligero*, qui judicavit de *Hotomanno*, eum linguæ Romanæ elegantia & eloquentiæ vi sese commendare. Habuit & plures adversarios *Cujacius*, parum tamen eruditos, uno excepto *Guil. Fornerio*, viro certe eleganter docto. De eo plura jam dixit *Ev. Otto* in *Præfat. ad T. II Thes. Jur. Civil.* quo Lectores remittuntur. Similis *Hotomanno*
23. *Jo. Robertus* est, antecessor Aurelianensis, qui multas *Cujacii* conjecturas audacius, quam doctius, rejecit.

cit. Respondit illi *Cujacius*, nec id sine bile, cum v. g. per anagramma *sero in orbe natum* vocavit. Quod sane Pag. 24.
ita momordit *Robertum*, ut par pari referret, & aliud anagramma, maxime tamen absurdum, illi opponeret. Alius *Cujacii* adversarius, *Franc. Marsius Gordonius*, contra 25.
hunc & *Anton. Fabrum* libellum Prætermissorum edidit, *Robertum* fere imitatus, & leonem jam mortuum insectatus. Nec silentio præteriri debet *Eman. Zoares*, qui, evulgato Observationum opusculo, ipse quoque in *Cujacium* impetum fecit, infelici tamen, quod addendum, successu. Liber ejus rarissimus est, & Autor, Judaico cretus sanguine, postea, deserta religione Christiana, in Judæorum castra transiit, quod factum, dici non potest, quantopere abominatus fuerit *Cujacius*. Fuerunt quoque ex *Cujacii* discipu- 26.
lis, qui, a *Duareno* & *Donello* in partes suas pertracti, non modo ejus scholas deseruerunt, verum etiam præceptoris optimi existimationem studuerunt imminuere. Annumerat *Meril-* 28.
lius Marquardum Freherum Cujacii adversariis. Sed, parum hoc esse probabile, adductis rationibus variis, Ill. *Heineccius* ostendit. Majori jure huc pertinet *Anton. Faber*, cu- 29.
jus viri tam singulare erat ingenium, ut nihil fere probaret, nisi quod nemini probaretur. Quavis oblata occasione, calamum stringit in præceptorem. Inter omnes ve- 30.
ro, quos nominavimus, *Cujacii* adversarios nemo fuit stolidior, nemo magis ineptus, *Claud. Gendrao*. Consecravit ridiculum suum libellum, *Cujacio* oppositum, Jesu Christo, quasi is patronus esset controversiarum contumeliarumque. Restant duo *Cujacii* inimici, quorum alter est *Jo. Steckius*, 31.
alter *Edm. Merillius*. Alterius vana fuit sine viribus ira; alter multo modestior & doctior est. Denique commonstratur, nullo prorsus jure inter *Cujacii* adversarios referri 32.
Zachar. Furnesterum.

JANI VINC. GRAVINÆ, JCTI, OPERA, seu Originum Juris Civilis Libri tres, quibus accedunt de Romano imperio Liber singularis, ejusque Orationes &

& Opuscula Latina. Recensuit, & Annotationibus auxit,
GOTHOFREDUS MASCOVIUS, Reg. Magn. Brit. Consil. Aul. & in Acad. Gœtting. Jur. Prof.

Lipsiæ, apud Jo. Fr. Gleditschii filium, 1737, 4. Alph. 4 plag. 5.

Quæ jam in his *Actis A. 1708 pag. 469* locum invenerunt doctissimi *Gravinæ* Juris Civilis origines, illæ ut denuo hic laudatores nos habeant, jure merentur. Rem fecit gratissimam reipublicæ literariæ, & præcipue elegantioris Jurisprudentiæ, cultoribus Cel. *Mascovius*, quod egregium illud *Gravinæ* Opus, novo, eoque nitidissimo, indutum habitu, in lucem conspectumque eruditi orbis protulerit. Consecravit hoc, solenni ritu, Perillustri a *Munchhausen*, cui quantum Musæ Gottingenses debeant, satis est exploratum. His peractis, Cel. Editor de vita & scriptis *Gravinæ* sui docte ac diligenter præfatur. Natus ille fuerat in Calabria, haud procul ab oppido Cosentino, quod *Ennium* olim, aliosque viros eruditione præstantissimos, procreavit. Literis *Gravinam* Neapoli institutum, conjicitur. Jurisprudentiam deinceps Romæ, sede quondam Themidos, publice professus est, ab *Innocentio XII* Pontifice ad obeundam hanc provinciam evocatus. Corpore fuit procero, at macero eodem, oculis usus obliquis & distortis. Dum Augustam Taurinorum invitatur, & in eo est, ut vasa colligat, ex viscerum dolore A. 1717 in *Emanuelis Martini* amplexu fatis concedit. Scriptis, quæcunque reliquit, omnium eruditorum suffragio palmam præripiunt hæ Juris Civilis origines, quibus succedit de Romano imperio Liber singularis. Nec sua fraudandum laude est Specimen prisci Juris, in quo tamen locos complures ex Originum Libro priore ad verbum esse decerptos, observat præstantissimus Editor. Ad Orationes *Gravinæ* quod attinet, principem inter omnes locum tribuit illi *de Canone interiore*, quam sanctissimam & optimæ

optimæ frugis plenam appellare non dubitat *pag. 594.* Etrusca quoque lingua multos evulgavit libros, e. g. de Arte poetica, & Tragœdias quinque, in quarum quarta, quæ *Papinianus* inscribitur, viri constantiam, mori malentis, quam *Getæ* parricidium excusare, belle depingit. Acerrimum *Gravina* obtrectatorem habuit *Q. Sectanum*, quippe qui eum in Satiris suis petulanter, sed iniquissime, perstrinxit. A plagii crimine, quod ei vulgo objicitur, *Gravina* absolvendus videtur, uti nec, quod volunt nonnulli, illorum, ex quibus profecerat, justo rigidiorem judicem se præbuit. Neque ideo, quod *Janum* se appellari, quam *Joannem*, maluit, & Deorum cultum *Orig. Jur. Civil. Lib. I Cap. 15* (non *Cap. 25*, quod ex typographi errore legitur,) commendavit, ad gentilium religionem accessisse propius dicendus est. Causam *Gravinæ* non minus dextre agit, quam feliciter, Illustris Editor. In Philosophia *Platonem* ille *Aristoteli* præfert, nonnunquam etiam *Cartesium* laudat, sæpe *Hobbesii* sententias amplectitur. Plus tamen ejus humeri valuerunt in Juris Romani antiquitatibus, quam in acumine dialectico. *Tribonianum* & *Justinianum* non, si quid minus accurate scripserint, acerbe, quod solent multi, vituperat, sed humaniter excusare studet. In Opusculis suis JCtos principes & in antiquitatibus peritissimos, *Cujacium, Gothofredum, Hotomannum, Merillium, Manutium, Scaligeros*, &c. plerumque duces sequitur, & horum scripta in succum & sanguinem convertit. Linguam nostram Germanicam maximopere abhorruit, quod commune ei cum plurimis exterorum fastidium fuit. Inedita adhuc exstant, quæ de Jurisdictione, & de variatione Romani imperii, scripsit, item Institutiones Juris Canonici, & Juris Civilis, quorum omnium passim in scriptis suis mentionem injicit. Observationes, quas Cel. Editor huic Operi adjecit, longe sunt utilissimæ, & omnibus iis, qui Juris Romani antiquitates in deliciis habent, sine dubio mirifice se commendabunt. Distinctæ sunt illæ, ne cum ipsis *Gravinæ* notis temere commiscseantur, stellulæ signo. Accensorum nomen, rejectis & ipsius *Gravinæ*, & *Varronis*, sententiis, ab accensendo derivandum Pag. 6.

putat, tanquam illi fuerint lictores accenſi, ſeu ſupernumerarii. In verbis XII Tabularum: *pellex aram Junonis ne*
Pag. 169. *tangito*, aram *Junonis*, ut legitimorum matrimoniorum, ſic nuptiarum quoque, præſidis, naturali ac proprio ſenſu eſſe accipiendam, contra *Ravardum* & *Gravinam* ſuum, prorſus eleganter oſtendit. Eidem *Gravinæ*, qui de violenta Romanorum in jus vocatione certiſſime perſuaſum ſibi habuit, aſſenſum præbet, & *Gundlingii* argumentum contrarium, quo, ritui illi nec apud Athenienſes, nec apud Romanos, locum fuiſſe in cauſis civilibus, probare ille conabatur, fortiſſi-
231. mis rationibus labefactare ſtudet. Nimirum apud *Horatium* in notiſſimis verbis: *rapit in jus clamor utrinque*, nec fur, nec leno, in jus trahitur, ſed deſertor vadimonii in cauſa civili. Lex deinde XII Tabularum, cum capi permittit ire detrectantem, & manus injici fugam molienti, nec abigeum, nec zoniſectorem, indicat, ſed ab obligationes ex contractu non minus, quam ex delicto, pertinet. Et cur, quæſo, in *l. 18 D. de in jus voc.* domus unicuique tutiſſimum præſidium diceretur, ſi in jus vocatio ſine vi & amice facta fuiſſet? Civibus honeſtis lex conſulit verbis: *Si it;* honeſtiores enim in jus vocantem ſequebantur, eoque vitabant, quicquid in manuum injectione turpe erat. Verba legis XII Tabularum, quæ ſectionis debitorum mentionem faciunt, & graviſſimas olim inter *Salmaſium* atque *Heraldum* controverſias excitarunt, proprie accipienda eſſe, contra Ill. *Byn-*
246. *ckershœckium* ſtrenue fortiterque tuetur *Maſcovius* noſter, & *Gravinæ*, eandem foventis ſententiam, cum applauſu cauſam agit. Provocat ad alias Romanorum leges, quæ non minus, ac illa de ſectione debitorum, crudeles videntur. Damnum privatum ex interceptis addicti operis penſatum eſſe utilitate publica, contendit. Multorum, quæ a majoribus conſtituta ſunt, rationem reddi poſſe, negat, quamvis & gravius videri potuerit, plures fallere, quam unum. Pergit, *Gellii* verba: *Capite pœnas dabant*, ne figurate quidem poſita videri poſſe pro uſurarum præſtatione, cum fruſtra a debitore, qui ſortem ſolvere nequeat, uſuræ exigantur; qua in

in re consentientem habet *Christ. Godofr. Hoffmannum*, magnum olim Virum, in *Histor. Jur. Rom. Vol. II pag. 181.* Omnia egregia, & quæ a summo probabilitatis gradu abesse quam proxime videntur. Servorum, & viliorum civium, cadavera non combusta, more veterum, sed terræ mandata fuisse, ex eo conjicit Cel. *Mascovius*, quod lignis, quorum copia non abundabant, parcendum duxerint Romani. Sufficere hæc pauca, quæ speciminis loco attulimus, ad id possunt, ut Lectores insigni quadam, librum ipsum propius noscendi, &, quæ condimenti loco addidit Ill. Editor, in rem suam vertendi, cupiditate impleantur, simulque applaudentes novis præstantissimi *Mascovii* in humaniorem Jurisprudentiam meritis, in posterum etiam ab eleganti hac Musa nobilissimos quoque partus avide impatienterque exspectent. Pag. 256.

CAROLI LINNÆI, MED. DOCT. SOC. Acad. Imp. Nat. Cur. Genera Plantarum, eorumque Characteres naturales, secundum numerum, figuram, situm, & proportionem omnium fructificationis partium.

Lugduni Batavorum, apud Conr. Wishof, 1737, 8.
Alph. 2 plag. 3.

Postquam Tabulis suis synopticis, methodi suæ Botanicæ faciem illustrantibus, rei herbariæ studentium animos præparavit Clarissimus *Linnæus*, pauci futuri sunt, qui de novitate terminorum conquerantur, cum certum sit, parum curanda esse nomina, dummodo conveniamus in re. Hinc famæ suæ nova subministrat pabula Doctiss. Autor, qui ea nunc, quorum primas lineas nuper duxerat, mascule & plene exequitur. Supponendum est, *Andria* esse florum stamina, *Gynia* vaginas seu rudimenta fructuum designare. Hinc clarum est, quid sibi velint *monandria*, *monogynia*, *diandria*, *digynia*, & sic porro. Æstimandus nobis est optimus *Linnæus* sua, quam proposuit, non aliorum, methodo. Libuit ipsi numerare stamina, sicut aliis volupe fuit petala computare, externam florum faciem ad certas & cognitas satis figuras reducere,

capſulas recenſere, ad calycem attendere. Modeſtus eſt Noſter in majorum ſententiis perquirendis, nihil duri ſonat, nihil conviciorum, quæ novis plerumque Autoribus ſacrum ſolent palladium eſſe. Modeſtos eſſe decet omnes in rerum, quæ novæ videntur, diſquiſitione. Certum eſt, omniumque ſuffragio comprobatum, in ſubtilium floris vel fructus rudimentorum enumeratione accuratiorem *Linnæo* extitiſſe neminem, tametſi non ſemper placeant, quæ nimium perpolita. Res eadem novis indicatur notionibus. Dummodo aſſueverint noſtri Græca audire & intelligere nomina, reliqua facile ſuccedent. Adeoque *Linnæi* methodus, ſtaminum filamenta ſummo generi, piſtillum ſubordinato, deſtinavit. Hinc *Claſſis prima* complectitur *monandria*, *monogynia*, plantas, quarum flos (petalodeſne ſit, an apetalos, quæſtio non eſt, quia petala non niſi pro infimo genere collocando adoptavit,) unicum ſtaminis filamentum, unicum piſtilli ſtilum, gerit. Quo ſenſu plantas, illis, qui aliam methodum ſequuntur, diſpares viſas, *Hippurim* & *Cannacorum*, conjungit. Duplici piſtilli ſtilo gaudet *Coriſpermum*, nec quidquam obſtat, aliquando hanc plantam ſemine ſterilem eſſe, hermaphroditicam aliquando, capſulæ numerum variare, id quod aliorum methodos mire turbaret. Conſtans corniculorum piſtilli numerus definit negotium. Quo ſemel intellecto, reliqua facile intelligentur. Id ſaltem nobis efficiendum eſt, quo utilis fiat libellus, ut terminorum uberior addatur explicatio. Quot ſtamina in flore ſint, non ſemper curat *Linnæus*, ſiquidem id inconſtans eſt, daturque ſtaminum luxuries in *Hypericone*, *Androſæmo*, *Ficoide*, ſed, ſingulo ſtamini quot filamenta inſint, ea quidem primaria cura eſt. Hocce dividendi momento nunc eidem claſſi ſubſunt plantæ, quas nulla unquam methodus ſic conjunxit, raro congeneres aliis putatæ; quas *Moriſonus*, *Rajus*, *Tourneſortius*, *Rivinus*, eadem ſerie diſpoſuerunt, nunc divelluntur. Sic *Veronica*, *Ecbolium*, *Clandeſtina*, *Pinguicula*, *Ros marinus*, *Salvia*, diandriis monogyniis ſubſunt, licet illis duplex capſula

psula, his semina quatuor, contingant. Nemo interim sibi persuadeat, *Linnæum* vel petalorum vel capsularum fructus & seminum rationem nullam habuisse. Non neglexit eadem, sed summis generibus constituendis saltem non admovit. An calyx simplex sit, an perianthium monophyllum, an polyphyllum, tubusne floris longus, an brevis, quale sub receptaculo floris germen, aliaque, singulari cum cura expenduntur. Adduntur observationes de characteris inconstantia in quibusdam generibus, e. g. in *Valeriana*, cujus semen aliquando papposum, aliquando solidum, calyx quandoque integer, quandoque quinquifidus, dubios reddidit alios methodicos. Ast staminum ordo plerumque constans huic plantæ suum ordinem inter triandria vindicat, quanquam & id in quamplurimis vacillet. Sed vanum est, sperare velle methodum, quæ anomaliis destituatur. Potest tamen in quamplurimis *Linnæi* methodus conciliari cum aliis. *Cruciatæ* flore unico quadrifido semine bino nudo, tetrandriæ monogyniæ sunt Nostro *Rubia*, *Aparine*, *Gallium*. Offenditur quidem assuetus alienæ methodo animus *Scabiosa* & *Lychni scabiosa*, ast declaratum etiam nondum est, hos flores vere esse compositos, utpote laxius cohærentes, & qui singuli suo perianthio gaudeant quinquifido. Referendæ sunt gratiæ modestissimo *Linnæo*, quod, cum semel secum constituerit ad normam suæ methodi divellere plantas, novo dividendi fundamento novas visas, haud dedignatus fuerit quorundam e nostris nomina memoriæ futuri seculi commendare. Aliquando res in *Linnæi* methodo sic evenit, id quod novæ commendationis loco esse potest, ut charactere convenientes plantæ virtutibus etiam conveniant. Sic pentandria monogynia quædam purgandi virtutem habent, *Cyclamen*, *Soldanella*, *Convolvuli*, quædam stupefaciendi, *Datura*, *Hyoscyamus*, *Nicotiana*, refrigerandi, *Pulmonaria*, *Symphitum*, *Borrago*. Eadem analogia conjungit omnes umbellas, quibus quinque stamina, duplex pistillum, contingit, ut pentandria digynia sic jure meritoque dici possint. Quodsi placuisset Autori *Morisonum* tantisper

 sequi,

ſequi, & pro ultimis generibus ſeminum conditionem, figuram, ſtrias, adoptare, non male ſucceſſiſſet negotium. Fecit id in ſingulæ plantæ expoſitione, quando & perianthii floris vel abſentia, vel præſentia, qui character efficaciſſimus eſt, inſimul indicatur. Hexandriorum monogyniorum nomine habentur plantæ radice bulboſa triangioſpermæ, quibus flos eſt monopetalos, ſex laciniis diviſus, *Hyacinthus*, *Lilium*, *Fritillaria*. Heptandria non niſi duo deprehendit, *Trientalem* & *Hippocaſtanum*, ſiquidem plerumque ſeptem ſtamina huic flori, quandoque plura, vel numero inferiora, inſunt. Quod ad octandria monogynia, ſeu octo ſtaminibus præditos flores, attinet, fere regulæ loco eſſe poſſet, tetrapetalos vel monopetalos quadrifidos, quibus fructus bacca eſt, hoc ſtaminum numero incedere; hinc *Ruta*, *Chamænerion*, *Onagra*, *Laureola*, *Vaccinium*, hoc ordine continentur; ſed excipiuntur ab hac regula *Melianthus*, *Acer*. Enneandria, ſeu novem ſtaminibus, pauciora exiſtunt, *Laurus*, *Rhabarbarum*, *Butomos*. Decem ſtaminibus præditæ ſunt plures plantarum, flore pentapetalo, *Phytolacca*, *Sedum*, *Ledum*, aliave. Endecandria nulla dantur; Flora enim numero hoc impari gaviſa haud videtur. Dodecandria tamen habentur quædam, *Aſarum*, *Rhizophora*, *Salicaria*, *Sempervivum*. Icoſandria aut viginti ſtamina ſunt in *Roſa*, *Pyro*, *Rubo*, *Fragaria*, *Anſerina*, *Tormentilla*. Polyandria denique ſunt, quibus incerti & vicenarium excedentes numerum ſunt capilli, vel filamenta floris, *Ficoides*, *Apocynum*, *Aizoides*, *Clematis*, *Anemone*, *Pulſatilla*. Poſtquam ſic accurate numeravit ſtamina, nunc & antheras adoptat, quæ cum gemellæ ſint in omnibus irregularibus monopetalis *Rivini*, ſeu labiatis *Tournefortii*, hinc illas exprimit termino didynamiorum, tetragymnoſpermorum, ſi ſemina quatuor inſint, prout omnibus verticillatis accidere ſolet. Angioſperma appellat, ſi ſemen fuerit in capſula, quod labiatis ex hac gente ſeu perſonatis potiſſimum accidere ſolet. Simili ratione conſpirat amice cum reliquis *Linnæus*, quod tetradynamias attinet plantas, quæ flore ſunt tetrapetalo vel cruciato fru-

ctu in filicula, vel filiqua, quibus etiam eadem virtus est antiscorbutica, sicut variis exemplis illustrari potest, varias plantas, uti flore & fructu, ita & virtutibus medicamentosis, convenire. Idem sic evenire solet in monadelphiis, seu staminibus ex una floris basi provenientibus quinque, seu pentandriis, quo charactere genus malvaceum definitur, quibus virtus emolliendi communis est, sicut diadelphia sunt stamina duplicia diverso loco exeuntia, altero inferiori, altero superiore. Sic perbelle inter se conveniunt, & eodem ordine recensentur, decandria diadelphia, quæ clarius paulo leguminosæ, papilionaceæ, appellantur. Hactenus solitarii flores, eodem thalamo comprehensi, simplices exstiterunt, proprio perianthio contenti. Nunc plures eodem thalamo comprehensi, conjunctim unam exercent œconomiam. Hinc fructificatio isthæc syngenesia appellatur, florum connubium, synthalamia, verbo flores compositi, & æqualium quidem polygamia in floribus ejusdem conditionis flosculosis, vel semiflosculosis, inæqualium in reliquis, superflua, necessaria in quibusdam. Gynandria sunt flores nullis staminibus prædití, in quorum locum succedunt antheræ, ut in *Aristolochia*, *Granadilla*, *Clutia*. Hinc pro numeri antherarum varietate fiunt pentagynandria, hexagynandria. Cum in omni fructificatione facientes patientesque causæ per tropum & schema, nec proprio significatu, mas & fœmina dicantur, proinde observantur masculi fœmineique flores aliquando in eodem plantæ loco esse, aliquando in diversis. Tunc monœcia dicuntur fœmininis in gemma sessilibus, masculinis in amentum digestis, prout in *Quercu*, *Juglande*, *Ambrosia*, ast diœciæ sunt, quando fertilis flos in una specie est, sterilis in remota, sed nomine & habitu eadem, ut in *Populo*, *Mercuriale*, *Rhoe*. Denique & quæ flore carere vulgo dicuntur plantæ, ideo cryptogamiæ dicuntur, quia flos intra fructum latitare perhibetur. Hæc omnia, nominibus & industria Autoris nova, forte etiam ab aliis, etsi minus accurate dicta, de ingenii amplitudine, & studii indefessi constantia, abunde testantur.

CLAVIS CLASSIUM.

Florefcentia plantarum profert flores, vel

- Vifibiles cuique; qui funt vel
  - Hermaphroditi cum ftaminibus & piftillis in eodem flore, ftaminibus
    - nulla fui parte inter fe connatis; quæ
      - proportionem longitudinis nullam accuratam inter fe invicem habent, vel
        - 1 MONANDRIA ftamen unicum in flore hermaphrodito.
        - 2 DIANDRIA ftamina duo in flore hermaphrodito.
        - 3 TRIANDRIA ftamina tria in flore hermaphrodito.
        - 4 TETRANDRIA ftamina quatuor in flore hermaphrodito.
        - 5 PENTANDRIA ftamina quinque in flore hermaphrodito.
        - 6 HEXANDRIA ftamina fex æqualia, vel alterna breviora, in flore hermaphrodito.
        - 7 HEPTANDRIA ftamina feptem in flore hermaphrodito.
        - 8 OCTANDRIA ftamina octo in flore hermaphrodito.
        - 9 ENNEANDRIA ftamina novem in flore hermaphrodito.
        - 10 DECANDRIA ftamina decem in flore hermaphrodito.
        - 11 DODECANDRIA ftamina duodecim in flore hermaphrodito.
        - 12 ICOSANDRIA ftamina viginti, calycis parieti interno, non receptaculo, infidentia in fl. herm.
        - 13 POLYANDRIA ftamina duodecim plura, receptaculo adnata, in flore hermaphrodito.
      - ftaminibus duobus reliquis brevioribus.
        - 14 DIDYNAMIA ftamina duo longiora.
        - 15 TETRADYNAMIA ftamina quatuor longiora.
    - cohærentibus vel inter fe invicem aliqua fui parte, vel cum piftillo.
      - 16 MONADELPHIA ftamina filamentis in unum corpus coalita.
      - 17 DIADELPHIA ftamina filamentis in duo corpora coalita.
      - 18 POLYADELPHIA ftamina filamentis in tria vel plura corpora coalita.
      - 19 SYNGENESIA ftamina antheris in cylindrum coalita.
      - 20 GYNANDRIA ftamina piftillo, non receptaculo, infidentia.
  - Mafculini & fœminini in eadem fpecie.
    - 21 MONOECIA flores mafculini & fœminini in eadem planta.
    - 22 DIOECIA flores mafculini & fœminini in diftincta planta.
    - 23 POLYGAMIA flores hermaphroditi & mafculini vel fœminini in eadem fpecie.
- Oculis vix obvios:
  - 24 CRYPTOGAMIA florent vel intra fructum vulgo dictum, vel parvitate oculos noftros fubterfugiunt.

Ordines a fœminis feu piftillis defumuntur.

MONOGYNIA, Digynia, Trigynia, &c. id eft, piftillum unicum, duo, tria, &c.

Numerus fœminarum defumitur a bafi ftyli: fi ftylus autem deficiat, a numero ftigmatum calculus fit.

CAROLI

CAROLI LINNÆI, MED. DOCT. SOC. Acad. Imp. N. C. Corollarium Generum plantarum, exhibens genera plantarum ſexaginta, addenda prioribus characteribus, expoſitis in generibus plantarum. Accedit methodus ſexualis.

Lugduni Batavorum, apud Conr. Wishoff, 1737, 8. Plag. 4.

CAROLI LINNÆI, MEDICI, METHODUS ſexualis, ſiſtens genera plantarum ſecundum mares & fœminas in claſſes & ordines redacta.

Lugduni Batavorum, apud Conr. Wishoff, 1737, 8. Plag. 3.

Prior libellus ſiſtit genera, quorum mentionem Methodus generum, cum poſtea demum innotuerint, nondum fecerat. Eodem omnia digeruntur ordine; nec ſupereſſe poſt tantos labores videtur quidpiam, niſi ut in gratiam eorum, quibus durum eſt deſueſcere facilioribus methodis, conciliator differentiarum inter methodos concinnetur, cum certum ſit, omnes aliquantulum conſpirare. Sicut enim ſiliquoſæ, cruciatæ, verticillatæ, emollientes, aliæque, etiam *Linnæo* eadem ſerie, ſicut *Moriſono, Rajo, Rivino, Tournefortio*, collocantur; ita difficile haud eſſet, & reliqua tantiſper componere. Injurii plerique ſunt in diligentem Autorem, dum, quod captu difficile eſt, averſantur, nec legendum eſſe putant, qui non facile intelligitur. Aſt nihil inde decedit gloriæ eorum, qui obſcurius recte dixerunt. Interea tamen velificandum eſt pluribus, qui ſine præceptore aſſequi mentem eruditiſſimorum quorumcunque Virorum interdum nequeunt. Methodum *Linnæi* breviter repetitam, prout altero libello ſiſtitur, ſic dabimus:

I. MONANDRIA.

1. MONOGYNIA.

Floribus ſpathaceis.

Canna, Amomum, Coſtus, &c.

Floribus nudis.

Hippuris, Salicornia.

2. DIGYNIA.

Coriſpermum, Blitum.

II. DIANDRIA.

1. MONOGYNIA.

Corollis nullis.

Piper.

Corollis aqualibus.

Nyctanthes, Jasminum, Ligustrum, &c.

Corollis inaqualibus.

Circæa, Veronica, Pæderota, &c.

2. DIGYNIA.

Anthoxanthum.

III. TRIANDRIA.

1. MONOGYNIA.

Spathis nullis.

Valeriana, Bœrhaavia, Chionanthus *Roy*, &c.

Spathis partialibus.

Crocus, Ixia, Gladiolus, &c.

2. DIGYNIA.

Calycibus unifloris.

Cornucopiæ, Nardus, Saccharum, &c.

Calycibus multifloris.

Aira, Poa, Briza, &c.

3 TRIGYNIA.

Montia, Tillæa, Mollugo, &c.

IV. TETRANDRIA.

1. MONOGYNIA.

Perianthiis communibus.

Protea, Cephalanthus, Globularia, &c.

Pericarpiis didymis.

Sherardia, Asperula, Spermacoce, &c.

Fl. Monopetalis aliis.

Catesbæa *Gron.* Ixora, Avicennia, &c.

Fl. Tetrapetalis completis.

Epimedium, Cornus, Evonymus, &c.

Floribus incompletis.

Dorstenia, Ammannia, Isnarda, &c.

2. DIGYNIA.

Aphanes, Cuscuta, Hypecoum.

3. TETRAGYNIA.

Ilex, Potamogeton.

V. PENTANDRIA.

1. MONOGYNIA.

Monopetala Tetrasperma.

Heliotropium, Myosotis, Lithospermum, &c.

Fl. Monopetalis, capsula supra receptaculum floris.

Androsace, Primula, Cortusa, &c.

Fl. Monopetalis, fructu infra receptaculum floris.

Campanula, Phyteuma, Trachelium, &c.

Staminibus declinatis.

Mirabilis, Plumbago, Datura, &c.

Fl. Monopetalis, bacca supra receptaculum floris

Rhamnus, Chrysophyllum, Sideroxylum, &c.

Fl. Polypetalis.

Gronovia, Hedera, Vitis, &c.

Fl. In-

Fl. Incompletis.

Achyranthes, Thesium, Glaux, Ceratonia.

Laciniis corollæ a sinistris dextrorsum flexis.

Thevetia, Cerbera, Rauvolfia, &c.

2. DIGYNIA.

Fructu bicapsulari.

Stapelia, Asclepias, Periploca, &c.

Fructu monospermo.

Herniaria, Illecebrum, Chenopodium, &c.

Fructu biloculari vel trupa.

Mitreola, Heuchera, Gentiana, &c.

Gymnodisperma, involucro duplici.

Eryngium, Phyllis, Hydrocotyle, &c.

Gymnodisperma, involucro unico.

Oenanthe, Phellandrium, Cicuta, &c.

Gymnodisperma, involucro nullo.

Thapsia, Pastinaca, Smyrnium, &c.

3. TRIGYNIA.

Rhus, Cotinus, Maurocena, &c.

4. TETRAGYNIA.

Parnassia.

5. PENTAGYNIA.

Aralia, Statice, Linum, &c.

6. POLYGYNIA.

Myosurus.

VI. HEXANDRIA.

1. MONOGYNIA.

Corollis trifidis.

Bromelia, Tillandsia, Renealmia, &c.

Corollis spatha exceptis.

Galanthus, Leucojum, Narcissus, &c.

Corollis hexapetalis nudis.

Lilium, Petilium, Fritillaria, &c.

Corollis monopetalis nudis.

Convallaria, Hyacinthus, Aloe, &c.

Floribus involucro, perianthio vel gluma.

Acorus, Hæmanthus, Aphyllanthes, &c.

2. DIGYNIA.

Oryza, Atraphaxis.

3. TRIGYNIA.

Rumex, Scheuchzeria, Triglochin, &c.

4. TETRAGYNIA.

Petiveria.

5. HEXAGYNIA.

* *Triglochin*, * *Alisma.*

6. POLYGYNIA.

Alisma.

VII. HEPTANDRIA.

1. MONOGYNIA.

Trientalis, Esculus.

VIII. OCTANDRIA.

1. MONOGYNIA.

Pavia, Tropæolum, Acer, &c.

2. DIGYNIA.
Royena, Chryfofplenium, Galenia.

3. TRIGYNIA.
Perficaria, Biftorta, Polygonum, &c.

4. TETRAGYNIA.
Paris, Adoxa, Elatine, Sagina.

5. POLYGYNIA.
Michelia.

IX. ENNEANDRIA.

1. MONOGYNIA.
Laurus, Perfea.

2. TRIGYNIA.
Rheum.

3. HEXAGYNIA.
Butomus.

X. DECANDRIA.

1. MONOGYNIA.
Staminibus declinatis.
Sophora, Cercis, Bauhinia, &c.
Staminibus erectis.
Adenanthera *Roy*, Hæmatoxylum *Gron.* Melia, &c.

2. DIGYNIA.
Dianthus, Saponaria, Scleranthus, &c.

3. TRIGYNIA.
Malpighia, Bannifteria, Triopteris, &c.

4. PENTAGYNIA.
Spergula, Ceraftium, Agroftemma, &c.

5. DECAGYNIA.
Phytolacca.

XI. DODECANDRIA.

1. MONOGYNIA.
Gethyllis, Afarum, Rhizophora, &c.

2. DIGYNIA.
Agimonia.

3. POLYGYNIA.
Sempervivum.

XII. ICOSANDRIA.

1. MONOGYNIA.
Cactus, Pereskia, Eugenia, &c.

2. DIGYNIA.
Cratægus.

3. TRIGYNIA.
Sorbus.

4. TETRAGYNIA.
Philadelphus.

5. PENTAGYNIA.
Mefpilus, Pyrus, Spiræa, &c.

6. POLYGYNIA.
Rofa, Rubus, Fragaria, &c.

XIII. POLYANDRIA.

1. MONOGYNIA.
Stylis ftigmate depreffo brevioribus.
Sarracena, Nymphæa, Argemone, &c.
Stylis ftigmate longioribus.
Tilia, Thea, Caryophyllus, &c.

2. DIGYNIA.
Heliocarpos, Bixa, Pæonia, &c.

3. TRIGYNIA.
Refeda, Delphinium, Aconitum,

4. TE-

4. TETRAGYNIA.
Tetracera, Tetragonia.

5. PENTAGYNIA.
Aizoon, Mesembryanthemum, Aquilegia, &c.

6. HEXAGYNIA.
Stratiotes.

7. POLYGYNIA.
Dillenia, Liriodendrum, &c.

XIV. DIDYNAMIA.

1. GYMNOSPERMIA.
Corollæ labio superiore plano.
Teucrium, Ajuga, Trichostema, &c.

Corollæ labio superiore concavo.
Dracocephalum, Melittis, Cunila, &c.

2. ANGIOSPERMIA.
Corollis personatis.
Antirrhinum, Rhinanthus, Pedicularis, &c.

Corollis patentibus.
Craniolaria, Mattynia, Scrophularia, &c.

Corollis polypetalis.
Melianthus.

XV. TETRADYNAMIA.

1. SILICULOSA.
Myagrum, Anastatica, Subularia, &c.

2. SILIQUOSA.
Bunias, Cheiranthus, Hesperis, &c.

XVI. MONADELPHIA.

1. PENTANDRIA.
Hermannia, Waltheria, Melochia.

2. DECANDRIA.
Geranium.

3. POLYANDRIA.
Sida, Urena, Malva, &c.

XVII. DIADELPHIA.

1. HEXANDRIA.
Fumaria.

2. OCTANDRIA.
Heisteria, Polygala.

3. DECANDRIA.
Antheris omnibus connexis.
Amorpha, Spartium, Genista, &c.

Leguminibus regularibus.
Erythrina, Cytisus, Anagyris, &c.

Leguminibus propriæ structuræ.
Astragalus, Biserrula, Tragacantha, &c.

XVIII. POLYADELPHIA.

1. PENTANDRIA.
Theobroma.

2. ICOSANDRIA.
Citrus.

3. POLYANDRIA.
Hypericum, Ascyrum.

XIX. SYNGENESIA.

1. POLYGAMIA ÆQUALIS.

Corollis planipetalis.

Prenanthes, Lactuca, Chondrilla, &c.

Corollis radiatis.

Atractylis.

Corollis tubipetalis.

Gundelia, Echinops, Arctium, &c.

2. POLYGAMIA SUPERFLUA.

Floribus tubipetalis.

Xeranthemum, Gnaphalium, Artemisia, &c.

Floribus radiatis.

Erigeron, Tussilago, Doronicum, &c.

3. POLYGAMIA FRUSTRANEA.

Helianthus, Rudbeckia, Coreopsis, &c.

4. POLYGAMIA NECESSARIA.

Calendula, Arctotis, Osteospermum, &c.

5. MONOGAMIA.

Corymbium *Gron.* Jasione, Lobelia, &c.

XX. GYNANDRIA.

1. DIANDRIA.

Orchis, Satyrium, Serapias, &c.

2. TRIANDRIA.

Sisyrinchium.

3. TETRANDRIA.

Nepenthes.

4. PENTANDRIA.

Passiflora.

5. HEXANDRIA.

Aristolochia, Pistia.

6. DECANDRIA.

Helicteres.

7. POLYANDRIA.

Grewia, Galla, Arum, &c.

XXI. MONOECIA.

1. MONANDRIA.

Najas, Zannichellia, Cynomorium.

2. TRIANDRIA.

Zea, Coix, Carex, &c.

3. TETRANDRIA.

Urtica, Buxus, Viscum, &c.

4. PENTANDRIA.

Xanthium, Ambrosia, Parthenium, &c.

5. HEXANDRIA.

* *Rumex 300.*

6. POLYANDRIA.

Acalypha, Croton, Iatropha, &c.

7. MONADELPHIA.

Pinus, Abies, Cupressus, &c.

8. POLYADELPHIA.

Ricinus.

9. SYNGENESIA.

Trichosanthes, Momordica, Cucumis, &c.

XXII. DIOECIA.

1. DIANDRIA.

Vallisneria, Salix.

2. TRI-

2. TRIANDRIA.
Osyris.

3. TETRANDRIA.
Hippophae, Anthospermum, Myrica, &c.

4. PENTANDRIA.
Pisonia, Pistacia, Spinacia, &c.

5. HEXANDRIA.
Smilax, Tamus, Rajania, &c.

6. OCTANDRIA.
Populus.

7. ENNEANDRIA.
Mercurialis, Hydrocharis.

8. DECANDRIA.
Nyssa *Gron.* Carica, Kiggelaria, &c.

9. ICOSANDRIA.
Aruncus.

10. POLYANDRIA.
Cliffortia.

11. MONADELPHIA.
Juniperus, Taxus, Ephedra.

12. SYNGENESIA.
Ruscus.

13. GYNANDRIA.
Clutia.

XXIII. POLYGAMIA.

1. MONOECIA.
Musa, Veratrum, Celtis *Dill.* &c.

2. DIOECIA.
Chamærops, Morus, Fraxinus, &c.

3. TRIOECIA.
Empetrum.

XXIV. CRYPTOGAMIA.

1. PLANTÆ.
Ficus.

2. FILICES.
Equisetum, Ophioglossum, Osmunda, &c.

3. MUSCI.
Polytrichum, Bryum, Hypnum, &c.

4. ALGÆ.
Marchantia, Jungermannia, Anthoceros, &c.

5. FUNGI.
Agaricus, Boletus, Hydnum, &c.

6. LITHOPHYTA.
Spongia, Isis, Lithoxylum, &c.

VAGA.

Continet hæc classis fragmenta seu genera non perfecte nota, ut, ad quas amandari debeant classes recensenda genera, nondum innotuerit.

1. PALMÆ.
Phœnix, Corypha, Coccus, &c.

2. TOURNEFORTIANA.
Theligonum, Schinus, Trapa, &c.

3. PLUMERIANA.
Diclinia.
Hernandia, Hippomane, Cissampelos, &c.

Mono-

Monoclinia perianthiis quinquefidis.

Hippocratea, Marcgravia, Ochna, &c.

Monoclinia absque perianthiis quinquefidis.

Oldenlandia, Crateva, Ximenia, &c.

4. DILLENIANA.

Holosteum.

5. HOUSTONIANA.

Conocarpus, Randia.

6. NOSTRA.

Hura, Uragoga, Arctopus.

DE MERCURII NOVISSIMO INFRA SOLem transitu Dissertatio, habita in Seminario Romano, a GASPARE SERVANZI, Academico Rediviuo, mense Junio A. 1737.

Romæ, typis Antonii de Rubeis, 1737, 4.
Plag. 1½, Tab. æn. 1.

Schediasma hoc Academicum, quod publice impugnandi facultas cuique data fuit, distribuitur in *Propositiones sex*, quarum argumenta Lectoribus nostris in compendio jam exhibebimus. Igitur *Propositione I* exponitur ipsa observatio Mercurii infra Solem transeuntis. Scilicet Romæ 3 id. Novembris A. 1736, tribus ante meridiem horis, in loco undique obumbrato in Solem directum fuit telescopium palm. 12, & imago Solis excepta in charta axi illuminationis perpendiculari, addito insuper pendulo, quo maculæ in Sole observatæ ad verticalem circulum referuntur, atque inde ad Eclipticam reducuntur. Aer utcunque nitidus trepidatione non modica laborabat. Plurium Observatorum ita divisæ curæ fuerunt, unius, ut motum Solis telescopio sequeretur, alterius, ut momentum averteret, quo imago Solis cum circulo in charta descripto, & umbra penduli cum verticali diametro congruerent, tertii, ut Mercurii trepidantis centrum acu insectaretur, & chartam interpungeret ad nutum secundi, quarti, ut certiores observationes describeret, habita ratione temporis, elata voce

voce pronuntiati, quod ad verum tempus aſtronomicum, obſervato bis meridie, ſedulo revocatum erat. Initio immerſionis in conſpicuo, Mercurius viſus fuit ſatis ſenſibiliter excavare limbum Solis orientalem 22^h. 13'. 39" temporis veri, computati a meridie 10 Novembris. Solarem marginem interius tetigit 22^h. 15'. 58", emerſionis interior contactus celebratus eſt poſt meridiem 11 Novembr. 0^h. 54'. 48", exterior 0^h. 57'. 58". Mora ☿ii in limbo ſolari fuit 3'. 10", mora centri in diſco Solis 2^h. 42'. Pro reliquis obſervationibus ſubjungitur Tabella, columnis aliquot interſtincta, in quibus videre eſt 1) obſervata Mercurii loca, & maculas ſolares, eadem opera detectas; 2) tempus, quo ſingula notabantur; 3) arcus circulares, incipientes a ſummitate boreali diametri verticalis circuli, qui diſcum Solis refert, & deſinentes in diametrum, per loca notata extenſam; 4) eorum diſtantias a centro in partibus milleſimis diametri. In Corollario hujus Propoſitionis oſtenditur, qua ratione ſingula loca ad Eclipticam referenda ſint. *Propoſitio ſecunda* hæc eſt: *Datis inclinatione Ecliptica ad æquatorem, & loco Solis, declinationem ſolarem, atque angulum circuli declinationis cum Ecliptica, conſtruere.* Igitur Cl. Autor per conſtructionem geometricam Problemata ſolvit, quæ ope Trigonometriæ ſphæricæ alias expedienda eſſent Etenim eadem ratione in *Propoſitione tertia*, datis loco Solis, altitudine poli, ac tempore obſervationis, *conſtruitur* angulus circuli horarii cum verticali. En conſtructionem *Propoſitionis ſecundæ:* Centro *C*, radioque ſatis magno *CA*, deſcribatur circulus, cujus arcus *AB* æquetur longitudini ſolari, quando ſemicirculo minor eſt, vel differentiæ a ſemicirculo, quando major; ductaque *CB*, atque ad illam perpendiculari *AE*, quæ bifariam dividitur in *D*, centro *D*, radio *DA* deſcribatur, ſemicirculus *ANE*, abſcindaturque arcus *EF* æqualis obliquitati Eclipticæ, $= 23^\circ. 29'$, ac demiſſa *FG* perpendiculari ad *EA*, per *G* ducatur *GI*, eique perpendicularis *GH;* erit arcus $HI =$ declinationi quæſitæ. Porro, centro *H*, radioque $= BI$, notetur punctum *L*, ductaque *LC*, ex puncto *M*, quo TAB. V Fig. 4.

rectæ *EA* occurrit, excitetur perpendicularis *MN*, circulo *ANE* occurrens in *N*, erit angulus *EDN* = ei, quem facit Ecliptica cum circulo declinationis. *Q. E. F. Propositio quarta* in eo occupatur, ut Mercurii observati loca in typum Astronomicum referre doceat. Id ut obtineatur, in circulo, qui discum solarem repræsentat, singula puncta, quæ locum aliquem denotant, ita sunt disponenda, ut cum diametro disci, quæ est sectio Eclipticæ cum disco Solis, eandem relationem habeant, quam tempore observationis respectu Eclipticæ habuerunt. Quem in finem Cl. Autor dedit Tabulas pro elementis ad hancce constructionem necessariis. Cum vero aberrationes exiguæ sese immisceant, typus astronomicus correctione indiget, quæ exhibetur in *Propositione quinta*. Aberratio præcipua inde oritur, quia terminatio telescopii prope marginem non æque accurata est, ac prope axem, adeoque imago Solis circulo descripto congruens, non exacte repræsentat diametrum Solis apparentem, sed peccat in excessu, cum puncta Solis physica, in telescopium illabentia, eo magis amplientur, quo magis ab axe recedunt. Quodsi in typo

TAB. V Fig. 5. emendato *Fig. 5* ducantur *IP*, *mR*, perpendiculares ad *AB*, quibus parallela sit *CN*, & *IQ* diametro *AB* parallela; assumta *CA*, sive apparente Solis diametro, = 16′, 17″, dantur *PC*, differentia longitudinis in ingressu, = 9′. 38″, *CR*, differentia longitudinis in egressu, = 6′. 2″, unde *PR* = *IQ* = 15′. 40″, inde geocentricus atque horarius in Sole longitudinis motus = 5′, 50″. Dantur etiam *PI*, sive latitudo geocentrica in ingressu, = 13′. 2″, *CN*, sive latitudo geocentrica in conjunctione = 14′, 21″, *Rm*, sive latitudo geocentrica in egressu = 15′. 11″, ergo *Qm*, sive apparens motus geocentricus in latitudinem = 2′. 9″, unde geocentricus & horarius latitudinis motus = 48″, *lm*, sive apparens ☿ii semita in disco ☉is = 15′. 48″, minima centrorum distantia *CO* = 14′. 14″, angulus *Qlm*, sive inclinatio semitæ ☿i visæ ad Eclipticam = 7°. 53′. Tempus conjunctionis cum Sole in *N* reperitur 23 hor. 54′. Diametrum vero ☿i apparentem sic eruit Autor:

Sit

Sit *D* punctum contactus exterioris, *G* interioris, ductisque per centrum Mercurii, & puncta contactus rectis *CE*, *CG*, ex centro *C*, rectangula erunt triangula *CFO* & *CEO*, cumque *LO* percursa fuerit tempore $1^h. 21'$, atque *EF* tempore $3'. 10''$, atque punctum *L* bifariam dividat *EF*, ob exiguitatem arcus *DG*, erit tempus per $EL = 1'. 35''$, unde ipsa $EL = 9''$. Ponatur jam $AC = a$, $CO = b$, $OL = c$, $EL = d$, $ED = GF = x$, erit $OE = c + d$, $OF = c - d$, $CE = a + x$, & $CF = a - x$, & per Pythagoricum erit $c^2 + 2cd + d^2 + b^2 = a^2 + 2ax + x^2$, & eandem ob causam, $c^2 - 2cd + d^2 + b^2 = a^2 - 2ax + x^2$, & subtrahendo ultimam æquationem a prima, erit $4cd = 4ax$, unde $x = \frac{cd}{a}$. Igitur, ut a $(= 16'. 17'')$ ad c $(= 7'. 54'')$, ita d $(= 9'')$ ad quartam x: quæ invenitur $= 4''. 22'''$ proxime, ut adeo apparens ☿i diameter sit $= 4'', 44'''$, sive proxime $9''$. *Q. E. I.* Tandem *Propositione sexta* motus Mercurii geocentricus ad heliocentricum revocatur. Quod ut obtineatur, observandum, motum ☿i horarium in sua orbita, ex Sole visum æquari summæ motus ejus horarii heliocentrici a Terra, & insuper motus horarii telluris, seu, quod idem est, Solis. Igitur pro inveniendo motu horario ☿i a Terra, si ex Sole spectetur, fiat analogia sequens: Ut distantia Solis a ☿io, ad distantiam ☿i a terra; ita motus ☿i a Sole horarius geocentricus, ad motum ☿i a terra heliocentricum; cui invento, si addatur motus horarius Solis vel terræ in Ecliptica, summa exhibebit motum ☿i horarium, eumque heliocentricum in Ecliptica, ex quo deinde facile eruitur motus ejus horarius heliocentricus in sua orbita. Conf. *Whistonius* in *Prælect. Astronom. pag. 254.* Quomodo ex dato horario Solis & heliocentrico ☿i reliqua omnia, ad Planetam huncce spectantia, inveniri debeant, e. g species Ellipseos, in qua movetur, inclinatio orbitæ ad Eclipticam, distantia Perihelii a conjunctione, & quæ plura sunt alia, con-

TAB. V Fig. 6.

cinne ſatis explicatur in Corollariis, *Propoſitioni* annexis. Sed hæc ſufficiant.

JO. LAURENTII MOSHEMII INSTITUtiones Hiſtoriæ Chriſtianæ antiquioris.

Helmſtadii, apud Chriſt. Frid. Weygandum, 1737. 8.
Alph. 2 plag. 6.

Decem, & quod excurrit, præterlapſi ſunt anni, ex quo S. Ven. Autor *Inſtitutiones* has *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* primum in lucem exire juſſit. Tam faciles & benignos, ut par erat, elegantiſſimus hic liber invenit lectores, ut jam pridem in tabernis illorum, qui merces literatas vendunt, ſit deſideratus. Graviſſima vero, quibus occupatur in ampliſſimo munere Cel. Autor, negotia ipſi tantum temporis denegare videbantur, quantum ad novam parandam editionem requirebatur. Precibus tandem aliorum defatigatus, horas nonnullas neceſſariis ſurripuit laboribus, eaſdemque expoliendo huic libro deſtinavit. Sed, cum propius ad hoc negotium acceſſiſſet, nec dictionem, nec rerum ordinem, nec habitum & colorem, primæ editionis ſatis probavit, alio loco verba rebus parum reſpondere, alio res cum verbis minus congruere, alia tolli poſſe, ex finitimis diſciplinis temere huc traducta, alia addi debere, ne qua parte nervis & commiſſuris corpus careret, animadvertens. Hinc, totum Opus retexendum, aliumque plane librum componendum eſſe, ſtatuit, tantoque ſucceſſu prudentiſſimum hoc conſilium eſt perſecutus, ut eximiæ ſuæ, quam in orbe literario jam variis ingenii & doctrinæ excellentis monumentis acquiſivit, famæ maximum addidiſſe pondus merito dicendus ſit. Nunc more noſtro ordinis, quem obſervavit Cel. Autor in conſcribendis his Inſtitutionibus, rationem paucis exponemus. Univerſam Hiſtoriam Eccleſiaſticam Chriſtianam *quatuor Libris* complexus eſt. In *primo* fata Eccleſiæ ab ipſis ejus initiis ad *Conſtantinum M.* uſque, hoc eſt, a Seculo primo usque ad tertium, explicantur; in *ſecundo* ea, quæ rei Chriſtianæ a *Conſtantini M.* ætate

te

te ad *Caroli M.* tempora, a Seculo nempe quarto usque ad septimum, evenerunt, exhibentur; in *tertio* res a *Caroli M.* temporibus ad instauratam a *Luthero* doctrinam puriorem, a Seculo octavo ad decimum quintum, inter Christianos gestæ enarrantur. Et hi tres Libri recens editi, sed multo auctiores, multo etiam ornatiores & limatiores, hic comparent. *Quartum* vero & *ultimum Librum*, qui res a *Luthero* gestas, quæque deinde contigerunt, ad nostra usque tempora, continebit, quam primum fieri poterit, ea, qua hic usus est, methodo elaboraturum se promisit. Et hæc generatim sufficiant. Paulo propius nunc ad ipsam methodum, quam S. Rev. Autor in præparatione copiose explicuit, describendam accedamus. Cœtum hominum, cui nomen a *Christo* est, tanquam civitatem quandam nobis ob oculos posuit. Huic civitati multa extrinsecus eveniunt, multa in ipso ejus sinu contingunt, quæ felicitati vel prosunt, vel obsunt; hinc historia ejus in *externam* & *interiorem* commode dividitur. Et hac ex causa uniuscujusque Seculi historiam in duas divisam partes deprehendimus. In priori historia Ecclesiæ *externa*, in posteriori *interior*, describitur. In priori cujuslibet Seculi parte, quæ *externa* destinata est historiæ, recensentur *Cap. I* fata civitatis Christianæ *prospera*, & *Cap. II adversa*; in posteriore veró legitur historia Ecclesiæ *interior* descripta, ubi *Cap. I* sistitur status literarum & eruditionis, *Cap. II* historia doctorum & formæ civitatis Christianæ, *Cap. III* historia doctrinæ, *Cap. IV* rituum & cerimoniarum, *Cap. V* seditionum sacrarum, seu hæresium. Hanc methodum per omnia, quorum res memoratu dignissimæ hic exhibentur, Secula videmus observatam. Utramque igitur historiam, tam externam, quam interiorem, ita pertractavit Cel. Autor, ut non solum, quid gestum sit in Ecclesia Christiana, sed etiam quare hoc vel illud evenerit, luculentissime declaraverit, id est, eventa cum causis suis prudentissime conjunxerit. Hinc eorum, quorum mentionem in his Institu-

tionibus fecit, ingenia, indoles, ſtudia, cupiditates & commotiones, affectuumque humanorum vis & impotentia, nec non mores & opiniones, ſedulo & ſincere indicantur, accurateque ſine omni partium ſtudio dijudicantur. Conſtat, alios, qui eundem in ſe ſuſcepere laborem, preſſos præcipuorum factorum & eventorum ſaltem indices dediſſe; alios vero ampliorem iis, qui ſemet ipſos absque magiſtro vivo erudire coguntur, ſuppeditaſſe materiam; ſed utrumque Autor noſter Venerandus, prudentiſſimo certe conſilio, animo & cogitatione comprehendit. Satis enim, ut ipſe ait, reliquit illis, quod narrent & explicent, qui rudes & teneras mentes doctrina imbuunt, & illis tamen ſimul conſuluit, qui brevem, ſed aptam inter ſe ac cohærentem, Hiſtoriæ Chriſtianæ ſummam privato ſtudio memoriæ mandare cupiunt. Inutilia & ſuperflua fruſtra hic quæres, utilia vero & neceſſaria ubique invenies, ſumma cautione ex variis huc pertinentibus ſcriptis collecta. Hinc ad Scriptores omnis ævi, qui rerum Chriſtianarum meminerunt, ad eos præcipue, qui rebus ætate æquales fuerunt, & in his ad eos potiſſimum, qui copioſius ac diligentius partem quandam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ enodarunt, & quos ipſe inſpexerat & tractaverat Autor, ſemper lectores ablegantur. Summa adeoque dexteritate hanc copioſiſſimam, & per varios ſcriptores, barbaros plerumque, ignavos, & lutulentos, diviſam, rem non ſolum rite primum mente complexus eſt Cel. Autor, ſed apte quoque ac ſcite diſpoſuit, ſermoneque mundo & illuſtri expreſſit, ut nihil deeſſe, nihilque redundare, videatur. Si qui vero ſunt, qui librum nullum absque ſeveriori cenſura dimittere poſſunt, hi illud inprimis reprehendent, quod Autori graviſſimo haud placuerit, res geſtas cujuſvis Seculi ſecundum annorum ſeriem deſcribere, & lectori ſæpius, quam par eſt, reliquerit in rebus dubiis judicium, denique quod Indicem iſtiuſmodi libro admodum neceſſarium non adjecerit. Ceterum Autori S. Venerando nos vitam & valetudinem commodam, ut quamprimum

Librum

Librum quartum, qui recentiorem Christianæ civitatis historiam exponet, in lucem proferre possit, comprecamur.

Dionysius Longin vom Erhabenen, ꝛc.

h. e.

DIONYSII LONGINI LIBER DE SUBLImitate, Græce & Germanice, cum Longini Vita, recensione scriptorum ejus, & Dissertatione de Sublimitate Longini, *editus a* CAROLO HENRICO HEINEKENIO.

Dresdæ, in officina Hekeliana, 1737, 8 maj.
Alph. 1 plag. 3.

Græcæ linguæ cum Germanica vetus affinitas intercedit, qua sese devinxit *Heinekenius* adeo, ut gratum utrique faceret. Cum enim Græce & Germanice sciret, *Dionysium Longinum*, Græcum illum excellentioris eloquentiæ magistrum, in patrium sermonem transtulit, ut novi oratores & poetæ, comparati priscis, intelligerent, quid admirationem sapientum haberet, quid reprehensionem. Nitidum Opus & varia doctrina ornatum præstantissimis filiis S. R. I. Comitis *a Sulkowski*, qui in exercitatione dicendi non mediocriter versantur, dedicavit. Græca verba sequuntur fidem & industriam *Zach. Pearcii*, cui Codicis Parisiensis literas, sexcentos fere annos habentes, uni omnium Editorum contigit contemplari. Hac felicitate adjutus *Heinekenius*, quæ varie sunt a variis librariis exscripta, *Pearcianæ* solicitudini reliquit: ab ipso tamen *Zacharia* dissensit, si quid ille conjectura aberravit. Versionem non solum ad exprimendos animi *Dionysiani* sensus accommodatam confecit, sed etiam in eo elaboravit, ut concinnitas verborum collocationem illuminaret. Suis Musis aliquantum diffisus, ab amicis impetravit, ut Germanici metri rationem ducerent. Scriptores, quibus simile fuit institutum,

tum, circumſpecte legit: cenſorii ſtili mucronem, quem *Sylvanius* quidam, Gallus, in *Longino* fixerat, multis remediis retudit, nec timide cum ceteris congreſſus eſt, qui *Longini* gloriam minuerunt. De vita κριτικωτάτȣ Rhetoris diligenter expoſuit, neque recentiores modo narratores, ſed etiam *Trebell. Pollionem*, *Vopiſcum*, *Zoſimum*, alios veteres, ſtudioſe lectitavit. Fragmenta, quæ ſuperſunt, pro viribus interpretatus eſt. Adjecit Diſſertationem de Sublimitate, ut ſcirent lectores, quid eſſet, quod *Longinus* etiam atque etiam commendavit. In ea *pag. 318 Hermogenis* magnitudinem a *Longini* excelſo ita differre putat, ut eadem, quæ ille confudit, hic diſtinxiſſe credatur. Sed hæc opinio *Caſp. Laurentii* fuit, refutata in *C. G. Clugii* Diſputatione, quæ τὸ σεμνὸν in oratione *Taciti* ex *Hermogenis* diſciplina expendit, Vitembergæ A. 1725 publice defenſa, *pag. 17 ſeq.* Stilum magnificum & copioſum *Hermogenes*, admirabile dicendi genus & pulchrum *Longinus*, informat, judice *Boilavio*, cujus perſpicientia veri ſufficit *J. G. Bergero de Naturali pulchritudine pag. 43 - 46.* Quid cauſæ impulerit Cl. Editorem, ut elegantiſſimum *Criticæ poeſeos* ſcriptorem, Virum doctrinæ excellentis, & ob id inprimis, quod linguam patriam, ſi non unus, certe majori longe, quam ceteri omnes, dexteritate, ſuis ſordibus liberavit, Germanorum omnium amore digniſſimum, verbis durioribus exciperet, & in reprehendendis ejus præceptis poeticis vires ingenii experiretur, illi haud difficili conjectura aſſequuntur, qui officinam norunt, in qua formatus ille olim fuit, & unde prodiit haud ita pridem. Naturale *Criticus* vocat humile, quod arte caret; *Heinekenius*, quod perſpicuum eſt. Utinam faciles in verbis ſint, qui ſentiunt idem, & omnes, cupidi laudis *Longinianæ*, *Longini* Sectionem XXXIII penitus animis ſuis mentibusque reponant.

Tomi tertii Supplementorum ad Nova noſtra *Acta* ab aliquo inde tempore *Sectionem IV*, *V*, & *VI*, publicavimus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXXVIII.

Pars I.

T. LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB urbe condita Libri, qui superſunt, omnes, cum Notis integris LAUR. VALLÆ, SABELLICI, RHENANI, GELENII, GLAREANI, SIGONII, URSINI, SANCTII, JO. FR. GRONOVII, TAN. FABRI, H. VALESII, PERIZONII, JAC. GRONOVII, excerptis P. NANNII, LIPSII, MODII, GRUTERI, nec non ineditis GEBHARDI & DUKERI, & aliorum, curante ARN. DRAKENBORCH, qui & ſuas Annotationes adjecit. Accedunt Supplementa FREINSHEMII.

Tomus I & II.

Amſtelodami, apud J. Wetſtenium & G. Smith, Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmanns, 1738, 4 maj.

Tom. I Alph. 6 plag. 3, Tom. II Alph. 5 plag. 15.

Ea eſt *Drakenborchiani* nominis fama, ut, cum percrebuiſſet, in adornanda nova *Livii* editione ipſum occupatum eſſe, vehementer omnes lætarentur, qui harum literarum ſtudio & amore ducuntur; quod ita exiſtimarent, ex ejus muſeo, tanquam ex *Phidiæ* cujuſdam officina, omni parte ela-

boratum *Livium* ac perpolitum proditurum esse. Itaque, cum ante hunc annum, autoribus bibliopolis Batavis ipsis, rumor exstitisset, a Cel. *Hemsterhusio Lucianum*, & a Cel. *Drakenborchio Livium*, esse depositum, non quod desperarent, se probare ingenium eruditionemque doctis hominibus posse, sed aliis de causis; ægre tulerunt omnes, de tanta se spe dejectos, tantamque discendi facultatem sibi ereptam esse. Sed ecce ad pristinam spem erigunt nos *duo* ista *Volumina*, ad quorum rationem explicandam nunc ingredimur. Quod dum facere instituimus, vehementer desideramus Præfationem, quam hujusmodi libris præmittere docti Viri solent; ut, quibus auxiliis instructi ad editionem libri novam accesserint, commemorent. Nunquam credidit Vir Celeberrimus fore, ut *Livium* per partes emitteret. Sed, cum, precibus Bibliopolarum victus, permitteret, has *duas* vulgari *Partes*, illa subsidiorum copiarumque suarum commemoratio ad finem Operis differenda fuit. Vidit etiam, ut ait, eum *Tomum*, cui Præfatio inserenda esset, in magnam molem excrevisse. Quare, ne eam insuper (duabus scilicet aut tribus plagulis) nimis augeret, eo delapsus est, ut, quicquid præfandum censeret, ad calcem Operis universi rejiceret. Quæ quidem omnia ejusmodi sunt, ut, si cum rumoribus superioris anni compares, atque illud etiam cogites, non integram Decadem Librorum *Livianorum*, sed novem tantum Libros, hic comparere, facile de toto negotio judicare possis. Illud etiam apparet, perinvitum harum partium vulgandarum consilium cepisse Virum Celeberrimum, & in ea ipsa re maxima festinatione usum esse. Nam dedicandi formula ita vulgaris est, ut ingenio ejus, jam aliunde noto, non satis respondeat, & in ipsa dicendi ratione sunt quædam, quæ a *Drakenborchio* non maxime festinante proficisci non poterant. Ceterum, quando, Præfatione dilata, non possumus nunc de copiis, quibus instructus editionem hanc *Livii* Vir præstantissimus susceperit, commemorare, in recensendo hoc Opere eam rationem tenebimus, ut non modo locos nonnullos, difficiles aut nobis, aut aliis, visos, & in exemplo nostro notatos, qui primi in ma-

nus

nus venerint, afferamus, &, quid iis lucis accesserit a *Drakenborchiana* eruditione, commemoremus, sed integram etiam aliquam ῥῆσιν *Livianam* difficilem proponamus, & eodem modo, quæ nova in notis ad eam prolata sint, dicamus. Incipiamus a ῥήσει integra.

Libri primi Capite tertio & quadragesimo commemoratur longe maximum pacis opus, & saluberrimum tanto futuro imperio, descriptio populi in classes centuriasque e censu, a *Servio Tullio* suscepta & perfecta. In eo *Capite* multa sunt, ab Interpretibus superioribus non satis vel expedita, vel illustrata. *§. 2: Seniores ad urbis custodiam* &c. *juvenes ut* &c. Quod *seniores* & *juvenes* sibi non satis respondent, *Latinius* legendum conjiciebat: *juniores*. Sic *Hearnius* etiam in Oxoniensi Codice invenit. Sed *Drakenborchii* Codices omnes in vulgatam lectionem conspirant, neque legitimam causam vidit, quare eam mutaret. Et poterat Vir Cel., si libuisset, cum e Græcis, tum e Latinis, Scriptoribus afferre locos, in quibus sic comparativi & positivi junguntur, cum comparativus positivi vim ac potestatem habet. Ibidem: *Arma his imperata, galea, clipeus, ocrea, lorica. Jo. Fr. Gronovius* e Florentino & Helmstadiensi pro *clipeus* reposuit *clipeum*, qua sæpe forma *Livius* alibi utitur. Eandem jam invenerat in bonis Codicibus *Beatus Rhenanus*. Et, quoniam eam in melioribus suis, Leidensi primo & Harlejano primo, invenerat *Drakenborchius*, servandam judicavit, licet reliqui Codices in alia omnia abeant. Testatur *Charisius Instit. Gramm. Lib. I pag. 59, Livium* sæpius neutraliter hoc verbo usum esse, idque, multis exemplis allatis, hic demonstratur. Ibidem: *Tela in hostem, hastaque & gladius.* Τὸ *que* vocabulo *hasta* junctum non concoxit librarius, qui Codicem *Haverkampianum* scripsit; itaque dedit: *hastaque & gladius addita.* Sed ea vox *addita* consensu reliquorum Codicum omnium damnatur. In margine *Livii Perizoniani* Vir Cel. invenit, delendum esse *que*. Sed, cum omnes Codices eam copulam exhibeant, expungendi nulla necessitas est. Pendet autem ab *imperata*. Sensus est: præter arma, quæ tegumenta corporis essent, militi-

 bus

bus ex prima classe lectis etiam arma, quæ tela in hostem ferrent, imperata fuisse duo hæc, *hastaque & gladius*. Illud hic restabat, ut ostenderet Vir Cel. hunc usum vocabulorum *que* atque & probatum esse prosaicis Scriptoribus, & *Livio* inprimis. Id ei placuit ad *Lib. X Cap. 30 §. 2* differre. Ibi sic est: *Et in Etruria per eosdem dies ab Cn. Fulvio Proprætore res ex sententia gesta; & præter ingentem illatam populationibus agrorum hosti cladem, pugnatum etiam egregie est: Perusinorumque & Clusinorum cæsa tria millia.* Sed, pace Viri doctissimi dictum sit, hic locus ad propositum non quadrat. Nam *que* hic manifeste conjungit illud *cæsa tria millia Perusinorum & Clusinorum* cum superioribus: *pugnatum egregie est* &c. Itaque certioribus exemplis opus erit, quæ quare ad *decimum* potius, quam *primum*, *Librum* proferre voluerit, non assequimur. Nobis hujusmodi exemplum e prosaico Scriptore non succurrit. *§ 3: Datum munus, ut machinas ferrent. Lipsio Polior. III, 6*, suspecta vox *ferrent*, quod machinæ humeris ferri non possent, eique substituendum putat: *facerent*. Confirmat *Dionysii* autoritas, qui in prima classe fuisse dicit duas centurias ὁπλοποιῶν καὶ τεκτόνων. Probat hanc conjecturam Cel. *Dukerus*. Et, ne quem offendat repetitio τȣ *facerent*, multas hujusmodi repetitiones in *Livio* ostendit, quod jam ad *Cap. 3 §. 9* hujus *primi* docuerat ipse Cel. *Drakenborchius*. *§. 5: Tertiæ classis in quinquaginta millium censum esse voluit.* Quod librarii non caperent vim præpositionis *in*, mire hic variarunt. *In quinquaginta millium* est *usque in quinquaginta millium summam*. Ita enim *in* apud *Livium* aliosque sæpe occurrit, tanquam *in id tempus*, *Lib. XLIV Cap. 11*. Ceterum non dubitat, quin a vitio locus liber non sit, cum nullus Codicum receptam lectionem servet. Varias conjecturas menti obversari, qua ratione locus persanari possit. Earum unam hanc proponit, quæ facile omnibus in mentem venerit: *Tertiæ classis in quinquaginta millia censum esse voluit*. Sed quis credat, *millia* a librariis mutatum in *millium*? quis in *millia* hæreat? *§. 6: Arma mutata, nihil præter hastam & verutum datum*, quod, manente vulgata distin-

diſtinctione, *Livius* & *Dionyſius* diſſentiant. Sed Vir Cel. monet, ſublato illo diſſenſu, novum ex nova diſtinctione oriri, quod *Dionyſius* quartæ claſſi δόρατα (*haſtas*) tribuat, quas ei eripiat *Doujatiana* diſtinctio. Quod autem ad diſſenſum attinet, qui eſt inter *Dionyſium* & *Livium*, potuerunt diverſos Autores ſecuti eſſe, præſertim cum & in aliis hujus deſcriptionis partibus non inter eos conveniat. *§. 7: In his accenſi, cornicines tibicineſque. Sigonius* e vetere libro protulerat lectionem: *tubicinesque; Gebhardus* autem e *Pal. 2.* Et ſic *Lib. II Cap. 64 cornicines tubicinesque* junguntur, ubi in quibuſdam Codicibus MStis eadem permutatio verborum deprehenditur. *Tubicines* eſt etiam in utraque *Aſcenſiana* A. 1513 & 1516. *Jacobus* autem *Perizonius* legebat: *His accenſi cornicines, tubicinesque*, expuncta *in*. Et hanc conjecturam probat Cel. *Drakenborchius:* non enim *in his*, id eſt, inter triginta centurias quintæ claſſis, fuerunt tres centuriæ deſtinatæ accenſis, cornicinibus, tubicinibusque, ſed *his accenſi*, id eſt, adjectæ ſunt aliæ centuriæ, in quas relati erant cornicines tubicinesque. Nam, *accenſi* qui in re militari Romanorum dicti ſunt, hic locum non habent. *Tubicinesque* autem adeo verum eſt, ut miremur, quare non in contextum receptum ſit; quando nulla ratione probari poteſt, tibiarum in militia Romana uſum fuiſſe. Sed non eſſe nobis videtur, quare pro *in his* neceſſario legatur *his*. Non enim dubitamus, quin dici poſſit, *his accenſi ſunt*, & *in his accenſi ſunt*, pro *in hos accenſi ſunt*, etſi alterum illud uſitatius ſit. Eodem modo in Oratione in *Salluſtium*, quæ *Ciceroni* falſo tribuitur, *Cap. 2: una cum illis annumeratus eſſes*, pro *his annumeratus eſſes*. Luculentius illud eſt pro *Roſc. Am. Cap. 32: Verum ego in grege annumerer.* Ibidem: *in tres centurias diſtributi. Sigonius* jam monuerat, rectius legi *duas*, ut *Dionyſio* conſentiat *Livius*. Cel. *Drakenborchius* autem non *Dionyſii* modo autoritatem poſtulare exiſtimat, ſed ipſum *Livium*, qui in omnibus claſſibus ſuperioribus hoc a *Servio* ſervatum dicat, ut pares eſſent numero ſeniorum juniorumque centuriæ. Id fallere in hac quinta, ſi tres centuriæ ſtatuantur. In ſexta quidem

 claſſe

classe unam centuriam tantum commemorari, sed eam classem fuisse militia immunem, adeoque ista distributione opus non fuisse. Quibus *accensi* militum genus videbantur, facile potuerunt induci, ut totidem centurias fuisse existimarent, quot ordines erant. *§. 9: Ad equos emendos dena millia æris ex publico data; & quibus equos alerent, ei duæ attributæ, quæ bina millia æris in singulos annos penderent.* Primo difficultas oritur e voce *dena*. Non enim verosimile est, tanti tum temporis equos constitisse. Itaque *Hotomannus* equorum nomine etiam ornamenta equestria contineri putabat, *de re numar. pag. 88. Salmasius* autem *de Milit. Cap. 21* legendum censebat, *una millia*, ut *una mœnia* apud *Sallustium* in *Catil. Cap. 6.* Sed *Gronovius de Sest. III, 2,* & *Schelius* in *Dissert. ad Hygin. & Polyb. Cap. 4*, nihil mutandum esse docuerunt. *Budæus de Asse Lib. IV pag. 466*, quoniam *Livius* dicat *equos*, non *equum*, credebat, equitem quemque duos equos habuisse, & unicuique emendo quinque millia, alendo autem mille, æris attributa esse. Contra *Perizonius* in margine *Livii* sui existimavit, ita hæc verba accipienda esse, ut *dena millia* data sint in equos singulos; sed, quoniam ea summa immodica sit illis temporibus, *decem* & *duo* legendum, & hunc sensum esse, quem *Budæus* voluerit. Deinde de viduis quæritur, equitumne viduæ intelligendæ tantum sint, an præterea aliæ; utrum singulæ viduæ bina millia solverint, an plures. Cel. *Drakenborchius* negat, solas equitum viduas intelligi, quod non dubium sit, quin plures equites fuerint, quam equitum viduæ. Sententiam ergo loci hanc esse censet, omnes viduas, quæ in populo Romano fuerint, tributum in singulos annos solvisse, & ex summa tributi bina millia æris singulis equitibus attributa esse. Jam ad alios locos veniemus. *Lib. II Cap. 5* de *Bruto* Consule: *Cum inter omne tempus*, scilicet supplicii, *pater vultusque & os ejus spectaculo esset, eminente animo patrio inter publicæ pœnæ ministerium. Animus patrius* qui sit, quæritur. Nam *Doujatius* & *Clericus* duplicem ejus verbi vim esse statuerunt, primam, ut *patrius animus* sit *paternus*, *patre dignus*, alteram, *bene in pa-*

triam

triam affectus. Et *Doujatius* quidem non dubitat hoc loco alteram illam probare. Cel. autem *Drakenborchius* negat, illum probati Autoris locum afferri posse, in quo hæc sit *patrii animi* potestas. Sensus, ut putat, hic est: Animus patris *eminebat* supra spectaculum vultus & oris, hoc est, magis spectaculo erat, quam vultus & os. *Lib. III Cap. 38 §. 2: Contemni cœpti erant a finitimis populis: imperiumque ibi esse, ubi non esset libertas, indignabantur.* Quæ hic indignatio Romanis tribui videtur, ea vicinis potius, ut vidit *Jo. Fr. Gronovius*, tribuenda est. Itaque pro *indignabantur* malebat idem *indignantibus*. Hæc emendatio, quanquam haud dubie sensum meliorem efficit, tamen, quod nimis a vulgata recedebat, (nam & *que* delendum est,) neque MStorum Codicum autoritate niteretur, minus probabatur *Lamb. Bosio* τῷ πάνυ, cui placebat minori mutatione legi: *imperium qui* &c. Relativi enim secundo loco positi & apud Comicos aliosque Poetas, & apud prosaicos, exempla esse. Apud hunc ipsum *Livium* in Præfatione *Libri primi* est: *meo qui nomine officient*. Idem venerat in mentem *Perizonio* in margine ad *Lib. XXVIII, 12*, qui aliis etiam locis *Livii que* & *qui* permutatum dicit. Eandem medicinam adhibet *Jo. Fr. Gronovius Livio Lib. XXXVI Cap. 22*, & Cel. *Drakenborchius Lib. II Cap. 22* & *23*. Sed Cel. *Dukerus* negat, pro certo affirmari posse, hunc locum esse corruptum, quod *Livius* aliique eadem ratione dicendi aliis utantur locis, & post *indignabantur* intelligi possit *finitimi* &c. Sic *Livius* habet *Lib. II Cap. 56, Lib. XXXIII Cap. 28, Nepos Epamin. Cap. 10, Virgilius Æn. VI, 283, Suetonius Tiber. 63. Perizonius* etiam ad *Sanctii Min. Lib. III Cap. 4 not. 1* multis ostendit, copulam diversissimæ constructionis orationes conjungere. *Lib. III Cap. 55 L. Valerius* & *M. Horatius* legem fecisse dicuntur, qua sancitum sit, *ut, qui Tribunis plebis, Ædilibus, Judicibus, Decemviris, nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset*, &c. *Judices* & *Decemviri* qui in hac lege dicantur, valde disputatum est, neque facile dici posse putabat *Ant. Augustinus* de lege Horatia. *Charonda* judices videbantur, quibus jurisdictio mandata sit, *Verisimil. I, 3. Perizonius* autem *de*

Præ-

Prætorio Diss. I §. 7 Ædiles plebis intelligit, quos *Dionysius* δικαστὰς vocet *Lib. VI Cap.* 1. Sed neutra ſententia certa videtur Cel. *Dukero*. Nam, quod ad *Charondæ* ſententiam attinet, non erat Ædilium & Tribunorum plebis proprie dicta juriſdictio; quod ad alteram attinet, Ædiles plebis potuerunt fortaſſe de menſura jus dicere, vaſa minora frangere, ſed de cauſis pecuniariis, & litibus ceteris, eos judicaſſe, oſtendi non poteſt. *Decemviros* negabat ſe in veteribus libris reperiſſe *Sigonius*, ideoque ejiciendos putabat. *Gebhardus* non reperit in Palatino ſecundo, ſed in melioribus reliquis, & editionibus primis. Aſſerunt etiam *Livio* verba illa, ut putat, *Cap.* 53: *Decemviris quoque ab ira & impetu multitudinis præcavere jubentur*. Fuit etiam, ut hoc addamus, in Codice *Ferrarii*. Vide ad *Cic. Phil. II Cap.* 38. Jam, qui ſublatos *Decemviros* vellent, tanquam *Sigonius*, hac cauſa impulſi volunt, quod, qui *Decemviri* ſint, dicere non habent, negantque, quorum cauſa ſeceſſio facta ſit, eos ſacroſanctos lege fieri potuiſſe. Qui autem tam violenta medicina uti noluere, mire ſe torſerunt in explicando, quinam illi ſint *Decemviri*. Longum eſſet, omnium ſententias commemorare, neque Lectoribus utile, quando ipſe Cel. *Drakenborchius*, commemoratis aliquot ſententiis & rejectis, fatetur, ſibi non liquere, qui hic *Judices* & *Decemviri* dicantur. Nobis non abſurda videtur *Gebhardi* opinio, qui de Decemviris legum ſcribendarum cepit, quibus Conſules hac lege ex SCto ab impetu & ira plebis cautum voluiſſe potuerunt, quæ eos vivos comburi volebat. Vid. *Cap.* 53. Ei opinioni prodeſt illud etiam, quod *Livius* addit, non Decemviros ſanctos factos hac lege, ſed eos, qui violarint. *Lib. IV Cap.* 15: *L. Minucius*, qui præfectus annonæ fuerat, *bove aurato extra portam trigeminam eſt donatus*. *Lipſio* in *Elect.* I, 8, ſuſpecta verba: *bove aurato*, primum, quia *Plinius* duobus locis *ſtatuam* commemorat, non *bovem*, deinde quia non probabile, rudi illa ætate jam auratas ſtatuas poſitas eſſe; quando *Livius Lib. XL Cap.* 34, *Valerius Lib. II Cap.* 5, *Ammianus Lib XIV Cap.* 6, ſtatuam auratam negant in Italia viſam prius, quam a *M' Acilio Glabrione* patri poneretur in æde

æde pietatis. Id fuit A. U. 561. Idem e vestigiis Codicis vetusti sui eruebat: *bove & agro. Klockius* censebat, aut *bovem auratum* dici, qui sit *auratis cornibus*, cujusmodi bove *Decius Lib. VII Cap. 37* donatus sit, aut legendum *bove aratore* vel *aratorio. Gruterus* etiam sic legi posse putabat: *bove & auro*, vel *bove tauro. Jo. Fr. Gronovius* in *Vossiano* Codice in margine antiqua manu scriptum invenerat, *arvo*, unde suspicabatur, *bove & arvo* legendum esse. Cel. *Drakenborchius*, etsi pæne omnes Codices suos in vulgatam conspirare vidit, tamen vitiosam putat, & probat, donec melior proferatur, sententiam *Jac. Gronovii*, qui, cum olim discipulis *Livium* explicaret, *bovem auratum* nugatorium esse monebat, idque magis patere ex eo, quod eo donatus dicatur extra Portam Trigeminam. Itaque conjiciebat, legendum esse: *bove ac prato*, & eo modo docebat commemorari *prata Quinctia Lib. III Cap. 26, prata Flaminia Lib. III Cap. 54, 63, Vacciprata Lib. VIII Cap. 19. Lib. V Cap. 23: Jovis Solisque equis æquiparari Dictatorem.* Puero poterat in mentem venire, legendum *Jovi Solique;* & mirum esset profecto, nisi cuivis veniret. Quare non mirum, si *Scheffero, Cupero, Clerico*, idem in mentem venit sua sponte, neque mirandum, si *Clericus* non vidit, ita jam *Scheffero* visum esse; &, si non miratus est Vir Cel., *Jo. Fr. Gronovium*, Regem Criticorum, non vidisse, conjecturam suam *Lib. I Cap. 43 §. 9* jam a *Dousa* occupatam esse, multo minus mirari debebat, si *Clericus*, mediocris Criticus, non vidit. Sed *Jo. Alex. Roellius* indicavit Viro Cel. sic legendum videri: *Jovis Solisque equis æquiparari Dictatoris*, scilicet equos. Similis est ellipsis *Lib. II Cap. 30: Curæ fuit Consulibus & senioribus Patrum, ut imperium, suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio*, ad quem locum vide *Drakenborchii* notam. *Jac. Gronovio* placebat, vulgatam servari, & huic loco similem esse putabat illum *Lib. IX Cap. 10: Postumius in ore erat, eum laudibus ad cælum ferebant: devotioni P. Decii Consulis, aliis claris facinoribus æquabant.* Vir Cel. nihil definit; sed negat tamen, sine causa sontica a MSto discedendum.

SYLLOGE SCRIPTORUM, QUI DE LINguæ Græcæ vera & recta pronuntiatione Commentarios reliquerunt, videlicet ADOLPHI MEKERCHI, THEODORI BEZÆ, JACOBI CERATINI, & HENRICI STEPHANI; quibus accedunt SIGEBERTI HAVERCAMPI Dissertatio de literarum Græcarum varia, in antiquis præsertim nummis & marmoribus, scriptura & forma, & antiquissima quædam Numismata Græca, numero quadraginta novem, magnam partem inedita.

Lugduni Batavorum, apud Gerardum Potuliet, 1736, 8 maj. Alph. 1 plag. 10, cum Tabb. æn. 10.

Rem Græcarum literarum studiosis pergratam & maxime fructuosam præstitit Cel. *Havercampus*, quod *Adolphi Mekerchii* libellum *de veteri & recta pronuntiatione linguæ Græcæ*, qui huc usque frustra quærebatur, iterum publici juris fecit, & cum eruditis alia similis argumenti communicavit. Non enim prodire tantum jussit *Mekerchianum* opus, sed huic subjecit etiam Dissertationem suam *de veteri & varia literarum apud Græcos scriptura & usu*, in qua omnia ex monumentis antiquis, inprimis Numismatibus & Inscriptionibus, probavit, & in clariori luce posuit. Animus etiam erat doctissimo Viro initio, *Aristophanis* Comœdiam, quæ *Pluto* inscribitur, in privatæ scholæ usum, libello huic subjungere; at mutavit deinde consilium, atque in hujus locum alia doctorum Virorum scripta substituit, qui ante & post *Mekerchum* in eodem stadio decurrerant. Lectoribus itaque sese offert, post *Haverkampi* Dissertationem, *Theodori Bezæ de Germana pronuntiatione Græcæ linguæ* liber, *Jacobi Ceratini de Sono literarum, præsertim Græcarum*, libellus, & *Henr. Stephani Apologeticum pro veteri & germana linguæ Græcæ pronuntiatione.* Posset nonnemo Cel. Editori objicere, deproperatam hanc esse editionem, nec eum veterum secutum fuisse consilium, qui sedulo inculcabant, ne præcipitaretur librorum editio, sed

ut

ut nonum premeretur in annum, præfertim cum animadverterit, inverfum in collocatione fuiffe ordinem, fiquidem *Bezæ* & *Ceratinq* ante *Mekerchum* locus erat affignandus; at ftatim ita cogitare definet, ubi confideraverit, ferius hoc confilium, de ultimis adjungendis, cepiffe Cel. Editorem, quod nifi factum fuiffet, alias infuper de hac re doctorum Virorum adjeciffet lucubrationes. *Jo.* enim *Checus*, Britannus, & *Thom. Smithus*, de fimili argumento fcripferunt. Pofterioris Opufculum invenire nondum licuit, prioris vero addidiffet Editor, fi in tempore ad ipfum veniffet. Quibus ex caufis promittit, in *altero Volumine Jo. Checi* labori locum fe effe daturum cum aliis nonnullis, quæ huc pertinere videntur. Nos, ut lectores noftros paucis doceamus, quid in his contineatur libellis, argumentum reliquorum jamjam impressorum paucis indicabimus, Differtationem vero *Haverkampianam* cum cura perluftrabimus. Quod itaque ad *Mekerchi* attinet laborem, in fronte illius vita, cum dedicatione ad *Francifcum ab Helfaut*, & Præfatione, confpicitur. Ipfa tractatio *Capitibus LIV* abfolvitur. Illud fibi injunctum laboris credidit *Mekerchus*, ut initio pronuntiationem rectam Oratori & Grammatico neceffariam effe probaret exemplis veterum, inprimis *Demofthenis*, deinde demonftraret, dari ejufmodi rectam pronuntiationem, eamque cuilibet linguæ effe neceffariam. Poftea evincit, Græcorum pronuntiationem effe elegantiffimam & facillimam, illam vero barbarorum incurfionibus, Grammaticorum vitio, & corruptela vulgati fermonis, fuiffe vitiatam. Studium tamen omne eo collocandum effe fuadet, ut corrupta reftituatur, & a vitiis purgetur; qua in re fequendam magis putat autoritatem antiquorum, quam ufum præfentem, præfertim cum vulgaris viribus, urbanitate, & euphonia, deftituatur, vetus contra pronuntiatio his fit plena. Pronuntiatio duplex eft, Rhetorica, feu oratoria, & Grammatica, quæ Latine literaria poffet dici. Ut itaque vulgarem emendet *Mekerchus* pronuntiationem, ex veteribus & novis Oratoribus, Poetis, & aliis Scriptoribus, varia collegit, & ad ipfam rem progreffurus, de fono literarum, & de fyllabis, agit. Proinde generatim de literis,

Cap. I. II III. IV – VI. VII – VIII. IX. XI. XII – XXXVII.

teris, & ſpeciatim de Græcis, diſſerit, earum ſonum & pronuntiationem deſcribens, & exemplis probans, literarumque diviſionem ſuppeditans.
Cap. XXXVIII. Syllabam vocat ſpiritus comprehenſionem ad unam vocem exprimendam, eamque triplicem eſſe docet, vel ex una vocali, vel ex duabus vocalibus in mixtam unam vocem coeuntibus, vel ex conſonante una, vel pluribus cum una vocali, aut duabus ad ſummum. Diphthongus ipſi eſt ſyllaba ex duabus vocalibus, in unam mixtam vocem coeuntibus, conflata. Ex omnibus ſolam ſyllabam ου hodie recte pronuntiari putat, ceteras
XXXIX – XLIX. omnes perperam. Propterea Diphthongorum ſonum in genere, deinde uniuſcujusque in ſpecie, deſcribit, antiquamque pronuntiationem variis exemplis & obſervationibus munit.
L – LII. Improprias etiam habet diphthongos, quæ ſunt ᾳ, ῃ, & ῳ.
LIII. Uberius demonſtrat, τ poſt ν, ν ante β, π poſt μ, γ ante γ &
LIV. ſimilia, a noſtris Grammaticis perperam pronuntiari. Omnia tandem circa finem in compendium redegit, & exemplis perſecutus eſt.
Pag. 171. Appendix accedit, ab homine docto conſcripta,
205. ſcholiisque illuſtrata, *de Græcorum accentibus*. Pergimus ad *Sigeberti Havercampi de veteri & varia literarum apud Græcos ſcriptura & uſu* Diſſertationem, quæ nunc ſequitur. Abſolvitur ea
206. *Capitibus XVII. Phœnices* inveniſſe literas Græcas, earumque formam & uſum excogitaſſe, conſtans eſt fama. Deinde ex Phœnicia in Græciam *Cadmus* illas literas portavit. Æoles longius *Cadmeia* ſcriptura utebantur, & colonias ſuas usque in Italiam & Siciliam propagarunt. Inde numi Siculi & alii Æolum more cuſi, & a dextra verſus ſiniſtram ſcripti ſunt.
210. Hoc *Capite II* exemplis nonnullis numiſmatum illuſtratur at-
219. que probatur. *Capite III* in Aſiam & Rhodon Autor procedit, & ex numo Rhodio rem eandem monſtrat, obſervatque ex hoc numo, in voce ιαλασους, more notabili, literam ο literæ υ inſertam eſſe.
224. *Capite IV* Numum proponit, qui caput virile barbatum oſtendit, cui adſcriptum eſt Θαψος; in altera parte apparet arcus & pharetra cum ſagittis, & ſub typo vox οβολος. Antiqua & recens ſcriptio in hoc uno numo deprehenditur; ad caput ſcilicet *Herculis* legitur hunc in modum: ΖΟΨΑΘ, in po-

in poſtica vero parte ΟΒΟΛΟΣ. Differentiæ hujus forte hæc cauſa eſt, quod Thapſii antiquitatem imitari affectaverint. Vox *obolus* pretium numi deſignat. *Numus 6 Neptunum*, pe- Pag. 226.
nes equum ſtantem, læva collum equi jubasque permulcentem, dextra tridentem erectum tenentem, repræſentat. Ab altera parte erecta cernitur ingentis tridentis figura, cum inſcriptione, inſolita literarum forma concepta, literisque, quæ ΡΑΥΚΙΟΙΝ, *Rauciis*, vel ΡΑΙΚΙΟΜ, *Rauciorum*, videntur legi debere. *Raucus* Cretæ inſulæ urbs fuit, cujus maritima potentia *Neptuni* atque tridentis ſymbolo in moneta ſine dubio ſignificatur. Inſcriptio adverſæ partis ſcribendi genus repræſentat, quod Βȣϛροφηδὸν appellant Græci, quod imitaretur boves arantes & ſulcos. *Cap. V Numum 7, 8, 9,* & *10*, expli- 231.
cat. Caput elegans *Minervæ* repræſentat *Numus* 7, galea inſigni tectum, quam non ſolum *Nereis*, in piſcem deſinens, exornat, ſed & emergens ad frontem canis figura. Adſunt literæ ΗΡΚ, ex quibus duæ priores inter ſe connexæ ſunt. Ab altera parte cernitur *Hercules*, nudis manibus, abjecta clava, leonem ſuffocans; inter divaricata ejus crura, ſedet noctua, adjecta inſcriptione: ΕΗΡΑΚΛΕΙΩΝ ΧΑΛΚ, *Heracleenſium Chalcidenſium*, quibus verbis conditorum nomen exprimitur. Plurima antiquitatis veſtigia hunc Numum illuſtrant. Noctua Athenienſium, alterum nomen Chalcidenſium, notat originem. Dimidiata pars literæ Η ante ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ deſignat aſperum in efferenda voce ſpiritum, altera pars vero ejuſdem indicabat olim lenem. *Numus 8* & *9* 235.
caput elegans muliebre bene ornatum ſiſtit; ab altera parte in primo veſpertilio, in volatu alas expandens, cernitur, ſubſcripto ΓΕΛΕΝΙΤΩΝ, *Helenitarum*, in ſecundo numo in parte poſteriori inſcriptio eſt eadem, ſed pingitur vas utrinque anſatum. De ſpiritu aſpero & ejus figura dicta his duobus numis iterum confirmantur. *Numus 10* vas utrin- 236.
que anſatum cum inſcriptione ΗΙΣΜΕΝ, id eſt, ΗΙΣΜΕΝίων, *Hiſmeniorum*, ſiſtit; ab altera parte ingens, ſine ulla inſcriptione, exprimitur clypeus. Antequam vocalis longa Η introduceretur, litera Η ſonum hunc edebat, unde ΗΕ-

Pag. 237. HEKATON scribebant veteres. His in genere præmissis, ad ipsum Alphabetum se confert Cel. Autor, ex antiquaria numorum penu illustrandum. *Numus 11 Capite VI* geminum caput sistit, ex binis capitibus compositum, alterum virile est, alterum muliebre. Ab altera parte *Minerva* cernitur caput, galea tectum, cum epigraphe ΑΘΕ*ναίων*. In quo numo non
238. solum peculiaris literæ A figura est, sed etiam litera E pro H ponitur. *Numus 12* & *13* caput muliebre fascia cinctum, sine in-inscriptione, exhibet; ab altera parte caput virile barbatum cernitur, miro capitis tegmine, cui literæ ΑΝΤΙΣ*Θένης* adscriptæ sunt. Literæ A hic attendi debet figura, quæ est antiquissima, quam & Æoles in Italiam secum vexere. Conjecturam simul proponit Cel. Autor, an non hic numus una parte *Apollinem*, altera Lunam, possit repræsentare, adjecta vero inscriptio ad
243. Antissam, Lesbi insulæ urbem, sit referenda. *Numus 14* caput Jovis Ammonis arietino cornu noscendum, ab altera parte pentagonum, cernitur, in cujus medio circulus, sive litera O. Adscribuntur intra pentagoni angulos literæ ΠΙΤΑ*ναίων*. Non facilis est explicatio hujus numini. An significet, literis humanam omnem includi sapientiam, illas vero omnes prima atque ultima? Nam pro Ω nonnunquam O scribebant. An inventam a cive pentagoni figuram usumque in
244. mathematica disciplina celebret? In *Numo 15* delphinus piscis est, adscriptis literis ΖΑΝΚΛΕ. Ab altera parte depressior figura quadrata, in octo divisa angulos, cernitur, & in meditullio eorundem concha. Omnes fere literæ a vulgata scriptione recedunt. Cusus fuit in Sicilia, antequam urbs Messana novum id nomen adipisceretur, & adhuc vocaretur
246. Zancle. Litera in antiquioribus monumentis minus rotundos, quam nunc, habebat orbes, verum magis angulares. Litera Γ in Monumento Sigæo plane illam obtinet figuram, quam secunda literæ Λ habuit, sed dein post primam figura secunda successisse videtur, ad amussim literæ C Latinorum. Litera Δ eandem quidem in initio figuram, sed alia angulo-
248. rum collocatione, habuit. *Caput VIII*, triplicem literæ E scripturam fuisse, docet, sed figura parum a se invicem discrepante.

pante. Litera Z etiam triplici modo exprimebatur, ut ex *Numo 15* & *17* patet. Scribebatur etiam ⵊ, ut probat *Numus 18*. Pag. 251.
Cap. IX proponit *Numum 19*, in quo est *Apollinis* caput laurea coronatum, in altera parte nomen urbis, quam divinando non assequi potest Cel. Autor. Literæ sunt ΑΥΘΟ, quas putat Phœnicio ordine legendas ΟΘΥΑ. Sed nullam Othyam invenire potuit inter Græcas urbes, an ΟΘΡΥΑ sit legendum, nescit. Θ in hoc numo quadratam figuram habet, quod etiam conspicitur in *Numo 20* & *21*. Ut vera a litera O discerneretur, lineola in medio transversa notabatur. Litera I nul- 254.
lam mutationem in pictura subiit, sed iniquiore fortuna exulare a recentioribus jussa est loco, cum apud antiquos tertium vel sextum casum designaret. In serie verborum cum aliis literis posita, recentioribus subscribitur. Litera K nullam 256.
mutationem passa est, nisi quod minus comte Phœnicibus scriberetur, ut ex *Numo 6* fit clarum. Adde *Numum 22* & *23* ex *Cap. X*. Pro litera K Corinthii antiquiores literam Hebræorum ק adhibuerunt, superne clausam, ut vix a Latinorum Q differret, id quod etiam cernitur in *Numo 24* & *25*. Litera O sæpe apud veteres æquipollebat literæ Υ, quod eo probatur, quia semper in numis pro Συρακουσιοι occurrat Συρακοσιοι. Eodem modo unicum antiquis erat temporibus O, gravem & tenuem habens tonum. In *Numo 26* 264.
Cap. XI scriptio literæ υ est notanda, quæ occurrit ut V Latinum. Litera Λ, superne longiori linea inflexa, sic eminet, ut hodie λ in minori literarum forma scribitur. Litera M apud 266.
Græcos pro temporum ratione dupliciter erat exarata; altera erat vulgata, ut nunc habemus, sed antiquior, ut, cruris posterioris dimidia parte sublata, reliqua in latus divaricaretur. Literæ N eadem fere olim accidebant. Litera O non circu- 267.
larem olim, sed quadratam, habebat figuram, ut est in *Numo 27 Cap. XII*. M nonnunquam pro N positum fuisse, exemplis potest demonstrari. Digamma Æolicum Græcorum ad a- 272.
mussim nostrum F referebat, atque *Claudius* Imperator patrocinio suo nobilitavit. Apparet ejusmodi digamma *Numo 30 Cap. XIII*, & aliis. Adspiratæ vicem, ut litera H dissecta, supple-

Pag. 277. ſupplebat ſæpius. Vid. *Numus 31* & *32.* Π in initio alterum crus
breviuſculum habuit, quod *Numus 33* teſtatur, deinde vero et-
iam alterum crus productum fuit. Litera P varias ſcriptio-
nis mutationes habuit. Capite modo triangulari, modo ro-
tundo, clauſo vel aperto pingebatur circulo, erecta trunci, ſi-
ve lineæ mediæ, figura, vel obliqua. Denique virgulam a par-
te poſteriori addiderunt, & ea forma, qua Latini ſcripſerunt
R. Videri hoc poteſt in *Numo 34* & *35 Cap. XIV.* Litera Σ tri-
plici modo ſcripta fuit olim. Antiquiſſima videtur fuiſſe, in
circuli modum inflexa, ut Latinorum C. Poſt receptam Ionum
283. formam novam, & circulari hac & arcuata Σ ſunt uſi. Dein-
de quadratam etiam habebat figuram. Vid. *Numus 36, 37, 38,*
& *39.* Mali apud veteres ominis famoſa patibuli litera T erat,
de qua plura infra dicuntur. Literæ Υ ſcriptura varia erat an-
289. tiquitus, cornua ejus haud æqualiter divaricantur. Literæ γ
formam haud raro præ ſe fert. Conf. *Numus 42* & *43 Cap.*
XV. Litera etiam Φ non uno modo antiquitus ſcribebatur.
X rectangularem crucem exhibebat, imo cum K ſæpe per-
mutabatur. Litera Ψ perpetuo fere eandem ſcripturam ob-
tinuit, niſi quod lineam rectam atque intermediam nonnun-
295. quam una vel duæ breviores, ſibi ſuperpoſitæ, pertran-
ſeant. Ultimæ literæ Ω non conſtans ſcriptio invenitur.
Non ſine ornatu aperire & projicere crura ſua ſolet in vul-
gari ſcriptura, ſæpe in numis ab o non differt, niſi ſola li-
nea tranſverſa, ſubtus ducta, qualis ſcriptio occurrit in
Numo 40 Cap. XVII. Sæpe etiam figuram ω, quam paſſim in
minuto literarum ordine poſſidet, in numis gerit, denique
pro Ω ſæpius O ponitur. Omnia hæc cum reliquis nonnullis
numis illuſtrat Cel. *Haverkampus*, atque his ipſis inſigne ſpe-
cimen edidit, unde appareat, plurima ex antiquis monumen-
tis pro veteri ſcriptione & vario literarum uſu afferri poſ-
305. ſe iis, qui his rebus delectantur. Hanc Diſſertationem excipit
Theodori Bezæ de Germana pronuntiatione Græcæ linguæ liber.
Paucis de literis Græcis generatim præmiſſis, ita exequitur
Cel. Autor hoc negotium, ut de ſedecim literis *Cadmeis* ini-
tio, deinde de reliquis octo, a *Palamede* & *Simonide* reper-
tis, tum de literis duplicibus, de tribus aſpiratis, de diph-
thon-

thongis & propriis, & impropriis, differat, eorum sonum genuinum nos doceat, & varias observationes adspergat. *Jacobi Ceratini* libellus, qui nunc sequitur, de sono literarum, præsertim Græcarum, *Desiderio Erasmo Roterodamo* inscriptus est, Græcas literas ordine considerans, earumque sonum brevissimis exponens. Claudit tandem agmen *H. Stephani Apologeticum pro veteri ac germana lingua Græca pronuntiatione, ex hodierna cacophonia in priscam euphoniam facile vindicanda.* Operam navat Autor in hac Dissertatione, ut, corruptam esse hodiernam pronuntiationem Græcarum literarum & vocalium, demonstret, deinde variis exemplis probet, longe aliam olim fuisse pronuntiationem, eamque esse instaurandam, & ab orco quasi revocandam.

Sammlung Rußischer Geschichte.

h. e.

COLLECTIO RERUM A RUSSIS GESTArum.

Pars IV, V, & VI.

Petropoli, typis Academiæ Imperialis Scientiarum, 1734 & 1735. 8 maj.

Plag. 17.

Continuationem elegantis instituti, cujus *tres priores Partes A. 1735 Mens. Septembr. pag. 389 seq.* recensuimus & laudavimus, & quod iterum Lectoribus commendare supervacaneum foret, hæ *tres primi Tomi Partes posteriores* exhibent, ad quarum adeo recensionem nos statim accingimus. *Partis quartæ prima Sectio* vitam S. *Alexandri Newsky*, ex memoriis Russicis MStis congestam, & cum externorum Scriptorum testimoniis collatam, continet, ea de causa multis gratam dubio procul & acceptam, quod, instituto ab Imperatrice *Catharina* ordine equestri, nomen Ducis ex Ecclesiæ Russicæ sententia sanctissimi neminem Historiarum studiosum hac tempestate fugiat. Fuit ille Magni Ducis *Jaroslai*, qui priore Pag. 282.

Seculi XIII parte Russis imperavit, filius, &, quod vivo patre, cum Novogardiæ præesset, ab Ordine Teutonico, Suecicis auxiliis subnixo, insignem victoriam ad ripas *Newæ* reportavit, *Newii* vel *Newsky* nomen apud suos promeruit. Patri
Pag. 296. A. 1244 in imperio successit, postquam frater natu major *Feodorus* A. 1232 ipsa nuptiarum die repentina morte esset exstinctus, & suam gentem cum virtute tum prudentia egregia est tutatus, donec a Tartaris Crimæensibus redux in gravem
311. morbum incideret. Monachum tunc induit, *Alexandri* nomine in *Alexii* commutato, & paulo post A. 1261, vel, ut alii volunt, A. 1263, e vivis discessit. Post mortem miraculis claruisse dicitur, honorique ejus *Petrus I* splendidum monasterium ad Newæ ripas exstruxit. Majores posterosque e Tabula Genealogica adjecta, qui volet, discet. *Sectio secunda*
315. de Urbe Albasino, & controversiis circa eam inter Russos & Sinenses ortis, agit. Urbs hæc ab exule quodam Polono fluminis ad Albasinii & Amuri confluentes condita, & Russico Imperio a conditore subjecta, quod Sinenses istas terras ad suum imperium pertinere crederent, vi pacis a *Feodoro Alexide Gollowinio* A. 1689 cum Sinensibus initæ, solo æquata, simul, ne unquam vel a Sinensibus, vel a Russis, instau-
327. raretur, cautum est. *Tertia Sectione* Excerpta leguntur ex Sinensi quadam descriptione itineris Pekingio per Siberiam versus Chalmyccos Astracanenses facti. Edidit illam, a *P. Gaubilio*, Missionario Gallo, Pekingio Parisios missam, P. *Soucietus* in Observationibus suis Mathematicis, Gallice scriptis, *Tom. I pag. 143.* Germanice verterunt nostri Collectores, & minus recte aut obscurius posita notis perpetuis illustrarunt & emenda-
349. runt. *Sectio quarta* est Russicarum Historiarum continuatio ad ductum Chronici *Theodosiani* Kioviensis Magno Duci
352. *Jaroslao*, A. 1056 defuncto, successit filius *Isjiaslaus*, inter quem & fratrem *Wseslaum* intestina bella A. 1066 exorta sunt. *Wseslaus*, post amissam Meneskiam, prælio etiam cruento ad Nemisam victus, facile audiit fratrem, ad colloquium, quo illa lis amice componeretur, vocantem, sed, violata sacramenti dati fide, captus & Kioviam abductus est. Luit

per-

perjurii pœnam *Issjiaslaus* anno sequenti, quo Kiovienses, post preces pro *Joseslai* libertate frustra fusas, facta seditione, *Ioseslaum* liberarunt, & *Issjiaslaum* regno pepulerunt, in quod *Boleslai*, Polonorum Regis, ope restitutus est. A. 1078 gentis ethnicæ, quam intestina dissidia in Russiam adduxerant, & Polowziis junxerant, victor, cum locum, in quo prælium commissum erat, incautius lustraret, ab hoste moribundo jaculo humerum percussus interiit. Pag. 357.

In *Partis quintæ Sectione prima* Chronici *Theodosiani* Excerpta continuantur. *Issjiaslao* successit frater *Wsewolodus*, & ad 359. A. 1093 regnavit. Hic successorem habuit *Swetopolcum*, cui *Wolodimerus*, *Issjiaslai* filius, intestinorum dissidiorum evitandorum causa, sponte cessit. Multa cum Polowziis bella & prælia, 363. vario eventu, gessit, sed erant quoque domesticæ inter Principes Russos contentiones, quæ ut sopirentur, tollerenturque funditus, conventione omnium Russici sanguinis procerum, *Swetopolci* ipsius, *Wolodimeri*, *Davidis Igoriizii*, *Wasilkonis*, *Davidis Swetoslawizii*, & *Olegi*, A. 1097 effectum videbatur. Displicebat hoc nonnullis hominibus sanguinariis, qui, ut fœdus 374. rumperent, *Davidi Igoriizio* persuadebant, *Wolodimerum* dolo malo agere, *Wasilkonem* suam & Magni Ducis perniciem meditari. Cum *Davides* idem *Swetopolco* persuasisset, & *Wasilko*, periculi ignarus, paulò post Kioviam venisset, captus, &, crudelitate inter Russos non audita, oculis privatus est. *Wolodimerus*, *Davides Swetoslawizius*, & *Olegus*, injuriam *Wasilkoni* illatam ulturi, bellum inferebant Magno Duci, sed, matre *Wolodimeri* deprecante, ab armis discessum. *Davidem*, 384. facinoris autorem, *Wolodarus*, *Wasilkonis* frater, in urbem Buschkam compulit, &, ut *Wasilkonem* libertati restitueret, coegit; sed & postea *Davides*, aliquotiès Russia ejectus, exilio pœnas dedit. Post varia cum Polowziis, æternis hostibus, prælia, 396. *Swetopolcus* A. 1114 fato suo functus est, regnumque vacuum *Wolodimero* reliquit, qui eo ad A. 1125 potitus est. *Mstislaus*, 398. filius natu major, postquam per septennium rebus Russicis præfuisset, A. 1132 *Jaropolco* fratri sedem vacuam reliquit, 401. qui, post imperium fraterno brevius, A. 1138 eandem mortis semitam calcavit. *Secunda Sectione Olegi & Igori*, Magnorum 407.

Ducum, res pace belloque cum Græcorum imperio gestæ per epitomen ex veteri Chronico Russico Anonymo exhibentur. Ad Seculi IX finem, & X partem priorem illustrandam hæc Epitome facit, qua tempestate Magni Russiæ Duces Christo
Pag. 420. nomen nondum dederant. *Tertia Sectione* ex *Witseniano* Opere refertur, quantas res *Caldanus*, sive *Buschtuchanus*, Chalmyccorum Princeps, adversus Mungalos A. 1685 & sequentibus gesserit, *Bogdorhani* tamen potentiæ tandem impar, a quo A 1696 ad fluvium Kerlonum prælio victus, vel ex
438. mœrore, vel sumto veneno, interiit. *Quarta Sectione* bella & res gestæ magni Ducis *Swetoslai*, qui Seculo X, sub *Nicephoro Phoca* & *Joanne Tzimisce* Russis imperavit, ex Græcis Scriptoribus, *Scylitze*, *Cedreno*, & *Zonara*, collectæ, leguntur, quam operam ideo in se suscepit doctissimus Autor, ut ea, quæ in *Parte II* hujus Collectionis de *Suetoslai* expeditione Bulgarica leguntur, magis illustrentur.

455. *Partis sextæ prima Sectione* de rebus Russicis, quæ restabant, ex Chronico *Theodosiano* Kioviensi subsequuntur. *Jaropolco* A. 1138 mortuo, *Watschesiaus*, *Wolodimeri* filius, vacuam sedem occupavit, mox eandem *Wsewolodo Olgewizio*, armis jus suum vindicaturo, ut humano sanguini parceretur, cessit. Varia pro more inter Principes Russicos dissidia & bella suborta, inter quæ *Wsewolodus* A. 1146
459. decessit. Frater *Igorus* Kioviam occupabat, sed Kiovienses in *Issjiaslaum*, Perejaslaviensem Dynastam, inclinabant. Huic cum copiis appropinquanti *Igorus* occurrit, sed victus, captus, monasterio inclusus, nec multo post sponte sua sacrorum causa tonsus est, quod tamen nihil impediit, quo mi-
460. nus, novis turbis contra Magnum Ducem *Issjiaslaum* obortis, a seditiosa Kioviensium plebe raperetur e monasterio, & trucidaretur. *Issjiaslaus*, a suis A. 1146 persuasus, *Rostislaum Jurgewizium*, quomodo regno Magnum Ducem pelleret, meditari, eum vinctum ligatumque patri *Georgio*, Susdaliensi Principi, remisit; qua re offensus *Georgius*, ingens & diuturnum bellum civile excitavit, vario Marte gestum, in quo *Issjiaslaus*, plus simplici vice Kiovia pulsus, Russia ejectus est, Polonica tamen & Hungarica ope restitutus, in pristina

ſtina dignitate A. 1154 obiit. Audita Magni Ducis morte, *Iſjiaslaus Davidowizius* advolabat, ſed, quod *Roſtislaus Smolenskins* nondum adeſſet, a *Watſcheslao* in urbem non eſt admiſſus. *Roſtislao* enim Kievienſes Imperium deſtinarant, quod etiam paulo poſt rite ſuſcepit. Sed recrudeſcebant mox inteſtina diſſidia, Magnus Dux, ob animum tantis turbis imparem, Kiovia auſugiebat, Kiovienſes *Iſjiaslao Davidowizio* imperium deferebant, redux ex Ruſſia *Georgius* regnum ab *Iſjiaslao* repetebat, &, quod hic eſſet inferior copiis, obtinebat. Obiit hic Princeps, magnis rebus geſtis inclytus, A. 1157. Kioviam occupabat *Iſjiaslaus Davidowizius*, hunc pellebat *Mſtislaus Iſjiaslawizius*, qui A. 1158 urbem *Roſtislao* tradebat, qui A. 1167 obiit. Sub hoc Principe *Leonina* hæreſis orta, a *Leone*, Epiſcopo Suſdalienſi, nomen ſortita, qui non ſolum Mercurii & Veneris diebus, ſed etiam omnibus dominicis & feſtis, ipſis feriis natalitiis & baptiſmalibus Chriſti, carne abſtinendum eſſe, erronee, ut reliquis Epiſcopis videbatur, docebat. Kioviam occuparat *Wlodimir Mſtislawizius*, hunc ejiciebat *Mſtislaus Iſjiaslawizius*, hunc *Mſtislaus Andrewizius*, qui A. 1165 filium *Glebum* Kioviæ præfecit, qui A. 1172 deceſſit. *Andreas* Kioviam *Romano Roſtislawizio* commendavit, anno tamen 1175 *Jaroslaus Iſjiaslawizius* Kioviæ rerum eſt potitus. *Andreas*, magni nominis inter ſuos Princeps, A. 1175 a ſicariis occiſus eſt. *Sectione ſecunda* acta Pacis A. 1689 inter Ruſſos & Sinenſes prope Nerſchinskoam initæ traduntur. Scilicet hæc eſt illa pax, qua bellum, ſuper *Albaſino* ortum, fuit ſopitum. *Sectionem tertiam* tria Reſcripta occupant, primum Auguſtiſſimi Cæſaris *Caroli VI* ad rei librariæ Commiſſarium Francofurtanum, ut libros Petropoli impreſſos, ſed in Germania recuſos, indaget, & fiſco addicat, alterum ejuſdem Cæſaris ad Rempublicam Norimbergenſem, ut librum Petropolitanum, a Bibliopola Norimbergenſi recuſum, in fiſcum redigat, & ſimilibus facinoribus ſuos interdicat, tertium Potentiſſimi Poloniarum Regis *Auguſti III* ad Conſilium Saxonici Electoratus intimum, quo ſimiles auſus in ditionibus ſuis Germanicis vetat. Ultimo loco Index in hunc *primum* Operis *Tomum* comparet.

Margin references: Pag. 478. (beside line 1); 483. (beside "tus, A. 1157. Kioviam occupabat"); 486. (beside "lao tradebat, qui A. 1167 obiit"); 488. (beside "Andrewizius, qui A. 1165"); 492. (beside "mendavit, anno tamen 1175"); 493. (beside "rum eſt potitus").

CLAVIS DIPLOMATICA, TRADENS SPECIMINA veterum Scripturarum, nimirum Alphabeta varia, compendia ſcribendi medii ævi, Notariorum veterum ſigna nonnulla curioſa, una cum Alphabeto Inſtrumenti & Abbreviaturis, ſingula Tabulis æneis exhibita; quibus præmittuntur Introductiones neceſſariæ, ſubjiciuntur Scriptores rei diplomaticæ, aliaque ad lectionem & intelligentiam veterum Codicum, Chartarum, & Diplomatum, facientia, variis Annotationibus hiſtorico-literariis hinc inde additis, ſtudio & opera DANIELIS EBERHARDI BARINGII.

Hanoveræ, ſumtibus hæredum B. Nic. Fœrſteri & Filii, 1737, 4 maj.

Alph. 1, cum Tabb. æn. 17.

Si vero convenit, quod *Livius* de Hiſtoriæ amœnitatibus lactea ſermonis ubertate diſſeruit, *in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum eſſe, omnis nos exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri*; non ſane illaudabile horum aut irritum cenſendum eſt ſtudium, qui non antiquiorum modo temporum, ſed noſtri etiam ævi, res memoratu dignas altius veſtigant, &, ſicut veterem Hiſtoriam luculentis numorum, lapidum, marmorumque, inſcriptionibus & ſignis corroborare, ita recentiorem Chartarum publicarum, Diplomatumque, Regum juſſu conſcriptorum, autoritate validius firmare, ſtudent. Eo quidem plurimi gentis noſtræ ſumma ope annisi ſunt, ut ſalebroſam & difficilem medii ævi Hiſtoriam, Diplomatum eruendo ſenſum, expeditiorem redderent; verum, licet Gallorum eximium quondam decus, *Jo. Mabillonius*, in immortali de arte Diplomatica libro eruditis facem prætulerit, novarum tamen literarum & in ſemet ipſas implicitarum ſpecies inuſitata legentibus crucem fixit, quæ niſi Clar. *Baringii* ingenio, depictis omnium fere a Seculo VI annorum ſcripturis, explicatæ, & in ordinem ſuum digeſtæ fuiſſent, plures fortaſſis a conatu perquirendi tabularia deterruiſſent. Converterat ſe olim *Nicolaus Staphorſtius* ad ſcribendum opus *de Abbreviaturis veterum Germanorum, &*

inpri-

inprimis Saxonum, ſed nunquam abſolutum, certe non publicatum; at bene ſe habet, quod, defuncto non ignobilis memoriæ Viro, Cl. Autor abunde ſitim & deſideria patriæ noſtræ explevit, atque librum ſuum *de Compendiis ſcribendi medii ævi*, *ſeu Abbreviationibus*, A. 1735 prelo ſubjectum, jam vero dimidia ex parte, ſaltem figurarum numero, adauctum, *Clavis Diplomaticæ* ſub titulo evulgavit. Clavis vocabulo eo lubentius inſcripſit librum, quo firmius ſtatuerat, non integra Diplomatum exempla orbi literato tradere, ſed inſtar Theologorum, Jureconſultorum, Hiſtoricorum, eandem viam in ſcientiis ſectantium, clavem ſeu indicem ſcripturarum componere. Integram libri faciem ſi accuratius paulo ſpectemus, ad ſex potiſſimum momenta elegantem ingenii fœtum redigi poſſe deprehendimus. Conſtat enim 1) Præfatione, diffuſiore paululum, at non inerudita; 2) *Mabillonii* Commentatione de variis ſcripturarum medii ævi modis; 3) *Struvii* Diſſertatione de criteriis MStorum; 4) Obſervatione de literæ C. in Diplomatibus genuina ſignificatione; 5) Tabulis, ſigna medii ævi, & ſcripturarum figuras, referentibus; 6) Bibliotheca Diplomatica; quibus capitibus pauliſper inhærere, e re noſtra eſſe ducimus. Præfatio multum a perverſo quorundam ritu, in limine operis ſui auram eruditorum popularem captantium, aut inani verborum ſtrepitu, aſſentationibusque, plauſus ambientium, recedit, & cum fructu Lectoris multa, Autoris ingenio haud indigna, profert de ſcripturæ & literarum origine, quæ profecto diſquiſitio feliciſſima plerumque ingenia exercuit. Prædicata poſtmodum Regis *Auguſtiſſimi Georgii II*, cujus & nomini ſacravit librum, munificentia, & prolixa in ſe Hamburgenſis Bremenſisque Senatus voluntate, dividit Abbreviaturas in *generales*, quæ omnibus conveniunt vocibus, & *ſpeciales*, quæ in Autore tantum certo nobis obvenire ſolent. Pag. 12.
Originem Abbreviationum Tachygraphis tribuit, illásque a *Tirone*, *Ciceronis* liberto, *Tironis notas* fuiſſe nuncupatas, optime monet. Ex præcipiti feſtinataque ſcribendi ratione 15.
ingentes naſci hallucinationes poſterorum, lectionesque Criticorum varias, oſtendit, plerorumque eruditorum, male legen-

Pag. 18. gentium, errores detegens. Hac inprimis ignorantia *Fridericum Ernestum Kettnerum* laborasse, variis Diplomatum avtographis nos docet, quæ ne lecta quidem probe, nedum intellecta, ab Autore Historiæ Reformationis & Antiquitatum Quedlinburgensium fuerunt. Eodem pacto falli lectores contendit, qui, *Christiani Schlæpkensii* in *Historia Bardewiciensi* excussa, & *Nicolai Schatenii* excitata ubique, Diplomata perlustrantes, exemplis manu delineatis ex asse ea respondere, sibi persuadeant. Aliquoties enim verba desiderat Cl. Autor, persæpe integras periisse lineas monet, quæ tamen rei historicæ clarissimam affundere lucem potuissent. Emendavit præterea *Schatenii*
32. Diploma quoddam ex MSto Codice Corbejensi, & peccata plurimorum circa orthographiam obelo censoriaque virgula no-
36. tavit. Excurrit, hoc facto, in Autorum præconia, qui post *Mabillonium* veterum scripturarum specimina dederunt. Refert huc *Papebrochium*, *Hickesium*, *Donium*, *Gorium*, *Fontaninum*, *Casleyum*, *Elstobiam*, eruditam Britannorum fœminam, *Bütnerum*,
41. & alios. Discernit dein sollicite *sigla* a *monogrammatibus*, &, cum supra, præeunte *du Cangio*, definiverit sigla tanquam *literas singularias*, *ita dictas*, *quod singulæ verbum componant*, monogrammatum descriptionem addit, quæ stilo Cl. Autoris
42. *nomina sunt compendio descripta*, *ac certis literarum implexionibus concinnata*. Non dissimulat demum fontes, ex quibus
50. rivos suos, amœnos satis & dulcedine amabiles, hauserit. Videlicet primus fuit *Othonis Murenæ*, & *Acerbi*, *Ottonis* filii, *liber gestorum Friderici Ænobarbi Imperatoris*, Codex multis abbreviaturis refertissimus, qui voces & syllabas lectu difficillimas Cl. Autori suppeditavit, primamque ad conficiendum hoc Opusculum ansam præbuit. Hactenus *Conradi Halberstadiensis Chronographia summorum Pontificum & Imperatorum*, Codice, ut ipse profitetur, sat spisso & inedito, usus, figuras inde & notas decerpsit, quibus tuto fidere poterit Lector, nec unquam, talibus innutritus, a veri Historici sensu deflectet. Absoluta Præfatione, *Mabillonii* Commentationem, de variis
57. scripturarum modis, in *Libri* de arte Diplomatica *primi Capite XI* exstantem, adjungit, cujus vel solo nomine ingens Operi
[illegible] decus

decus conciliatum iri credit; at, quanquam omne magni facimus, quicquid *Mabillonii* Musa ore fœcundissimo protulit, merito tamen eruditissimis ejus doctrinis abstinemus, ne vel cramben bis coctam Lectori, dictorum sine dubio a nobis in *Actis A. 1682 Mense Majo*, & *A. 1710 Mense Julio*, probe memori, apponamus, vel interius admissos rerum præstantia ad Asiaticum quoddam, & ambagibus suis tortuosum, avocet dicendi genus. Neque *Struvii* Dissertatio *de Criteriis Manuscriptorum*, erudita satis, & critico sale conspersa, nos moretur, quippe *Collectaneis MStorum*, A. 1713 Jenæ publicatis, dudum attexta; sed Observationem Cl *Baringii* de significatione literæ C., quæ in ipsa Diplomatum antiquorum fronte cernitur, qualiscunque oratio nostra illustret. Notum enim est, & iis facile innotescet, qui animum ad ipsam monumentorum perlustrationem applicant, ab initio plerumque Diplomatis aut C. nudum apparere, aut huic C. oblongam literam J. cum A. & Ω. insertam legi, quæ nota, cum Cl. Autori altioris esse indaginis videretur, nec a *Mabillonio* quidem, diligentissimo alioquin figurarum scrutatore, explicita sit, non infelici successu, nec minori acumine, protrahitur in lucem & extricatur. Per C. enim *Caput chartæ* seu initium intelligit J. vero & H. cum C. connexæ, sententia Cl Autoris boni ominis felicisque auspicii causa adjectæ, *Jesum Christum* designant, cui bene A. & Ω. convenire videntur. Hinc literas majores *Capitalium* traxisse nomen putat, & *Capitulum*, seu *Capitulare*, apud medii ævi Scriptores haud inepte dici hariolatur, quod, si quis velit bonum ex Diplomate sensum enotare, necesse sit, ut ab initio scriptio legatur, nec cum prioribus temere confundatur. Hujus rei penitius contemplandæ gratia Diploma non solum *Wicmanni*, Antistitis Magdeburgici, exscripsit, sed in peculiari etiam Tabula varias, tum sinuosiori, tum longius fluenti, curvamine expressas olim, literæ C. figuras satis operose & diligenter in æs incidi jussit. Succedunt Tabulæ numero XXXIII, quarum singulæ non oculos modo, sed animum etiam, pascunt, & ad lectionem monumentorum celeri facilique compendio ducunt. Quatuor

Pag. 76. 102. 104. 105. 110.

tuordecim priores Alphabeta varia & ſpecimina medii ævi ſcripturarum explent, adjectis hinc & inde annis, quibus exaratum fuit vetus quodque monumentum. Hæc excipiunt abbreviaturæ Germanicæ, ordine Alphabetico diſpoſitæ, quibus acceſſerunt compendia vocum, in MStis Seculi XIV, XV, & XVI, occurrentia, Tabulisque V oculis noſtris ſubjecta. Tertium occupant locum Notariorum veterum ſigna nonnulla, contemplatione digna, una cum Alphabetis inſtrumenti & abbreviationibus annorum 1377, 1389, 1394, 1435, 1471, & 1521, Tabulis VII repræſentata. Primo *Everardi Kerckhoffii* ſignum exſtat, alterum *Heydeckini de Brunſwick*, tertium *Joannis Reymberti*, quartum *Joannis de Overenkerken*, eſt, ſeptimum *Joanni Calviſio* debetur. Ulterius progredientibus nobis offerunt ſe Tabulæ Alphabeticæ VI, quarum *princeps* 1) alphabetum majus veterrimi Codicis apud Herbipolenſes, Epiſtolas D. *Pauli* cum Præfationibus complectentis, 2) alphabetum ex libris Dialogorum & Homiliarum Divi *Gregorii*, cum vocabulis aliquot notabilioribus, 3) Gallicum vetus ex *Mabillonii* re diplomatica, 4) Gothicum, exhibet: *ſecunda* 1) alphabetum Seculi VI; 2) Franco-Gallicum & Merovingicum, 3) alphabetum Pſalterii, 4) Saxonicum vetuſtiſſimum, 5) Longobardicum Seculi VIII, 6) Carolinum, ſeu Francicum, monſtrat: *tertia* & *quarta* diverſarum medii ævi ſcripturarum, & quidem literarum Latinarum majuſculalarum, quales in pervetuſtis Diplomatibus & chartis obveniunt, ſpecimina oſtendit: *quinta* literarum Latinarum minorum, in priſcis Diplomatibus, Chartis, & Codicibus medii ævi occurrentium, formas, adſculptis annis, quibus unumquodque monumentum vetus exaratum fuit, præbet: *ſexta* denique alphabetum Seculi X, ex avthentico Diplomatum *Henrici Aucupis*, *Ottonis I*, & *Henrici*, Regis, Codice, neque minus ex oraculorum divinorum libris, depromtum, adducit. Harum vero inſignem chorum Tabula, Obſervationi de litera initiali C. unice ſacrata, & Scriptorum rei diplomaticæ index, claudunt. Fuerunt enim nonnulli, quibus partim

tim de rei diplomaticæ natura & constitutione, partim de monumentorum vetustate autoritateque, disputandi opportunitas enata est. Hinc Cl. Autor, naturali ordine de omnium fere scriptis acturus, a rei diplomaticæ, generatim spectatæ, scrutatoribus primordia cepit, inde ad litium diplomaticarum in Germania autores progressus. In utramque vero partem disceptatum fuit de *Magdeburgicæ civitatis Diplomatibus*; de *Tre-* Pag. 9.
virensibus atque Cœnobii S. Maximini; de *nonnullis Bremensi-* 10.
bus; de *Scholis Episcopatus Osnabrugensis*; de *exemtione Cœ-* 14.
nobiorum Cistercienſium in S. R. I.; de *Monasteriorum Wür-* 16.
tzenbergicorum Diplomatibus; de *Diplomate Caroli M. sive de* 17.
Frisia consulari; de *Lindaviensis Cœnobii Diplomatibus*; de *jure* 18. 20.
Antistitis in Argentoratum; de *Cœnobii Reichenavensis jure in Ulmam*; de *Ottenburensis Cœnobii libertate*; de *Diplomatibus* 22.
Caroli M. circa præsulatum Compidunensem; de *Franconiæ dominatione inter Wirtzburgenses & Bambergenses*; de *Diplomatibus Erfurtensis Cœnobii S. Petri*; de *expeditione Caroli Crassi*; de *formula Ducatus Brandenburgici*; de *Horreensis Cœnobii originibus*; de *supposititio Diplomate Comitibus de Gleichen scripto*; de *Pseudo-Diplomate Carolino Aquisgranensibus dato*; de 26.
Austriacis privilegiis, quæ Julio Cæsari, Neroni, aliisque largi- 25.
toribus, tribuuntur; de *fœdere inter Carolum, Regem Galliæ, & Duces Saxoniæ, Fridericum atque Guilielmum*; de *Ottonis M.* 27.
Diplomate fundationis Bergensis ad Albim Cœnobii; de *immu-* 28.
nitate & exemtione Abbatiæ Fuldensis; de *Diplomate Ottonis III,* 31.
Monasterio S. Mariæ Gandershemensi concesso; de *Henrici VII, Romanorum Regis, Diplomate, A. 1226 in gratiam Præpositi Hildesheimensis concesso*, quarum contentionum & causas rimari, & scriptores nosse, multum interest. Neque in hoc pertinax Cl. 36.
Autoris industria substitit, sed *Diplomatum* quoque *Collectores*, 43.
Historicos, qui res a se consignatas Diplomatibus illustravere, 66.
JCtos Diplomatum cultores, *Opera Diplomatica promissa*, & *XIV* 67. 69.
Diplomatum ac Documentorum hactenus ineditorum Appendicem, subjunxit. Ceterum, multa de scriptis illis hic loci excerpere, nil attinet, seu quod nimis longum foret, seu quod, hasce delicias cujusque Lectoris studio relinquere, magis consultum videatur. Ubi vero Cl. Autor ardentissimum erga Hi-

ſtoriam medii ævi amorem ſignificat, *Notitiam*que *Scriptorum rerum Brunſuicenſium & Luneburgenſium*, *Provinciarumque annexarum*, quin & *Corpus hiſtoricum Scriptorum Brunſuicenſium & Luneburgenſium Latinorum a Reformationis tempore*, minatur, læta mente divinamus, fore, ut, ſi pondere conceptæ ſponſionis ſe exoneraverit, plauſum ei orbis eruditus perhonorificum decernat.

NICOLAI AVERANII, J. C. ET MATHEMAtici Florentini, Diſſertatio de Menſibus Ægyptiorum, in gratiam ANTONII MARIÆ SALVINII, *adjectis Notis P.* HENRICI NORIS, *curante* ANTONIO FRANCISCO GORIO, *nunc primum edita.*

Florentiæ, excudebat Cajetanus Albizinius, 1737, 4.
Plag. 10½.

Nemo, quod ſcimus, tam barbarus, tamque moroſus, manſuetiorum literarum oſor exiſtit, quin cultiſſimum *Gorii Muſeum*, & inſigniores vetuſtatis, quæ Florentiæ ſunt, reliquias, colat, miretur, ſuſpiciat, &, ſi quis forte tanti literarum vindicis in Italia famæ turpiter invideat, caveat ille ſibi, ne literati orbis commodo, ex præſtantiſſimi hujus Viri inſtitutis largiſſime provenienti, ſuccenſeat. Opus enim incomparabile, ut ſuas Veneres, & quicquid demum ſacræ Muſarum cohorti arridere poteſt, ſecum affert, ſic plura etiam cimelia, auro omni cariora, pulveri ſuo & ſordibus eximit. Latuerat quippe diu doctiſſimi, dum viveret, *Nicolai Averanii* elaboratiſſima *de Menſibus Ægyptiorum* Diſſertatio in illuſtris Viri, *Joſephi Averanii*, ſcriniis, e quibus ut exiret, volitaretque per ora virum, *Gorius* noſter, quo eſt in optimas literas ardore & in eximia patriæ ſuæ ingenia pietate, effecit. Acciderat enim, ut, cum ad illuſtranda maximi moduli Numiſmata, quæ in *Volumine IV Muſei Florentini* e Mediceo theſauro tradet, ſe comparaturus,

rus, cum illustri *Josepho Averanio* de numis Imperatorum *Cæsarum*, in Ægypto percussis, atque epocha signatis, differeret, liberalis ille Vir ingenii statim fratris sui, *Nicolai Averanii*, Commentationem *de Mensibus Ægyptiorum*, brevibus notulis a præclarissimo Viro, *Henrico Norisio*, tanquam nitidissimis gemmis, exornatam, non promeret modo, sed *Gorio* etiam dono daret. Accepit Noster lubentissime munus, sed ita accepit, ut gratiam se haud proletariam a Viris doctis initurum esse speraret, si opellam hanc omni doctrina cultissimam e tenebris in lucem proferret. Prelo igitur liber exiit, nosque fas & æquum esse judicamus, tam excellentis libelli formam levi penicillo adumbrare. *Primum* Dissertationis *Caput* monstrat, *singulos Ægyptiorum menses triginta dies habuisse.* Illud probat ex loco *Ptolemai* & aliorum, quorum ille dixerat, se maximam distantiam Mercurii a Sole, quæ fieri solebat die 30 mensis Φαμενὼθ, die primo subsequentis mensis observasse, ex quo evincere conatur Autor, dari non nisi triginta dies mensis. *Caput II de ordine, ac serie, & nominibus, mensium* agit. Hunc mensium Ægyptiorum ordinem fuisse putat Autor quondam Celeberrimus, ut Θὼθ initium caperet, Φαωφὶ sequeretur, tertium occuparet locum Ἀθὺρ, quartum Χοιὰκ, quintum Τυβὶ, sextum Μεχὶρ, septimum Φαμενὼθ, octavum Φαρμουθὶ, nonum Παχὼν, decimum Παϋνὶ, undecimum Ἐπιφὶ, duodecimum tandem Μεσορὴ. Quia superius probaverat, tricenis constare diebus mensem quemlibet, sequitur inde, ut, cum Ægyptii duodecim menses numeraverint, dies exinde conficiantur CCCLX, non, ut multi existimant, CCCLXV. Interim *Ptolemaus* diserte scribit, constari Ægyptiorum annum ex diebus CCCLXV. Quo pacto igitur hæc concilientur? At vero his XII mensibus adjungebant quotannis dies quinque, quos ἐπαγομένας, hoc est, intercalares, vocabant. *Capite* igitur *IV de diebus superadditis & intercalaribus* sermonem instituit Autor, &, quinque dies additos fuisse, exinde colligit, quod *Ptolemaus Lib. IV Cap. IX* tradat, a die 16 mensis ultimi Μεσορὴ usque ad 9 diem mensis sexti

Pag. 2 | 4 | 7 | 14 | 15

Pag. 17. Μεχὶρ præteriiſſe dies 178, ex quo deducitur, usque ad primum diem menſis Θὼθ præteriiſſe dies 19, & proinde dies
18. ſuperadditos eſſe quinque. *Capite V* exquiſitius *ſeriem & menſuram menſium* ex ipſa intercalarium dierum natura &
20. calculo ſubducto confirmat. *Caput VI*, quod princeps & pulcherrimum nobis videtur, *collationem menſium Ægyptiorum & Romanorum inexplicabilem* nobis ſiſtit. Diſputatis enim in utramque partem ſat multis, & ſingulorum Scriptorum eruditis argumentis ad lydium lapidem exactis, qui primum Menſem Θὼθ modo Novembri, modo Decembri, modo Martio, vindicant, tandem in propatulo eſſe profitetur, nulli certo menſi reſpondere Ægyptiorum menſes, nec ope-
31. ræ pretium eſſe, de ſingulis idem probare. Nam, ſi appareret, menſem Θὼθ convenire Novembri, ſequi inde arbitratur, ut Φαωφὶ Decembri, Ἀθὺρ Januario, Χοιὰκ Februario, Τυβὶ Martio, Μεχὶρ Aprili, Φαμενὼθ Majo, Φαρμȣθὶ Junio, Παχὼν Julio, Παϋνὶ Auguſto, Ἐπιφὶ Septembri, Μεσορὴ Octobri, reſpondeat. Sin Θὼθ cum Decembri potius comparari poſſe dictum fuiſſet, etiam Φαωφὶ cum Januario, Ἀθὺρ cum Februario, Χοιὰκ cum Martio, Τυβὶ cum Aprili, Μεχὶρ cum Majo, Φαμενὼθ cum Junio, Φαρμȣθὶ cum Julio, Παχὼν cum Auguſto, Παϋνὶ cum Septembri, Ἐπιφὶ cum Octobri, & denique Μεσορὴ cum Novembri, eo ordine, quem ſupra poſuerat, convenire putat. Ita denique reliqui a ſede mutandi eſſent, ſi probatum fuerit, Θὼθ Martio, aut Auguſto, aut Junio, convenire. Interea, ne quid ſua culpa inexpertum relinquat, anxie ſolliciteque horum inter ſe menſium ſimilitudinem non in hoc tantum *Capite* inve-
47. ſtigat, ſed in *ſeptimo* quoque opinionem ſuam corroborat, *ad concordandas expoſitas varietates*, ubi profecto Autoris acumen & dexteritatem in difficultatibus tollendis veneramur. Neque hac contentus expoſitione eſt, ſed multis obſervationibus, a Solis defectu arceſſitis, ſententiam ſuam for-
64. tius tuetur, & ſub finem doctiſſimi libelli *de annis & menſibus Alexandrinis* aliqua non injucunda ſubjicit, noſque aperte docet, juxta Alexandrinos pariter ac Ægyptios die octavo menſis

ſis Χοιὰκ annum incepiſſe, & utrorumque menſes in ceteris omnibus eadem ratione procedere.

THESAURUS ZEYLANICUS, EXHIBENS Plantas in Inſula Zeylana naſcentes, inter quas plurimæ novæ ſpecies & genera inveniuntur. Omnia Iconibus illuſtrata, ac deſcripta, cura & ſtudio JOANNIS BURMANNI, Med. Doct & Botanices Profeſſoris in Horto Medico Amſtelædamenſi.

Amſtelædami, apud Janſſonio-Waesbergios, & Salomonem Schouten, 1737, 4 maj.

Alph. 1 plag. 15, Tabb. æn. 110.

Elegantiſſimum Opus Plantas continet rariores, quas vel Autores rerum Zeylanenſium declararunt, vel Herbariorum vivorum ſupellex ſuppeditavit. Laudatur ante omnia immortalis memoriæ Vir, *Paulus Hermannus*, qui rei herbariæ Zeylanicæ unicus autor exiſtere poterat, quandoquidem vitam in Inſula egit aliquot annos, ſed fatis præventus, etſi Paradiſus Batavus, a *Sherardo* editus, nonnulla commemoret, imperfecta reliquit omnia. Supplentur hæc omnia Cel. *Burmanni* ſtudio, qui *Herbarii vivi Hermanniani*, poſtquam illud per trium *Commelinorum*, avi, patris, filii, manus tranſiiſſet, nunc felix poſſeſſor, interire rerum iſtarum memoriam paſſus haud fuit. Neque vero exſuccas ſaltem, in quibus aliquando legitimi characteris definitio perquam difficilis exiſtit, ſed & vividas, plantas exprimit, quarum copiam eidem *Gronovius* & *Clyffortius*, rei herbariæ ſtatores, fecerant. Fidelis exiſtit etiam earum plantarum, quæ in noſtris aluntur hortis, commendator, quæ nunc, poſtquam doctiſſimorum & pro bono publico feliciter audacium Belgarum itineribus vulgatiores factæ ſunt, prout *Abutilon* & *Adhatoda* cum ſpeciebus, locum meruiſſe viſæ ſunt. Harum omnium, quotquot jam ante deſcriptæ habentur, ſynonymiæ adducuntur copioſe, licet-

cetque omni pagina *Sloanii* Hiſtoriam Jamaicenſem, *Dillenii* Hortum Elthamenſem, *Pluckenetii* Almageſtum, antiquiores etiam rerum utriusque Indiæ medicarum Hiſtoricos, *Pontium* & *Piſonem*, legere, quorum & plurimorum aliorum teſtimonia fidem Autoris corroborant. Si quæ plantæ ſpecie vel genere rariores, imo prorſus novæ, viſæ fuerunt, cum characteribus ab habitu externo flore fructuque deſumtis definiuntur, ſuisque claſſibus attribuuntur, correcta inſimul onomatologia, quam *Hermannus* hinc inde reliquerat imperfectam. Quales illæ ſint plantæ, quas elegantiſſimis Iconibus artificioſa manus exſculpſit, breviter allegabimus:

Acacia ſpinoſa ex alis ſpicata, foliis pennas avium referentibus. Hanc florum habitus reliquis congeneribus fere diſſimilem efficeret, niſi ceteroquin character conveniret.

Acacia aculeata, multiflora, foliis pennas avium referentibus.

Adhatoda ſpicata, floſculos ex foliolis membranaceis producens.

Adhatoda flore ſolitario ex ſingula folii ala proveniente.

Adhatoda ſpica longiſſima, flore reflexo. Has flos monopetalos perſonatus capſula bipartita legitime collocatas eſſe abunde declarat.

Adianthum caule reflexo, pinnulis alternis, ſtriatis.

Amaranthus ſpicatus Zeylanicus, foliis obtuſis.

Amaranthoides Indicum, nodiflorum.

Alſine hirta minor, foliis alternis.

Alſine lutea, ramoſiſſima, pentaphylla, polyanthos.

Alſine erecta pentaphylla, flore albo.

Alſine foliis ad radicem poſitis.

Alſine ramoſa, procumbens, quadrifolia, ad radicem polyphylla.

Anagallis hirſuta, foliis ſolitariis alternis, floribus cæruleis.

Antideſma ſpicis geminis. Novum hoc genus ab ἀντὶ & δέσμα, *venenum*, dictum fuit *Burmanno*, quia contra morſus ſerpentis venenatiſſimi *cobra de capello* dicti ſpecificum eſt. Ceteroquin Berberi ſimilis & flore & fructu arbuſcula *Sloanio* declaratur.

Antir-

Antirrhinum humile, angustifolium, flosculo gemello, ex alis foliorum producto.

Apocynum flosculis fasciculatis.

Apocynum arborescens, Nerii flore, minus.

Asparagus foliis falcatis, ex uno puncto numerosis.

Aro-orchis tuberosa, platyphyllos. Hanc plantam, eo quod flos cucullo, qualis *Ari* est, circumdatus sit, ambiguo nomine declarat Noster, quam tamen *Kæmpferus*, & Horti Malabarici Autores, itidemque *Petiverius*, sed ruditer, depinxerant.

Astragalus spicatus, siliquis pendulis hirsutis, foliis sericeis.

Azedarach foliis falcato-serratis.

Balsamina latifolia floris calcari longissimo.

Balsamina angustifolia floribus ternis.

Bandura Zeylanica, in extremo foliorum folliculum peniformem expansum habens.

Bauhinia foliis subrotundis, flore flavescente striato. Arbor Divi *Thomæ*, Flos Divi-*Thomæ Commelino* dicta, eo quod sanguineas in alto flore strias ferat, ex sanguine *Thomæ*, qui Malabarorum & Zeylanensium Apostolus perhibetur, enata credita.

Bryonia folio angulosо, acuto, glabro.

Bryonia foliis subrotundis, angulosis, Momordicæ facie.

Burmannia spica gemina Linnæi. Hanc eruditi Sueci, *Linnæi*, industria, & gratus erga *Burmannum* animus, novo, cum ex Ephemerorum classe visa sit aliis, titulo ornavit.

Cacalia foliis auriculatis, serratis, supra nigricantibus, infra lanugine alba obductis.

Chrysanthemoides hirsutum, foliis scabris, oblongis, acutis.

Caltha flore solitario, ex alis foliorum longissimo pedunculo prodeunte.

Carpinus viscosa, salicis folio integro, oblongo.

Chamælæa trifolia, aculeata, floribus spicatis.

Chamælæa foliis linearibus, flosculis spicatis, echinato fructu.

Chenopodium incanum, racemosum, folio majore, minori opposito.

Chenopodium viride, vulgare, Alsines folio.

Cinnamomum, foliis latis, ovatis, frugiferum. Optimam hanc & præ reliquis eminentem Cinnamomi speciem declarat, cum no-

novem, unam altera præstantiorem, corticum Canelæ diversitates recensuerint *Acta Cæsar. Leopold. Volum. I Anni 1727.*

Cinnamomum perpetuo florens, folio tenuiore, acuto.

Clerodendron folio lato & acuminato. Viburnis congener & flore & fructu, sed ob tubi staminum vel pistilli conditionem diversa, hoc nomen meruit, quæ, cum Fortunata, seu Pinna, Zeylanensibus dicatur, Clerodendron, quæ vox Græca est, nunc audit, characterem fusius exponente *Linnæo.*

Cornus sylvestris, foliis croceum colorem tingentibus, flosculis ad foliorum alas globosis.

Cornus Zeylanica, sylvestris, altera Korakaha dicta.

Coronilla Zeylanica, herbacea, flore purpurascente.

Coronilla Zeylanica, siliquis fuscis, hirsutis, pilosis, flore albo.

Crotalaria foliis solitariis, ovato-acutis, caule sulcato.

Crotalaria arborescens, trifoliata, glabra, & viridis.

Cyticystus, foliis inferioribus confertis, superioribus oppositis. Cum Cytisi species ceteroquin sit, eo, quod tumidam ferat, & vesicæ instar inflatam, siliquam, sic audit.

Cytisus folio molli, incano, siliquis Orobi contortis, & acutis.

Digitalis Zeylanica, hirsuta, foliis Sesami angustioribus.

Elæachnus foliis oblongis, acuminatis, maculatis.

Elaiocarpos Lauri folio serrato, floribus spicatis. Laurum equidem habitu præ se fert urba, nec flos tetrapetalos male convenit; novum tamen nomen a fructu, qui oleæ & figura, & usu apud incolas, convenit, meruisse visa est.

Emerus siliquis geminatis longissimis.

Eupatoriophalacron Scrophulariæ aquaticæ foliis oppositis. Vaillantio Act. Reg. Paris. A. 1720 pag. 421 hoc novum genus & triplicem ejus speciem debemus. Quod nostris etiam in hortis feliciter succrescant, debemus *Jussaviis* fratribus, horti Regii Parisiensis luminibus.

Filix non ramosa Zeylanica, foliis Adianthi in modum serratis.

Filix Zeylanica, denticulata, non ramosa.

Filix Zeylanica, arborescens, pinnis alternis, longis, integris, in apice bifidis, caule membranis aucto.

Filix non ramosa, altissima, palustris, pinnis integris, alternis, serratis, acutis.

Gramen panniculatum, locustis tenuissimis, subrotundis.

Gra-

Gramen Dactyloides spicis deorsum aristatis.
Gramen pusillum junci capitulis minimis, ad basin foliolis binis auctis.
Grossularia spinis vidua, baccis in racemo congestis spadiceis, foliis crenatis ovato-acuminatis.
Genista articulata, repens, foliis crassiusculis, planis, acutis.
Hedysarum monophyllum, latifolium, siliculis plurimis spica longa digestis
Hedysarum bifolium foliolis ovatis siliculis asperis geminis inarticulatis.
Hedysarum trifoliatum, arborescens, floribus ex alis foliorum, siliquis copiosis, glabris.
Hedysarum trifoliatum frutescens, flore ac fructu inter duo foliola rotunda absconditis.
Hedysarum trifoliatum, spicatum, foliis oblongis, glabris, siliquis asperis, articulatis.
Hedysarum trifoliatum, siliculis inferioribus solitariis, superioribus articulatis.
Hedysarum trifoliatum repens, folio ovali glabro, caule hirsuto, siliqua plana, articulata.
Hedysarum trifoliatum repens, Acetosellæ folio glabro, caule hirsuto, siliqua plana, articulata.
Jacobæa perfoliata, folio longo, acuto, auriculato.
Hottonia flore solitario ex foliorum alis proveniente. Pluckenetio *saxifraga Zeylanica millefolii folio* dicta.
Jabotapita Cinnamomi folio, floribus spicatis.
Jasminum flore tetrapetalo, Ixora Linnæi, Schetti *Hort. Malab.*
Jasminum sylvestre triphyllum, floribus rubellis umbellatis.
Jasminum Limonii folio conjugato, flore odorato, pleno, vario.
Jasminum Zeylanicum, folio oblongo, flore albo pleno, odoratissimo.
Inophyllum flore quadrifido. Hoc genus ita appellatum, quod fibrarum in tendinibus musculorum instar, foliorum nervi componantur, quo habitu mirum in modum placuit *Vaillantio*, qui Calophyllodendrum ab elegantia foliorum appellaverat.
Jujuba aculeata, nervosis foliis, infra sericeis, flavis.

Laurus serrata, floribus spicatis, ex foliorum alis provenientibus.

Leucas foliis rotundis, serratis, flore albo. Lamium esse passus haud fuit ob calicem tubulatum.

Lysimachia erecta, caule ter tripartito.

Ligustrum foliis ad singula intermedia ternis: Lignum colubrinum officinis creditum.

Paronychia foliis ad genicula confertis, acutis, floribus umbellatis.

Limones pumili Zeylanici, sylvestres.

Lycopodium Zeylanicum, erectum, ramosissimum.

Lysimachia folio sinuato, acuminato, trinervio, flore cæruleo, amplo, calice carinato, alato.

Malvinda ulmifolia, flosculis pusillis, muscosis, constipatis.

Malvinda foliis inferioribus multifidis, superioribus incisis, flore solitario.

Malvinda altissima, Betonicæ folio, floribus ad genicula gemellis.

Manghas lactescens, foliis Nerii crassis, venosis, Jasmini flore, fructu Persicæ simili venenato. Planta suam cum apocynis & flore, & lacte, & urendi potentia, affinitatem prodit.

Mentha Zeylanica, pusilla, angustissimo folio dentato.

Mollugo Zeylanica, sylvestris, angustifolia, flore albo.

Marrubium odoratissimum, Betonicæ folio.

Melastoma scabra trinervia, eademque *quinquenervia*. Ex Cistorum gente planta a colore nigræ pulpæ, cui semina inclusa sunt, sic dicitur, quod pueri os hac ipsa commaculare soleant.

Micrococcos foliis alternis, oblongis, acuminatis.

Moringa Zeylanica, foliorum pinnis pinnatis, flore majore, fructu angulоso. Moringeros hæc est *Christophori Acostæ*, quam nucis *Been Zeylanicæ* feracem officinæ autumant.

Mussaenda Zeylanica, flore rubro, fructu oblongo, polyspermo folio ex florum thyrso prodeunte albo.

Nerium Indicum, siliquis angustis, erectis, longis, geminis.

Nux Moschata, spuria, sylvestris, Caryophylli arboris foliis, oppositis.

Onobrychis Zeylanica, monophyllos, caule triangulo, petiolis foliorum alatis.

Ornithopodium Zeylanicum, arborescens, Lavandulæ foliis, flosculis rubellis.

Piper

Piper, qui Saururus foliis ſeptinerviis, oblongo-acuminatis.
Polypodia tria, 1) vario modo diviſum, 2) caule ſimplici, & 3) foliis longis ſerratis.
Rhamnus Zeylanicus, folio ſubrotundo, glabro, caulibus hirſutis, ſpinis exiguis.
Rhus Zeylanicus trifoliatus, Phaſeoli facie, floribus copioſis, ſpicatis.
Ricinoides Indica, folio lucido, fructu glabro, grana Tiglia officinis dicta.
Ricinoides aromatica, arbor, Circææ foliis hirſutis, floribus ſpicatis, major.
Ricinocarpos Zeylanica, hirſuta, foliis lanceolatis, ſerratis.
Ricinocarpos Zeylanica, urens, Mercurialis folio, floribus ex alis ſpicatis.
Urinaria Indica, erecta vulgaris.
Sphæranthos purpurea, alata, ſerrata.
Scabioſa Conyzoides, foliis latis, dentatis, ſemine amaro, lumbricos enecante.
Senna quadrifolia, ſiliqua plana, hirſuta, flore aureo, ſanguineo.
Senna vigintifolia, ſiliquis teretibus.
Sinapiſtrum Zeylanicum, pentaphyllum, viſcoſum, flore flavo, folio ſolitario, & triphyllum.
Smilax foliis peltatis, cordato-oblongis, floribus minutiſſimis & copioſiſſimis.
Tinus humilis Zeylanica, foliis craſſis, venoſis.
Tithymalus quidam Botryoides Zeylanicus, cauliculis villoſis, floribus rarioribus, capitulis florum conjugatis, & foliis Thymi ſerratis.
Tribulus terreſtris, Zeylanicus, cauliculis villoſis, fructu acuminato.
Valerianella foliis nervoſis, acutis, floſculis in caulium ſumma quaſi umbellatis.
Vitex trifolia, floribus per ramos ſparſis.
Urtica fatua, foliis floribusque petiolis longiſſimâ, donatis.
Urtica pilulifera, foliis majoribus longiſſimis pediculis, minoribus brevibus pediculis donatis.

His omnibus doctiſſimus *Burmannus* vel genera cum ſufficienti ratione adjudicavit, vel ſpecifica dedit nomina, termi-

nis dominantem differentiam luculenter declarantibus. In votis habendum id unice, ut suo tempore elegantissimæ istæ plantæ natalem in Europa locum invenire possint, de quo desperandum neutiquam erit. Accesserunt sub finem doctissimi Operis *Catalogi plantarum Africanarum* duo, quorum *prior* complectitur *plantas ab Hermanno observatas*, *posterior* vero *illas continet*, *quas Oldenlandus & Hartogius indagarunt*. Ex Capite bonæ spei pleræque siccæ ad Batavos delatæ, locupletissimis Herbariis absconditæ, nunc demum lucem adspiciunt. Imagines habituri sumus propediem, si nostra omnium vota implere non dedignetur Batavæ Floræ sacerdos.

PHYTANTHOZAICONOGRAPHIA, SIVE CONspectus aliquot millium, tam indigenarum, quam exoticarum ex quatuor mundi partibus, longa annorum serie indefessoque studio a JOANNE GUILIELMO WEINMANNNO, Dicasterii Ratisbonensis Assessore, & Pharmacopola Seniore, collectarum, Plantarum, Arborum, Fruticum, Florum, Fructuum, Fungorum, &c. quæ nitidissime æri incisa, & simul diu desiderata ac recens inventa arte, vivis coloribus, & iconibus, naturæ æmulis, excusa & repræsentata sunt a BARTHOLOMÆO SEUTERO, JOANNE ELIA RIDINGERO, & JOANNE JACOBO HAIDIO, Pictoribus & Chalcographis Augustanis; quorum denominationes, characteres, genera, species, & descriptiones, ex optimis, tam priscis, quam neotericis, Autoribus, ordine ac serie Alphabetica, cum probatissimo usu medico, pharmacevtico, chirurgico, ac œconomico, Latino & Germanico idiomate, sincere explicantur, a D. JOANNE GEORGIO NICOLAO DIETERICO, S. Cæsareæ ac Catholicæ Majestatis Consiliario, Sereniss. Principis Furstenberg-Stublingensis Medico ordinario, ac Reipublicæ Ratisbonensis Physico. Voluminis secundi Missus primus.

Ratis-

Ratisbonæ, per Hieron. Leurium, 1738, fol.
Plag. 19, Tabb. æn. 50.

Diligentiſſime proſequuntur, & politum magis in dies efficiunt, nobilem laborem ſuum Botanophili artifices, & majorem hoc ipſo majoremque ab omnibus gratiam ineunt. Plantas, quæ litera C inchoant, recenſet novus iſte *Miſſus*, habenturque oppido raræ, & partim exoticæ, ex optimis quibuſcunque rei herbariæ Autoribus ſollicite deſcriptæ. *Cacaliaſtri*, quod *Tithymaloides Nerii folio*, hiſtoriam breviter deſcriptam habemus. Hanc enim eruditiſſimus *Kleinius* primam ſui generis plantam eſſe deprehendit, expoſuit, & icone deſcripſit. Hinc Pariſienſibus herbarum doctoribus æque ac noſtris *Kleinia* paſſim audit. *Cacaos cacavifera*, frutex Peruvianus, *Cacao* dictus, eleganter admodum & pingitur, & deſcribitur, flore roſaceo, quinque petalis conſtante, cujus piſtillum mutatur in fructum cucumerinum quinquagulum, oris criſpis fimbriatum, & quinque ſegmentis diviſum, quibus reconduntur nuclei Cacao, ſingulis membranis incluſi. Non calidis tantum in regionibus, ſed paſſim in Germania, naſcitur *Cacubalus*, aliis *Cucubalus*, *Alſine baccifera* aliis. *Caffee* arboris fructus, &, qui exinde coctura efficitur, potus, ampliſſima eſt recenſio. Jaſminum eſſe, flos infundibiliformis, bacca dipyrenos, indicat; hinc *Breynio* dicitur Jaſminum Arabicum caſtaneæ folio. *Calamintha* octo enumerantur ſpecies, omittuntur tamen quædam vulgatiores, *præalta bocconis*, & quæ foliis eſt inauratis. *Calami* nomen vindicatur acoro, qui eſt calamus aromaticus officinarum, quamvis, calamum veterum diverſum quid innuiſſe, conſtet. *Calthæ* terminus, qui jam communi Botanicorum ſuffragio prædicatur, de calendularum ſpeciebus, relinquitur populagini, id quod cur ſic factum ſit, monetur: nempe loquendum eſt cum vulgo, ſentiendum cum eruditis. *Campanularum* plurimæ enumerantur ſpecies, ſed, quod inter ſynonyma numeratur, *Trachelium* genus nunc eſt, & ſeceſſum fecit a *Campanulis*. *Cancamum*, ex quo gummi *kikekunemalo*, arborem Arabicam myrti folio, prout a *Meryo* deſcribitur, ex ingenio ſupplevit Collector. *Cannacori* omnes

omnes, quas horti alunt, ſpecies non habentur. Deſideratur *Glaucophyllus* anguſtifolius, & latifolius, & qui folio eſt variegato. *Chaquerillæ* deſcriptio cum ea, quæ habetur apud *Catesby*, ſolertiſſimum Ichthyographum & Botanographum, qui, ricinoidis ſpeciem eſſe, pro certo affirmat, non convenit, multo minus cortex *Winteranus*, vera lauri ſpecies, cum Chaquerilla coincidit, quamvis verum ſit, hæc inter ſe confundi, & unum pro altero accipi. In deſcribendo *Cardamomo* operoſi fuerunt Collectores, & triplicis, quod in officinis proſtat, majoris, longi, & minoris, hiſtoriam accurate recenſent. *Cardiaca* cum lycopo confundi neutiqnam debet, nec *Carduo benedicto Carduorum* character per omnia convenit, cum *Cnicus* ſit communi Botanicorum ſuffragio, ſicut & a Carduorum claſſe merito expungitur ſic dictus Sphærocephalos, qui *Echinopi* ſemper titulum tulit. *Carlinæ* plures novimus ſpecies; *Carlina* ſylveſtris, quæ *Heracantha*, vulgatiſſima eſt. *Carvi* ſpecies accurate recenſentur, ſed & Caryophyllata quædam in hortis eſt foliis pictis. Arbor caryophyllifera ex rei medicæ utriusque Indiæ Autoribus, itidemdemque Itinerariis præſtantioribus, delineatur & deſcribitur, Habituri ſunt eo majus laudis & famæ incrementum Collectores, ſi, quandoquidem *Linnæi* ubique cum honore mentionem faciunt, juxta ejus methodum ſemiflosculorum, vel floſculorum ex compoſitis, ſegmenta, cornicula, vaginulas, aliaque, accurate delineare, capſulas inſimul cum ſeminum figuris deſcribere, voluerint. Ajunt enim, quod ſemel ſit, id ſplendide fieri debere.

THEOPHILI SIGEFRIDI BAYERI, Regiomontani, de Horis Sinicis, & Cyclo horario, Commentationes. Accedit ejusdem Autoris Parergon Sinicum de Calendariis Sinicis: ubi etiam quædam in Doctrina temporum Sinica emendantur.

Petropoli, typis Academiæ Scientiarum, 1735, 4.
Plag. 5, cum Tabb. æn. 8.

Scriptæ ſunt hæ Commentationes ad Virum Clariſſimum, *Alphonſum Vignolium*, Aſtronomum Regium & Chronologum exi-

eximium, qui in *Miſcellaneorum Berolinenſium Tomo IV* egregia quædam contulit ad illuſtrandam Chronologiam Sinicam. Is vero, a Cel. *Bayero* ad illam operam excitatus, nunc eum viciſſim incendit, ut nova quædam in illam obſcuriſſimam doctrinæ partem contribueret. Dicit igitur hoc loco de Cyclo horario Sinico, quem, a ſe olim tenuiter & mendoſe propoſitum, a *Vignolio* prætermiſſum eſſe vidit. Adjungit de 11 annorum Ephemeridibus Sinicis Parergon, *Vignolii* de cyclis menſium dierumque rationes confirmans & perficiens. Errores etiam quosdam, qui in doctrina temporum Sinica exſtant, tollendos, & nonnulla, ad illuſtrandam Chronologiam Orientalium populorum, admiſcenda, judicavit. Unaquæque hora Sinica æqualis eſt duabus Europæis, dividiturque in duas ſemihoras, quarum una uni horæ Europææ reſpondet. Prior ſemihora dicitur *iniens*, poſterior *recta*, ſeu *vera*. Porroque ſingulæ ſemihoræ in quatuor quadrantes, & quadrans in 15 minuta, ſecatur. Minuta ſecunda Sinenſes non curant. Incipit autem prima hora Sinica ante mediam noctem, ita, ut punctum mediæ noctis, & initium diei civilis Sinici, in mediam horam primam, meridies vero in mediam ſeptimam, incidat. Nam, hoc fere perpetuum habere Sinas, docet Cel. *Bayerus*, ut media in diviſionibus ſuis ſectentur, ipſamque Eclipticam in medio ſigno incipiant. Itaque, cum hora Sinica poſtrema, quæ *Hai* dicitur, illud temporum ſpatium complectatur, quod inter noſtram nonam & undecimam nocturnam intercedit, ubi nos, exempli cauſa, ſcribimus: 9 hor. 51 min. Sini ad hunc modum: horæ *Hai* ineuntis quadr. 3 min. 6. Ubi nos: hor. 10 min. 16, Sini ita: horæ *Hai* parte poſteriori, quadr. 1 min. 1. Quæ ut ſimul cum cyclo 12 animalium, quorum nominibus non Sinenſes modo, ſed etiam gentes vicinæ, & Zodiacum, & menſes, & horas, appellant, eo facilius cognoſci queant, ſatis extenſam Tabulam Vir Celeberrimus adjunxit, in qua & nomina horarum Sinicarum, & ſemihoras ſingulas, & quadrantes 15 minutorum, cum noſtris horis & minutis comparata, cyclumque animalium, de quo diximus, uno obtutu adſpicere licet. Addidit etiam alias quasdam Tabulas, in quibus Sciatericum

Sinicum, ex museo Illustriss. Comitis *de Biron*, & numum Sinicum maximi moduli, ex museo Illustriss. Comitis *de Ostermann*, (in quo numo & nomina horaria, & imagines 12 animalium, & alia quædam, cernuntur,) itemque nomina & characteres signorum Zodiaci, Calmucice, Mungalice, & Mandgiurice, expressa, ante oculos posuit. Restat, ut de Parergo Sinico, quod Vir Clariss. sub finem harum Commentationum adjecit, pauca dicamus. Exhibentur in eo XI annorum Ephemerides, quas Rev. Viri, *Ignatius Kægler*, Mathematici tribunalis Præses, *Andr. Pereyra*, & *Car. Slavicek*, S. J. Missionarii, Pequino ad Autorem transmiserunt. Afferemus ex his Ephemeridibus, exempli gratia, duas priores, quæ ita se habent: Cycli sexagenarii septuagesimi quarti anno 40, Epochæ XIX annorum, anno 13, a die 5 Febr. Gregor. A. 1723, ad d. 25 Jan. A. 1724, primus mensis *Kia yn*, itemque menses 3, 6, 7, 9, 10, 12, fuerunt dierum 30, ceteri dierum 29. Ab undecimo mense incepit epocha quinquennalis sequens. Primo hujus anni die, *sin su*, Sol in Aquario fuit, gr. 15 min. 29, constellationis *niu* gr. 7 min. 33. Ejusdem cycli anno 41, Epochæ XIX annorum, anno 14, a die 26 Jan. A. 1724, ad d. 12 Febr. A. 1725, primus mensis *pim yn*, ceterique, præter 2, 4, 6, 8, 9, 10, 12, dies habuerunt 29: mensis etiam intercalaris post quartum, totidem constitit diebus. Primo hujus anni die, *pim çu*, Sol in Aquario fuit, gr. 5 min. 5, constellationis *nieu* gr. 4 min. 49. Est autem ea apud Sinenses intercalandi ratio, ut ille intercaletur mensis, in quo Sol nullum Zodiaci signum ingreditur, quod quidem his temporibus contingit, anni tertii mense 5, anni sexti mense 3, anni 8 mense 8, anni 11 mense 6, anni 14 mense 4, anni 17 mense 3, anni 19 mense 7. Ceterum de mensibus Sinis alio tempore, cum continuatam XIXlis Epochæ calendariorum seriem nactus fuerit, plura se dicturum, doctissimus Autor pollicetur.

NOVA LITERARIA.

Quas haud ita pridem Mediolano ad nos transmisit Nobilissimus *Philippus Argelatus*, Augustissimo Imperatori *Carolo VI* a Secretis, publicas *ad Eruditos* literas, annuntiantes

tes nobis feliciſſime abſolutum magnum *rerum Italicarum* Opus *Muratorianum*, inchoatumque ſimilis fere inſtituti novum, eas integras Lectori, multa inde cum voluptate cognituro, & *Muratorii* æque ac *Argelati* de erudita civitate optime merendi ſtudium juſtiſſimis plauſibus proſecuturo, hic legendas damus:

Divino tandem juvante præſidio, editionem Rerum Italicarum, a Clariſſimo Viro, Ludovico Antonio Muratorio, *collectarum, abſolvimus, preloque dimiſimus* Tomum XXVII, *qui Scriptorum noſtrorum chorum claudit. Longa ſane temporis diuturnitate ad implementi exſpectationem propemodum fatigavimus Antiquitatum Italicarum ſtudioſos; at fortunæ potius tribuendum, quam deſidiæ noſtræ. Ita enim adverſus infortuniorum repetitam acerbitatem pugnavimus, omnique conatu contendimus, ut ab opere incepto in hanc uſque diem anni quindecim nobis, licet ad calcem properantibus, effluxerint. In cauſa namque fuit in ipſo laborum noſtrorum initio fœdum incendium, quo Regiæ Curiæ pars magna conflagravit, eo præcipue loco, e quo facta ingenti ſtrage, flammæ ac cementa ſemiuſtulata in typographicam officinam noſtram corruerunt, qua ruina, & incendio, factum eſt, ut primorum* quatuor Tomorum *ſuppoſitus cumulus vel flammis, vel aqua, vel improborum hominum rapinis, fuerit abſumtus, eoſque iterum duplicatis fruſtra impenſis ediderimus. Bellorum deinde ſtrepitus, qui tres integros ferme annos Langobardiam præcipue noſtram concuſſit, quantum nobis impedimenti ac jacturæ intulerit, æſtimare vix poſſumus. Sed juvat hæc utcunque dolenda meminiſſe poſt liberatam fidem noſtram, datumque poſteris inſigne monumentum, quod nullo deinde tempore periturum eſſe, jure merito ſperamus. Ex his enim, Lector humaniſſime, cognoſces, liberali, quem decebat Patricios Viros, animo* Palatinos *hoſce* Socios *Operi vaſtitate ſua magno manum admoviſſe, bonarum literarum emolumento, non lucro, ſtudentes. Quem enim alterum repetitæ jacturæ vel in ultimam paupertatem non deturbaſſent, vel ab infelici opere non deflexiſſent? At inſederat adeo in eorum pectoribus, cum primum Operis ſpecimen inſpexerant, mecum a præſtantiſſimo* Muratorio *communicatum, & in*

hanc urbem delatum, utilitas maxima literarum, quæ ab evulgandis tot Historicorum nostrorum libris manare poterit aliquando in universos, ut, sicuti ne momento quidem temporis hæsitaverant in paranda editione, ac deinde ferme certaverint in ea expolienda & ornanda, ita existimationi suæ necessarium reputaverint, quibuscunque conditionibus inceptum semel Opus absolvere, potissimum ne Augustissimi Imperatoris nostri patrocinio deesse videremur, postquam tanta in Operis edendi commodum munificentiæ suæ dona contulerat, sacroque Augustissimo nomine suo illustrandum clementissime concesserat. Deo itaque primum debitas gratias rependimus ob superatos feliciter innumeros prope labores, & Augustissimo Cæsari ob eximia beneficia, ceterisque Principibus, quibus etiam singulos hujus Operis Tomos *dedicavimus, vel ad rependendum officium debitum ob communicatos Codices, in eorum Bibliothecis latentes, vel ad paranda nobis undecunque desiderata patrocinia, ut acceptiores omnibus labores nostri in vulgus exirent. Debebit sane in posterum Italia, cum ceteris nationibus, Clariss.* Muratorio *clariorem rerum gestarum notitiam per ea tempora, quæ majoribus erant tenebris obruta, ejusque consilium de colligendis antiquitatum earum ruderibus, nulla satis ætas in posterum commendaverit; neque deerunt laudes & iis omnibus, qui celebratissimo Autori cultissima in hac urbe opitulatrices manus præbuerunt. Et, quoniam hoc unum ad absolutum Operis implementum desiderari adhuc posse cognovimus, Indicem nempe rerum universarum, quæ nostris in* Tomis *continentur, ne singulos evolvere studiosi cum longa temporis jactura, multoque incommodo, cogantur, eum accuratis peritisque Viris in eam formam componendum curavimus, ut omnia ordine alphabetico disposita repræsentet, primo scilicet Autorum omnium nomina, qui nostris in* Tomis *congesti sunt, & paginas* Tomi *ejus, ubi singulorum historiæ initium habent. Triplici autem ordine Autorum nostrorum nomina recensentur. In* primo *sunt juxta sectiones* Tomorum *nostrorum, ita, ut cujusque* Tomi *Autores enarrentur.* Secundus *eorundem Autorum habet nomina, ordine alphabetico dispositorum. In* tertio *locorum potius, quam nominum, ratio est habita, ita, ut inscri-*

ſcriptis Provinciarum aut Urbium nominibus, catalogus Autorum noſtrorum, qui ejus Provinciæ, vel Urbis, hiſtorias conſcripſerunt, ordine Chronologico ſubnectatur. Quartus *Index erit Chorographicus urbium, pagorum, & locorum, fluminum, montium, & ſimilium, ad Geographiam Italiæ ſpectantium, omnium, quorum eſt in Collectione noſtra, ſingulisque in Autoribus, memoria.* Quintus *erit rerum univerſarum, quem materiarum appellant, & nominum, tantaque copia redundabit, ut breviarium potius univerſorum Autorum appellare poſſis.* Poſtremum *Familiarum Italicarum omnium faciemus, ut legentibus quibuſque hac etiam in parte ſit commodiſſimus. Facili ſane negotio hæc omnia recitantur. Sed bone Deus! in tanta rerum & Scriptorum copia, quem improbum aſſiduumque laborem inire oportuit non unum, ſed plures, eoſque patientiſſimos, literatos Viros, quantumque fuit æris impendendum, ut commoditati legentium conſulatur! Erit propediem uſui tuo, Lector humaniſſime, novum hoc inſtrumentum, ut ita dicam, ſtudiis expoliendis opportunum, & fortaſſe neceſſarium. Ex collatis enim variorum Hiſtoricorum teſtimoniis non exigua lux apparebit, qua bonæ criſeos exercitamenta facillime proponat. Sed ad poſtremum hunc* Tomum *redeamus, ut, ſervato more, leviter, quæ in eo continentur, attingamus. Et primum de noſtra Dedicatione ſit ſermo, qua ſacro, unde inceperamus, auſpicio, ab Auſtriaco nempe Imperiali Numine, feliciter omnia perſolvimus. Ita enim propitiam fortunam experti ſumus, ut, quam veniam impetravimus ab Auguſtiſſimo Imperatore noſtro* Carolo VI, *dicandi Majeſtati ejus labores noſtros, eandem ſimili benignitate conceſſerint Sereniſſimus Princeps* Franciſcus Stephanus, *Dux Lotharingiæ, ac* Maria Thereſia, *Archidux Auſtriæ, Magni Etruriæ Duces, paternæ munificentiæ in bonas literas exemplum imitati, unde gaudebis perennatum communibus ſtudiis eximium patrocinium a Principibus iis, a quibus propagandam impoſterum Auſtriacam Familiam ad perpetuum Orbis terrarum imperium, ut a Superis inſtantiſſime petimus, & ſperamus. Omnia, quæ in hoc* Tomo *continentur, nunc primum in publicam lucem efferuntur, nec unicum tantum eſt eis pretium a novitate, ſed a nomine graviſſimorum Autorum. Biſariam*

 vero

vero dividitur Tomus: *una namque pars continuationem præcedentium* Tomorum *habet, servata Chronologia temporum; altera vero prætermissa quædam continet, quæ sero nimis ad nos allata sunt, suisque opportunis in locis collocare non potuimus post impressos priores* Tomos. *Satius tamen duximus, ea omnia tanquam appendicem subnectere, quam temporis edacitati relinquere, cum facile possis lectione tua in suam debitam sedem revocare. Illustratam sane Italicam Historiam tot Scriptorum numero nemo negaverit Sed nondum satis visum est præstantissimo* Muratorio. *Quamobrem novo ingenti labore ad novam lucem aperiendam manum convertit, excussis aliis antiquitatum ruderibus, unde plurimum eruditionis ad barbara potissimum tempora conferendum habemus. Hanc ipse alteram Collectionem Palatinis obtulit, eamque ambabus ulnis accepimus. Hoc est novum insigne ipsius Opus, cui titulus:* Antiquitates Italicæ medii ævi, sive Dissertationes de moribus, ritibus, religione, regimine, magistratibus, legibus, studiis literarum, artibus, lingua, militia, nummis, principibus, libertate, servitute, fœderibus, aliisque, faciem & mores Italici populi referentibus, post declinationem Romani Imperii ad annum usque 1500. Omnia illustrantur & confirmantur ingenti copia Diplomatum & Chartarum veterum, nunc primum ex Archivis Italiæ depromtarum, additis etiam Nummis, Chronicis, aliisque monumentis, nunquam antea editis *Videbis igitur ingentem copiam Diplomatum & chartarum veterum nunc primum ex Archivis Italiæ in vulgus emissam, quantam nemo sane cogitare poterit adhuc in maxima priorum temporum perturbatione superesse. Dantur suis etiam locis & Inscriptiones, & Monogrammata, Numorum Sigillorumque figuræ, & quicquid tandem illustrandæ Antiquitati nostræ conducere poterit, sub oculis exhibentur; tantaque diligentia renovatis characteribus editionem incepimus, ut alterum hoc monumentum Italicum elegantiæ numeros omnes impleturum esse credamus. Erunt sane, qui gaudeant opus illud elevatum, quod in arena signaverant, suone, an alieno, ex ingenio, incertum: sed fecisse potius juvabit, quam proposuisse, imo, quod est in adagio, ex facto cognoscent, vix aliquid excogitari posse, quod ab altero*

non

non fuerit ante cogitatum. Hoc unum tamen dolere cogor, quod par cum ceteris Palatinis meis non ſit mihi fortuna, cui levandæ utcunque digna Cæſare liberalitas non ſemel accurrerit, ea tamen eſt temporum difficultas, ut beneficium ſentire vix poſſim. At erit Imperialis clementiæ præſidium etiam adverſus malignitatem temporum præſentiſſimum, ſufficietque vires ad hæc etiam abſolvenda, ut orbe aliquando pacato meliora ſperare poſſim, ut, qui labori non parco, ſeneſcente jam ferme ætate in otio conquieſcam. Tu interim, Lector humaniſſime, libenter hæc accipe, ad ſtudiorum tuorum incrementum parata, & vale. Dabam Mediolani 4 Non. April. A. 1738.

His ipſis Nobiliſſimus *Argelatus Tomi XXVII Scriptorum Italiæ*, nuperrime editi, Elenchum ſubjecit, quem & ipſum huc transferendum judicamus. Continentur vero hoc *Tomo* Scriptores ſequentes: 1) *de Bello Gallico, ſive de rebus in Italia geſtis a* Carolo VIII & Ludovico XII, *Galliæ Regibus, ab anno 1494 uſque ad annum 1500, Autore* Marino Sanuto, Leonardi *filio*; *Commentarius Italice ſcriptus, & nunc primum e Codice MSto Bibliothecæ Eſtenſis in lucem editus.* 2) *Diarium Ferrarienſe, ab anno 1409 uſque ad annum 1502, Anonymo Autore ſynchrono Italice ſcriptum, & continuatum; nunc primum in lucem prodit ex MSto Codice Bibliothecæ Eſtenſis.* 3) Petri Cyrnæi, *Clerici Alerienſis, de rebus Corſicis Libri IV, a temporibus Romanorum uſque ad annum 1506; nunc primum prodeunt ex MSto Codice Bibliothecæ Chriſtianiſſimi Regis.* 4) Bartholomæi Senaregæ, *Genuenſis, de rebus Genuenſibus Commentaria, ab anno 1488 uſque ad annum 1514; nunc primum publici juris fiunt e MSto Codice Bibliothecæ Vaticanæ.* Accedit huic *Tomo Appendix*, hæc Lectori exhibens: 1) *de Conſtantio Chloro, Conſtantino Magno, & aliis Imperatoribus, excerpta Autoris ignoti, ab* Henrico Valeſio *jam edita, cum Notis* Hadriani Valeſii, *Hiſtoriographi Regii, ad commune commodum denuo nunc recuſa.* 2) *Fragmenta Hiſtoriæ Piſanæ, Piſana dialecto conſcripta, ab anno 1191 uſque ad A. 1337, Autore Anonymo. Accedunt alia Latinis literis conſignata, ab anno vulgari 1270 uſque ad annum 1280, Autore* Guidone de Corvaria, *ſive* de Vallecchia, *Judice, & demum Canonico Regulari. Omnia*

nunc

nunc primum prodeunt e MSto Codice Antonii Nicolini, *Patricii Florentini, atque ex altero Bibliothecæ Strozzianæ.* 3) *Polyhistoria Fratris* Bartholomæi, *Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum, ab anno 1288 usque ad annum 1367, Italice conscripta, & nunc primum edita e MSto Codice Marchionis* Bonifacii Rangonii, *Mutinensis.* 4) *Annales urbis Aretinæ, ab anno 1192 usque ad annum 1343, Autore Anonymo, nunc primum luce donati ex MSto Codice Clariss. Viri,* Francisci Redii, *Equitis S* Stephani. 5) *Chronicon Neritinum, sive brevis Historia Monasterii Neritini, ab anno 1090 usque ad annum 1368, Autore* Stephano, *Monacho Benedictino, Abbate Montis-Alti, ab altero Scriptore continuatum usque ad annum 1412; nec non Descriptio Belli a Venetis A. 1484 illati Provinciæ Hydruntinæ,* Angelo Tafuro *Autore. Omnia nunc primum in lucem educuntur e MSto Codice Clariss. Viri,* Joannis Bernardini Tafuri, *Neritini, cum Notis ejusdem.* 6) *Chronicon Sublacense, sive Catalogus Abbatum Monasterii Sublacensis, ab anno circiter 595 usque ad annum 1390, Autore Monacho Sublacensi Anonymo. Nunc primum prodit ex MSto Codice Romano.* 7) *Diarium Romanum ab anno 1404 usque ad annum 1417, Autore* Antonio Petri, *nunc primum editum e MSto Codice Bibliothecæ Estensis.* 8) Antonii Nerlii, *Abbatis, Breve Chronicon Monasterii Mantuani S.* Andreæ, *Ordinis Benedictini, ab anno 1017 ad annum 1418, nunc primum editum e MSto Codice Monasterii Padolironensis.* 9) *Fragmentum Siculæ Historiæ, ab anno 1287 usque ad annum 1434, Autore Anonymo, nunc primum publici juris factum e MSto Codice D.* Innocentii Rochaforte Bonadies. 10) *Miscellanea Historica* Pauli Filii Lælii Petroni, *Romani, ab anno 1433 usque ad annum 1446, nunc primum edita ex MSto Codice Bibliothecæ Vaticanæ.* 11) Michaelis Savonarolæ *Commentariolus de laudibus Patavii, A. 1440 compositus, & nunc primum in lucem perductus ex MSto Codice Comitis* Sertorii Ursati. 12) *Fragmenta Chronici Forojuliensis, Autore* Juliano, *Canonico Cividatensi, cum additamentis ab anno Christi 1252 usque ad annum 1364; nunc primum prodeunt ex MSto Codice* Biniano.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXXVIII.

Pars II.

CEREMONIES ET COUTUMES RELIGIEUſes des peuples idolatres, &c.

h. e.

CERIMONIÆ ET RITUS SACRI GENtium idololatricarum, repræſentati Figuris ſplendidis, in æs inciſis manu BERNARDI PICARDI; cum harum explicatione hiſtorica, & Diſſertationibus aliquot lectu dignis. Tomus primus, Partibus duabus diſtinctus, quarum prior continet ritus ſacros populorum Indiæ Occidentalis, poſterior exhibet Diſſertationes in ſacra Indorum Orientalium.

Amſtelodami, apud Jo. Fr. Bernardum, 1723, fol. maj.
Pars I Alph. 2 plag. 8, Tabb. æn. 34, Pars II Alph. 2 plag. 3, Tabb. æn. 11.

De ſplendidiſſimi hujus Operis, ſatis hominum doctorum ſtudiis inſervientis, at otioſorum inprimis oculos paſcentis, inſtituto, ordine tractandi, pretio, & dignitate, ſatis dictum eſt nuper *Menſis Junii* hujus *Anni Parte II*, cum priora *duo Volumina* ejus Sectionis, quæ ritus ſacros populorum omnium, quicunque alieni ſunt ab idololatria pa-

ganorum, exhibet, in compendium redigeremus. Jam, cum eum Operis sui ordinem fecerint Editores, ut separatis aliquot *Voluminibus* gentium idololatricarum cerimonias complecterentur, horum argumenta eodem, quo ceterorum, studio commemorabimus, a *primo* initium dicendi facturi, ad cetera suo tempore progressuri. Est hic *Tomus Partibus duabus* distinctus, quarum *prior* gentes Indiæ Occidentalis in scenam producit; *posterior* Indos Orientales communi spectaculo risuique politi orbis exponit. Ita vero res suas Autor, cujus nomen ignoramus, in hoc pariter ac ceteris *Voluminibus* peregit, ut primo loco generatim ritus populi alicujus describeret, tum ritus singulos ordine satis concinno exponeret, aut integros libros, qui instituto huic favent, suis illustratos annotationibus, insereret. *Prior Tomi* hujus *Pars* initium sumit a Dissertatione, quæ cerimonias Americanorum describit, &, quantum cum priscis aut recentioribus populis conveniant, accurate docet. *Capitibus* hæc *XIX* absolvitur, quibus de origine Americanorum, idololatria, de supremo Numine sententiis, sacrificulis & vaticiniis, puerperio, nominum impositione, matrimonio multiplici, linguis, habitu corporis, vario ornatu, pulchritudine formæ, exercitiis corporis, utriusque sexus commercio, victus cultusque ratione, morbis ac medelis, humanitate ceterisque virtutibus, agricultura, bellis, amore in patriam, mercatura, judiciis, mancipiis, funeribus, Annales condendi, & suam ad seros posteros memoriam propagandi, consuetudine, disseritur. Autores sunt varii, e quibus sua desumsit Autor, quo pertinent *Lescarbot*, *Coreal*, *Hennepin*, *la Mothe le Vayer*, Collectores Itinerariorum in partes Septentrionales, *la Poterie*, & Baro *Hontanus* Hos laudat, sed *Gueudevillium* malæ fidei accusat, hominemque ait, ut aliis suis scriptis, ita & *Hontani*, relationibus, quo lectores demulceret, multa adspersisse, quæ rerum gestarum veritati contradicant. Nostri officii esse non putamus, neque etiam chartæ angustia patitur, optimarum rerum, lectuque dignissimarum, ex ingenti Volumine compendium exhiberi. Ad sequentia igitur progredimur hujus Dissertationis Sup-

ple-

plementa, quæ ipsam Dissertationem triplo fere superant, &, quæ dicta sunt de omnibus, strictius, quæ de singulis gentibus, latius, exequitur, adjectisque figuris illustrat. Eodem autem, quo incepit, ordine Americanorum de Deo, & mundi creatione, opiniones, divinum cultum, templa, pompas, magos, artes ac disciplinæ modum, festos dies, sacrificia, belli aut pacis ineundæ sanctiones, Medicos, quorum plerique sacrorum curam gerunt, exequias, pollincturam Regum, quæ apud Virginienses præsertim in usu est, nuptias, divortia, venationem, annorum (utplurimum lunarium) intercalationem, hieroglyphica, & modos, rerum gestarum memoriam conservandi, describit. Primi sunt *pag.* 77 Hudsonienses, quos *pag. 80* Mississipenses, Terræque novæ incolæ, ac Iroquani, *pag. 85* Canadenses, *pag. 108* Californienses, Novoalbionenses, & Novomexicani, *pag. 110* Virginienses, *pag. 124* Floridani, *pag. 134* Insularum Caribanensium incolæ, *pag. 142* Hispaniolenses, *pag. 144* Mexicani, eorumque vicini, *pag. 165* populi Campechiæ, Jucataniæ, Tabasci, Cozumeliæ, Venezuelæ, *pag. 166* Nicaraguenses, *pag. 168* cives Dariæ, Panamæ, Novæ Granadæ, Cumanæ, *pag. 175* Cubaguenses, Caribanenses, & Novæ Andalusiæ cives, *pag. 177* Orenoquiani & Guianenses, *pag. 179*, qui ad Amazonum fluvium habitant, & qui interiorem Americam Meridionalem, usque ad Peru, possident, *pag. 180* Brasiliani, *pag. 184* Platenses, & feri illi homines, longius remoti, tandem *pag. 186* Peruviani, sequuntur. Sub finem hujus *Partis* comparent Index errorum, & omissorum Supplementa quædam.

Pars posterior, uti jam dictum, ritus sacros Indorum Orientalium tradit. Summa hujus *Partis* argumenta Præfatio præmissa docet. Primo quidem loco comparet Anonymi Tractatus de eo, in quo Indiæ orientales cum Judæis & aliis vetustis gentibus conveniant. Editus est ille A. 1704, 12, &, præter sacros ritus, multa, quæ curiam & rem publicam tangunt, pertractat. Excipit hunc Dissertatio de religione Banianensium, non Banjanensium, ut habet Parisiensis editio. Est hæc Anglice primum a *Lordo* consignata, postea Gallice conversa. Verum nec Autor, nec interpres, Editori nostro

 satis

ſatis probavit induſtriam ſuam. Ille enim partim obſcœnis narrationibus, partim variis & juſto amplioribus excurſionibus, ita libri molem auxit, ut non docere homines, ſed male locatam ac intempeſtivam oſtentare eruditionem, videatur; quo factum, ut multa omiſſa hic & neglecta ſint, quæ nec utilia Editori, nec adeo neceſſaria, viſa ſunt, e. g. longa nimis ac diffuſa refutatio ſententiæ Braminorum, qua transvolutionem animarum ex uno corpore in aliud aſſerunt, quæ per ſe ſatis eſt ridicula, & refutari vix meretur. Interpres autem, Gallicæ linguæ ignarus, tam rudi & agreſti ſermone uſus eſt, ut expoliendum hunc, ac delicato ſeculo accommodandum, Editor duxerit. Sic etiam *Pagodas* Indorum ſat incondite vertit *Eccleſias*, & lavacrum, quo liberos imbuunt, Baptiſmum, quorum loco Editor voces aptas & ad rem accommodatas ſubſtituit. Legitur poſthæc *Abrahami Rogerii* Diſſertatio de ritibus Brachmanorum, quæ, licet non adeo prope inſtitutum Editoris attingat, digna tamen viſa eſt, quæ ob egregiam rerum, quas tractat, copiam denuo edatur. Verum eodem hæc, quo præcedens, vitio laborare dicitur. Multa affert inutilia, vana, ſuperflua. Ex Belgico quoque ſermone, quo Autor ſcripſit, tam imperite, tam barbare, converſa eſt, ut nec intelligi, nec legi, niſi ab illis forte, potuerit, qui certis de cauſis penitius res illas cognoſcere & rimari voluerint. Interpres eſt *Thomas la Grue*, Artium & Medicinæ Doctor, qui edidit libellum Amſtelodami A. 1670, 4, idem ille, qui ex Anglico tranſtulit *Alex. Roſs* librum de Ritibus ſacris totius orbis, quem Editor omnium, qui lucem viderunt, luce publica judicat indigniſſimum. Hi ſunt Autores, quos Præfatio commemorat. Sed in ipſo libro plures habentur. Sequitur enim Diſſertatio hiſtorica de Diis Orientalium Indorum, *Capitibus XIX* diſtincta, quibus Autor metamorphoſin Deorum, fidem Indorum, opinionem, qua Trinitatem ſub idolis ſuis *Bruma*, *Vixnu*, & *Rutrem*, effingunt, horum Numinum facta, ſententiam Indorum de inferno, de anima, de mundo, ejuſque perduratione, de Eclipſibus, temporum viciſſitudinibus, &c. exponit, & demonſtrat, in multis

tis Christianorum sacra cum Indicis convenire. Inde legitur Epistola P. *Boucheti*, Soc. Jesu, Missionarii Madurensis, & Superioris novæ Missionis Carnatensis, ad Episcopum, cujus finis est, ut ostendat, religionem Indorum totam e libris Mosis & Prophetarum esse desumtam. Tandem Supplementum Tractatuum præcedentium coronidem huic *Tomo* imponit, in quo cerimoniæ Indorum sacræ figuris æque ac scripto sermone illustrantur, & de Brama, Ixora, Puda, Pexaios, Pés, Quenyvada, Wistnou, ejusque decem mutationibus, agitur. Sed, cum plurimum differant Autores, qui illas recensent, & alio modo mysteria illa interpretentur: aliter enim hæc *Rogerus*, aliter *Baldeus* in Descriptione Coromandeliæ, aliter Lusitanus quidam Autor in Descriptione Deorum Indicorum, aliter *Kircherus* in China illustrata, referunt; Autori duplici modo depingere & exponere, quicquid est nugarum, & *Kircheri* verba Gallice versa inserere, visum est. His dimissis, ulteriorem *Wistnou* cultum sub nomine Jagarnat, & *Ixoræ* sub nomine Mahadeu & Lingam, Indorum processiones, Kamaetzmam Deum, pœnitendi modos, festa, choreas, adorationes, cultum serpentum, incantationes, oracula, pagodas, terræque, cui pagodæ superstruuntur, consecrandæ modum, lotiones Malabarorum, sacros cineres, & studia Braminorum, enarrat.

POETRIARUM OCTO, ERINNÆ, MYRUS, MYRTIDIS, CORINNÆ, TELESILLÆ, NOSSIDIS, ANYTÆ, Fragmenta & Elogia, Græce & Latine, cum Virorum doctorum Notis. Accedit GOTHOFREDI OLEARII Dissertatio de Poetriis Græcis, Autorum veterum testimoniis & Supplementis variis aucta, cura & studio JO. CHRISTIANI WOLFII, in Gymnas. Hamburg. P. P. qui Notas & Indices adjecit.

Hamburgi, apud Abrahamum Vandenhoeck, 1734. 4 maj. Alph. 1 plag. 6.

Votis igitur eruditorum & Græcæ literaturæ amantium egregie satisfecit Cl. *Wolfius*, quod promissis olim datis se exsolvit, & *Sapphoni*, Poetriæ Lesbiæ, etiam reliquarum octo Fœminarum adjecit. Carmina, Fragmenta, & Elogia, quæ in *Fulvii Ursini* editione continebantur. Nullum dubium est, Græcarum literarum studiosos hunc *Tomum secundum* (de *priore* diximus in *Actis Anni 1735 Mens. Jun. pag. 250*) Poetriarum Græciæ eodem applausu & favore esse suscepturos, quo *Sapphonem* dignati sunt, præsertim cum nitore, elegantia, accuratione, & diligentia, priori nihil cedat. Eadem enim ratione harum Fœminarum Carmina recensset Cl. Editor, qua in *Sapphone* edenda fuerat usus. *Ursini* editionem maxime sequendam sibi duxit, ita tamen, ut non solum eam emendaret, sed etiam sæpius adderet, quæ in ea prætermissa erant, & tamen ad Fragmenta harum Fœminarum pertinebant. Interpretatio Latina e regione singulis paginis posita est, ut in *priori Tomo*. *Thomas* quidem *Thomajus Vargas*, Hispanus, in Animadversionibus suis ad *Garcilassi de la Vega*, Poetæ Hispani, Carmina, quæ prodierunt Madriti A. 1622, 12, Latinam suam versionem Græcarum Poetriarum, notis instructam, *pag. 27* commemorat. Et *Nicolaus Antonius* in Bibliotheca Hispanica Nova *Tom. II pag. 253* refert, *Vargam* privilegio Regio ad Collectionem hanc edendam jam ab A. 1621 munitum fuisse. At vero, hanc versionem non vidisse lucem, ex eo patet, quod *Antonius* illud A. 1672, postquam *Vargas* A. 1641 fatis functus fuerat, tanquam ἀνέκδοτον afferat. Comparet itaque hic interpretatio Latina horum Fragmentorum, quam alii jamjam dederant in illis Autoribus, unde transsumta sunt, quanquam etiam nonnunquam nova fuit addita, ubi id postulabat necessitas. Sunt autem harum Fœminarum,
Pag. 2—24. quæ in hac Parte sistuntur, numero octo. *Primum* tenet locum *Erinna*, patria Lesbia, quæ æqualis *Sapphonis* fuisse dicitur, in quam *Antipatri*, *Leonidæ*, *Asclepiadis*, *Antiphanis*,
26—27. & aliorum, Carmina, cum nonnullis ipsius *Erinnæ* Epigrammatibus & Fragmentis, sistuntur. *Altera* Fœmina *Myro* est, By-

Byzantia, *Homeri* Tragici vel mater, vel filia, cujus Carmi-
na & Fragmenta hic Lectoribus exhibentur. *Tertio* legun- Pag. 38 –
tur *Myrtidis*, Anthedoniæ, cujus inprimis *Plutarchus* me- 41.
minit, Carmina, *quarto Corinnæ*, Tanagrææ, quæ *Pindari* 42 – 61.
temporibus vixiſſe dicitur, illumque quinquies ſuperaſſe, 62 – 75.
quinto Teleſillæ, Argivæ, quæ temporibus *Cleomenis*, Sparta- 76 – 81.
norum Regis, floruit, *ſexto Praxillæ*, Sicyoniæ, cujus inpri-
mis Ode *Achilles* laudatur ab antiquis, *ſeptimo Noſſidis*, Lo- 82 – 92.
crenſis, cujus maxime Epigramma *in Rhinthonem* celebratur,
quod etiam ſolum de ea habet *Urſinus* in ſua Poetriarum edi-
tione, cui tamen plura ejuſdem Carmina ex aliis adjecit Cl. 92 – 115.
Editor; *octavo* & ultimo loco *Anytæ*, Tegeatidis, Epigram-
mata comparent. Plura omnino habet Carmina hæc editio,
quam *Urſiniana*, quæ diligentiæ & curæ Cl. *Wolfii* debentur,
cum ea ex variis Autoribus collegerit, & inſuper in notis ſub-
jectis ſollicite indicaverit, unde ſingula aut Carmina, aut
Fragmenta, aut Elogia, ſumta ſint. Præterea doctiſſimorum
Virorum Annotationes & Obſervationes omnes ex variis Au-
torum editionibus, ex quibus hæc Fragmenta ſumta ſunt,
textui ſubjectas deprehendere licet. Itaque habes in hac edi-
tione non ſolum *Urſini*, *Obſopæi*, *Brodæi*, *Sylburgii*, *Junger-
manni*, *Holſtenii*, *de Pinedo*, ſed etiam ex recentioribus *Ku-
ſteri*, *Harduini*, *Worthi*, *Kuhnii*, *Perizonii*, *Berkelii*, *Hæ-
ſchelii*, *Brouckhuſii*, *Bentleji*, *Spanhemii*, *Olearii*, *Pauw*, &
aliorum, obſervationes, quibus verba Poetriarum vel emen-
dantur, vel illuſtrantur. Accedunt his, quæ Ill. *Steinheilius*
ad Cl. Editorem miſerat. Tandem & ſuas obſervationes &
animadverſiones non inconcinnas adjecit Cl. *Wolfius*, in qui-
bus non ſolum, ut jam indicavimus, lectorem, unde Elogia
& Fragmenta iſtarum Fœminarum ſint ſumta, docet, ſed et-
iam textum ſæpe corrigit, ſæpius explicat, & verum ſenſum
demonſtrat, alios Autores in conſilium vocat, Græcamque
phraſin illuſtrat. Studium ſuum hac in re iterum non de-
negavit Cl. *Phil. Jac. D'Orville*, quem nonnullas emenda-
tiones & eruditas obſervationes Cl. Editori tranſmiſiſſe, vel
ex *pag.* 11 & 84 patet. Græcum ſermonem multis in locis
expli-

Pag. 56. 85. explicavit, &, quæ velit Poeta, enarravit, atque ex Geogra-
phia, ubi neceſſe eſt, illa affert, unde dicta Poetriarum lu-
cem accipiunt. Inde etiam factum eſt, ut multos Autores
contulerit, ex quibus nominatim varios producit, v. g. *Eu-
ſtathium*, *Scholia Homeri*, *Etymologicum M. Heſychium*,
Scholia Tzetzis, *Anthologias*, & multos alios ex Autoribus,
qui vel rem eandem narrant, vel etiam dicta confirmant.
4. 26. 43. Voces & phraſes varias, inprimis Græcas, explicat, v. g.
44. 63. 82. θρέος, κρώζειν, εὐέπεια & εὐεπία, γέρατα & γέρα, λι-
84. 113. γυρὴ, κωτίλος, δεῖνος, κάλυξ, σαίνειν & αἰκάλλειν, οἴχεσθαι,
&c. At, aliorum, & potiſſimum recentiorum, interpretationes
quod attinet, nec has neglexit, ſed data occaſione adduxit. Sic
10. in *Erinnæ* Carminibus *Hug. Grotii* interpretatio Latina occur-
rit, & in eadem Poetria ejuſdem *Grotii*, *H. Stephani*, *Juſti
Lipſii*, & *Caſp. Barthii*, ut de aliis locis nihil addamus. Tan-
16. dem & illud ſilentio prætereundum non eſt, hanc editio-
nem eo nomine ſeſe mirum in modum commendare, quod
multa habeantur in animadverſionibus inedita. Non enim
ſolum Lexicon aliquod *Photii* manu exaratum ſæpe adhi-
buit, ſed etiam ex Bibliotheca *Uffenbachiana* nonnulla Epi-
18. 20 ſeq. grammata nondum edita variis in locis protulit Cl. Editor. Ad
95. 102. 105. calcem omnium horum Carminum adjecta eſt *Gothofredi O-
learii*, olim noſtri, Diſſertatio *de Poetriis Græcis*, obſerva-
117. tiones hiſtoricas & criticas continens, quam hic habuit Li-
pſiæ anno hujus Seculi octavo. Neque tamen nude adjecta
eſt, ſed variis obſervationibus & animadverſionibus aucta
& condecorata. Ingens augmentum cepit hæc Diſſertatio
119 ſeq. ſtatim ab initio in Præfatione, ubi pleniorem & accuratio-
rem Scriptorum de fœminis doctis ordine literarum indicem
exhibet. In ipſa Diſſertatione Cl. Editoris opera eo po-
tiſſimum reſpexit, ut locos veterum Græcorum inprimis,
quos *Olearius* quidem indicaverat, non autem accurate ap-
poſuerat, adjungeret, & ex Autoribus uberius recitaret.
Deinde varia profert, quibus dicta ab Autore poterant il-
luſtrari, confirmari, & certiora reddi. Multas præterea
Poe-

Poetrias addidit, quæ Autori, ut in ejuſmodi rebus fieri ſolet, ignotæ fuerant. Itaque in earum numero, quas in ſcenam produxerat *Olearius*, deprehenduntur *Arignote*, Pythagorica, Pag. 130. *Ariſtomacha*, *Ariſtoclea*, ſacerdos Delphica, *Caſſia*, ſive *Caſſiana*, 141. ſive *Icaſia*, virgo, *Eurydice*, *Irene*, *Marſepia*, *Martha*, 161. 163. *Olympias*, Thebana, *Pantænis*, Poetria Latina, *Perialla*, 164. 165. *Phantaſia*, *Salpe*, Lesbia. Totum Opus tandem claudunt In- 170. 173. dices, & primus quidem Autorum veterum, apud quos Frag- 180. menta & Elogia Poetriarum Græcarum reperiuntur, alter vocum Græcarum, tertius rerum notabiliorum. Ceterum hos ſuperatos labores Cl. Editori ex animo gratulamur, & reliquis ejus inſtitutis, quibus de literatura Græca optime merebitur, inprimis Fragmentis mulierum Græcarum proſaicis, in quibus colligendis jam verſatur, bene precamur.

INTRODUCTIO IN LECTIONEM NOVI Teſtamenti, in qua, quæ ad rem Criticam, Hiſtoriam, Chronologiam, Geographiam, varias Antiquitates, tam ſacras, quam profanas, pertinent, breviter & perſpicue exponuntur: cujus primas lineas olim duxit D. JO. GEORG. PRITIUS, Rev. Francof. ad Mœnum Miniſterii Evangelici Senior meritiſſimus, beate defunctus; nunc autem uberius eam digeſſit, ſingulis fere paginis auxit, novasque Diſſertationes paſſim adjecit, M. CAROLUS GOTTLOB HOFMANN, S. S. Theol. Baccal. & Eccleſ. Lipſ. ad Ædem S. Petri.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchii B. Filium, 1737, 8 maj.
Alph. 1 plag. 16, cum Fig. æn. 6.

Cum ſacri Codicis & oraculorum divinorum juſta interpretatio ſine mediis neceſſariis fieri nullo modo poſſit; facile intelligitur, omnibus, qui ſacris literis operam navant, in eo maxime eſſe elaborandum, ut illa brevi & optima via poſſit obtineri. Ad ipſos vero legendos & explicandos

Sacræ Scripturæ libros nihil magis conducit, quam si Virorum doctorum, qui Introductiones in Libros Biblicos concinnarunt, laboribus recte utaris. Nos itaque piis manibus B. *Pritii* gratias debemus maximas, quod insigni studio Introductionem in libros Novi Testamenti conscripserit in usum studiosæ juventutis. Præstantiam hujus laboris tres ejus editiones, intra viginti annorum spatium publicatæ, satis loquuntur. Nostrum in præsenti erit, de hac nova, quæ quarta est, editione, haud ita pridem luce publica donata, paucis differere, ut pateat, quid hæc præ reliquis habeat singulare. Rem fecit laude omni dignissimam Rev. *Hofmannus*, quod variis Opus hoc annotationibus, bonæ frugis plenissimis, per singulas fere paginas auxerit exornaveritque. Hic, cum doctissimum hunc *Pritii* libellum per aliquot annos Academicis prælectionibus illustrasset, & bibliopola *Gleditschius* de eo denuo edendo cogitaret, suas observationes cum illo eo libentius communicavit, quo minus *Pritiana* additamenta exspectari poterant. Tertiæ, quæ anno hujus Seculi quinto & vigesimo in lucem prodiit, editioni Cel. *Kappius* noster addiderat breves & succinctas annotationes, suppresso tamen suo nomine, propterea quod vivo Autore non liceret falcem in ejus messem immittere, & copioso Commentario ejus observationes illustrare, lectionibus potissimum Academicis scriptas. In hac nova editione easdem annotationes additas videbis, hisque nomen *Kappii* adscriptum a Pl. Rev. Editore, quippe existimante, dapes, etsi rariores, ut Cel. *Reimannus* judicat, tamen amœniores & saniores, a Viro doctissimo esse appositas. Sed & suas subjecit annotationes breves, suo item nomine signatas, ne cum illis, quæ *Kappio* debentur, confundi possent. Illa vero, quæ *Pritiano* Operi intexta sunt, per diversas literarum notas distinguuntur, ita, ut, quæ majoribus literis sunt expressa, B. *Pritio*, quæ minoribus, *Hofmanno*, debeantur. Sed, ut plenius Lectores nostri intelligant, quæ Cl. Editoris studio huic accesserint editioni, paucis exponere id ipsum, nostrum judicamus. Statim in

Prole-

Prolegomenis plerosque illos Autores adducit *Hofmannus*, Pag. 2.
qui cum e Lutheranis, tum e Reformatis, Pontificiis, & Remonſtrantibus, Criticam ſacram in Novum Teſtamentum conſcripſerunt, eandemque ſuis obſervationibus illuſtrarunt.
In horum exercitu levis quidam irrepſit typothetarum vitio 6.
error, cum *Stephanorum* nomina Pontificiis annumerentur, quem jam Pl. Rev. Editor in Præfatione annotavit, Reformatis fuiſſe aſſocianda, recte monens. Alius error, quamvis altero adhuc levior, eodem in loco huic addi poſſet, quando *Jacobi Lenfant* Introductio in libros Novi Teſtamenti adducitur, & Germanica ejus interpretatio Cl. *Erneſti* noſtro, Scholæ Thomanæ Rectori, tribuitur, quæ ejus fratri, nunc in Thuringia verbi divini Miniſtro, adſcribenda fuiſſet. In ipſo Opere quæ debeantur Pl. Rev. *Hofmanno*, ita commemorabimus, ut initio, quæ ad verba *Pritii* annotavit, deinde illas Commentationes, quas ipſe integras adjecit, enarremus. *Cap. I*, ubi de 8 ſeq.
Novi Teſtamenti inſcriptione & nomine diſſerit *Pritius*, docte idem argumentum & plenius exequitur *Hofmannus*, eodemque in loco de Epiſtola *Abgari* ad Chriſtum verba facit, rationes & affirmantium & negantium expendens. *Cap.* 13.
III, quando de iis locis Novi Teſtamenti, de quibus olim diſputatum fuit, an genuini ſint, eſt ſermo, ad ſingula loca, de quibus dubitatum fuit, varia monet, &, non ſupereſſe 17 ſeq.
cauſam de illis dubitandi, plenius demonſtrat, *Tolandi* quo- 23.
que errores conſiderans, dextreque refellens. Quando ad libros Novi Teſtamenti ſpeciatim progreditur *Pritius*, in eo laudem omnino non exiguam mereri nobis viſus eſt Pl. Rev. Editor, quod ubivis non ſolum canonicam autoritatem argumentis, tum pædagogicis, tum externis, tum internis, confirmet, ſed etiam diſſentientium argumenta ſolerter & feliciter confutet, quo illud maxime pertinet, quando quæritur, an huic vel illi Autori adſcribendus ſit liber, ut in tractatione de Epiſtola ad Hebræos, *Jacobi*, *Judæ*, & aliorum, factum eſt. Ubi *Pritius* de Apocryphis Novi Teſtamenti *Cap. XI* 134.
diſſeruerat, obſervationes nonnullas, *Tolandianis* aliiſque Antiſcripturariorum cavillationibus oppoſitas, adjecit *Hofman-*

nus, &, quæ generatim de omnibus Apocryphis dici poterant,
Pag. 146. in compendium misit. *Cap. XII* Autores potiores adducit,
de vitis & munere Apostolorum exponentes. *Cap. XIII* de
149. *Matthæo* disserit, & ex collatione & harmonia Evangelista-
rum demonstrat, per *Lebbæum*, a *Matthæo* allatum, non in-
telligi nisi *Judam Thaddæum*, quem *Lucas Judam Jacobi* no-
minat. Porro, nomen *Lebbæi* & *Levi* non esse unum idem-
que, sed *Lebbæum Judam Thaddæum*, *Levi* vero *Matthæum*,
designare, adjectis nonnullis de *Matthæi* martyrio & scri-
167. ptis spuriis, ostendit. Eadem ratione ad *Marcum* pergit, &
inprimis, an fuerit *Petri* discipulus, ejusque interpres, quærit.
175. Ad *Lucam* progressus, de ejus nomine monet, eum nonnun-
quam *Lucium* & *Lucanum* dici, de ejus patria, familia, reli-
197. gione, num fuerit medicus aut pictor, non contemnenda ob-
servans. *Joannis* Evangelistæ vitam paucis quoque com-
234. memorat. Quando ad *Petrum* perventum est *Cap. XVI*, il-
lam etiam quæstionem tangit, num *Petrus* Romæ fuerit, &
238. negantes & affirmantes Autores adducens. Larga messis est
Cap. XVII Autorum, qui vitam & fata *Pauli* Apostoli descripse-
runt; tum de jure civitatis Romanæ Tarsensis, de *Pauli* eru-
ditione, ejus præceptore, *Gamaliele*, artificio condendi aulæa,
conjugio, itineribus, anno conversionis, pauca adducuntur,
245. in quo ultimo investigando se multum temporis consum-
sisse fatetur Pl. Rev. *Hofmannus*, ut cognosceret, a cujus par-
261. tibus stet veritas. De martyrio quoque ejusdem *Pauli*
docte disserit. *Cap. XIX*, ubi de reliquis Apostolis in com-
pendio exponitur, breviores etiam adspersit observationes,
quibus vel ad Autores provocatur, vel res a *Pritio* allatæ
paucis illustrantur. *Cap. XXI* de lingua authentica Novi Te-
287. stamenti agitur, ubi *Hofmannus* noster, cur Græca lingua No-
vum Testamentum scriptum sit, disquirit, argumenta, quæ
292. pro Hebræo Evangelio *Matthæi* pugnant, expendit, eademque
refellit, argumentis contrariæ sententiæ prolatis & vindicatis.
302. Eandem diligentiam adhibuit in quæstionibus, num *Marci*
Evangelium Latine scriptum, & Epistola ad Hebræos He-
braice confecta fuerit, ubi inprimis *Josephi Halleti* argu-
men-

menta confutat, & pro Græco Codice pugnat. *Cap. XXII*, de lingua Hellenistica, illa adducit, quæ de Latinismis, Hebraismis, Solœcismis Novi Testamenti dici possunt, & causas aperit, cur in Novo Testamento non sit pure Græcus stilus, ac, *Demosthenem* intelligere potuisse Novum Testamentum, contra Cl. *Schœttgenium* asserit. *Cap. XXIV* distinctionem versuum in Novo Testamento non a sacris Scriptoribus excogitatam, sed humanum inventum esse, demonstrat, causam & rationem harum distinctionum simul aperiens. De minoribus distinctionibus, punctis, &c. *Cap. XXVII* ita mentem suam exponit Pl. Rev. Editor, non ab Apostolis & Evangelistis hanc distinctionem esse profectam, sed recentiori ætate inventam, ubi nonnulla quoque contra *Rogallium* monet. *Cap. XXVIII*, de accentibus quando dissérit, sine accentibus Græcos scripsisse olim, asserit, & ad marmora, lapides, & numos, provocat, variisque id ipsum argumentis munit, de quibus quidem non disputamus, recordamur tamen, a Cl. *Havercampo* nuper nonnullos numos & inscriptiones satis vetustas fuisse productas, ac explicatas, in quibus ejusmodi characteres occurrunt. *Cap. XXIX* variantes lectiones noster *Hofmannus* in tres classes dividit, ad primam falso ita dictas, ad secundam quorundam manu exaratorum Codicum, vel Patrum & versionum, monumentis innixas, ad tertiam, quæ vere variantes lectiones, & multi momenti, sunt, referens. Addit & causas variantium lectionum, Criticorum audaciam accusans, & nonnullos canones, huc spectantes, ex *Pfaffio*, *Bengelio*, & aliis, repetens. Qui de MStis Græcis & Græco-Latinis, & variis Novi Testamenti editionibus, scripsere, hos diligenter indicat. *Cap. XXX* pauca monet de Codice Cantabrigiensi, Alexandrino, Claramontano, Vaticano, Regio Parisiensi, *Sangermanensi*, *Bœrneriano*, *Carpzoviano*, & Berolinensi; nec minorem diligentiam in annotandis Novi Testamenti editionibus adhibuit, quarum quæ sunt recens editæ, eas adjecit. *Cap. XXXII* de rebus gestis *Herodis* ulterius agit, inprimis de censu ab *Augusto* imperato *Luc. II*, simulque ad

Pag. 358. 364. 368. 375. 384. 416.

 dubia

dubia hac de re mota respondet; adjectis nonnullis de infanticidio Bethlemitico, de familia *Herodiadum*, & eorum genealogia. *Cap. XXXIV* Galilæam sectam, & qui fuerint
Pag. 448. Zelotæ, describit, *Calmeti* de *Herodianis* novam conjecturam proponit, Samaritanos & eorum dogmata plenius recenset. *Cap. XXXVI*, de genealogia Novi Testamenti, quo
466. *Herodis* & *Augusti* anno Christus natus fuerit, disquirit. *Cap. XXXVII*, ubi de Geographia Novi Testamenti sermo est, non
481. solum in genere Scriptores Geographicos nominat, sed etiam Terram sanctam & nonnullas regiones speciatim describit, v. g. Galilæam, Cæsaream *Philippi*, & nonnullas urbes, earumque situs sigillatim recenset, quæ ipsa ad intelligendum Nov. Fœdus plurimum faciunt. In hoc *Capite* etiam duas Mappas Geographicas, unam Terræ sanctæ, alteram Asiæ minoris, invenies. *Cap. XXXVIII*, præter nonnullas breviores annotationes de urbe Hierosolyma, plenius eam de-
507. scribit, quantum ad intelligendum Novum Fœdus necesse erat, montes circa Hierosolymam sitos, fontes, aquas, & reliqua memorabilia, exponens. Nec minorem diligentiam adhibuit *Cap. XXXIX*. Cum enim in eo B. *Pritius* historice de templo disseruisset, non vero ipsum templum descripsisset, sola ichnographia ex *Fullero* & *Lightfooto* desumta, hunc laborem in se suscepit Pl. Rev. *Hofmannus*, & secundum templum Hierosolymitanum uberius delineavit, ducem secutus
522. potissimum *Relandum*, & templi conspectum, ut mente conceperat, æri incidendum curavit, qua in re suam dili-
528. gentiam desiderari non passus est. *Cap. XL*, de numis Novi Testamenti, in genere observat, Romanos ab urbe con-
529. dita per quinque fere Secula non nisi asses & semisses ex ære conflatos habuisse. Singulas deinde species numorum Judæorum exponit, & eorum valorem dilucidat. *Cap. XLII*, ubi de mensuris disseritur, de chœnice, & ejus capacitate,
539. varia disputari monet, reliquas mensuras etiam attingens, & tabulam mensuræ aridorum & fluidorum subjungens.
544. *Cap. XLIII* mensuram intervallorum, stadium quippe, viam sabba-

ſabbathi, & reliqua, ſiſtit, &, quæ hic diſputari ſolent, paucis exhibet. *Cap. XLIV* de naturali die nonnulla ponit, quid ſint duæ veſperæ, quid vigiliæ noctis, quid gallicinium, & reliquas difficultates, quæ de tempore in S. Codice occurrunt, plenius commemorans. In tractatione de Synedrio *Cap. XLV* maxime explicat, qui fuerint ſcribæ, & pœnas Judæorum recenſet majores & minores, arduam ſimul quæſtionem tangens, num habuerint Judæi vitæ & necis jus, cum Chriſtus morti addiceretur. *Cap. XLVI*, de Synagoga, Autorem Anonymum maxime confutat, qui, nullas Synagogas Hieroſolymis fuiſſe, contenderat. Hæc ſunt illa potiora momenta, quæ ad B. *Pritium* Rev. *Hofmannus* annotavit. Sed & ſingulis fere *Capitibus* obſervationes ſatis elegantes adjecit. At de Epiſtolis *Pauli* prorſus tacuit, quod longior hic eſſet labor, quam quem hic liber poſſet capere. Itaque conſtitutum eſt Pl. Rev. Editori, Volumen juſtum, in quo Introductio in Epiſtolas S. *Pauli*, Apoſtoli, tam generalis, quam ſpecialis, dabitur, evulgare, ad quod opus perficiendum nos ei divinum auxilium, viresque cum corporis, tum animi, comprecamur. Quod vero ad illa attinet, quæ ab *Hofmanno* in hoc libello addita fuerunt & diſputata, de quibus antea prorſus nihil exſtiterat in *Pritio*, paucis & hæc ipſa indicabimus. Præter Prolegomena de Autoribus huc ſpectantibus, huc pertinet *Hiſtoria Canonis Novi Teſtamenti*, in compendium miſſa, ubi per Secula exponit, qui libri Novi Teſtamenti fuerint olim in canonem relati, de quibus dubitatum, & qui ſemper admiſſi fuerint; ubi diſſeruerat *Pritius* de Epiſtola ad Hebræos, docet nos Cl. Editor, ad quos data fuerit hæc Epiſtola, unde & quo tempore miſſa, quem locum in canone obtineat. Singulis etiam libris, tum Evangeliis, tum Epiſtolis, brevem analyſin eorum ſubjecit, quæ harum rerum ſtudioſis omnino ſufficere poſſunt. Cum de prima Epiſtola *Petri* prorſus tacuiſſet *Pritius*, tractationem de hac inſeruit Rev. Editor, qua autoritatem ejus canonicam probat, & ulterius demonſtrat, hanc Epiſtolam tam ad ex-gentiles, quam ad ex-Judæos, fuiſſe datam, examinata

Pag. 548. 26. 53. 76.

Halleti

Halleti sententia. Omnibus Evangelistis peculiarem adjecit
Pag. 154. introductionem, ubi partim de Autore, partim de tempo-
169. 181. re scripti Evangelii, de occasione, scopo, lingua, perfectio-
200. ne, autoritate canonica, agit, exceptionibusque adversario-
188. rum respondet. Idem dicendum est de introductione in A-
cta Apostolorum, ut reliqua brevitatis ergo taceamus. Satis ex his a nobis commemoratis poterit intelligi, quid hæc editio præ reliquis habeat singulare. Gratias vero habebit quilibet Pl. Rev. *Hofmanno*, quod studiosæ juventuti tam elegantem libellum tradiderit, ex quo certe multum proficere poterunt, qui ampliori Bibliotheca destituuntur, siquidem optimos Autores ubique consuluit, nec tantum eorum sententias adduxit, sed etiam optimam elegit, & suam simul mentem explicavit, quod multi hodie omittere solent, lectores incertos relinquentes. Neque tamen ita in verba sui *Pritii* juravit, ut nunquam ab eo discesserit, quin sæpe potius ejus effata corrigit, v. g. *pag. 352*, ubi *Pritius* sententiam *Heideggero* adscripserat, quæ minime illius fuit, *pag. 430*, ubi *Pritium* accusat, quod nomina procuratorum turbaverit, *pag. 549*, quod asseruerat, Judæos consuesse diei ab ortu solis capere initium, cum potius, omnes dies ab occasu solis eos inchoasse, existimet *Hoffmannus*. In templi structura & loco prorsus ab eo dissentit, quod etiam in aliis locis observatur, e. g. *pag. 585* & *586*. Nos his nihil in præsenti addimus, Pl. Rev. Editori vitam viresque, ad reliqua, quæ orbi erudito promisit, opera perficienda, ex animo comprecantes.

Mit Anmerckungen erläuterte Nürnbergische Reformation vom Jahr 1564, ꝛc.

h. e.

COMMENTATIO SUCCINCTA IN CODIcem Juris Statutarii Norici de A. 1564, multis annotationibus, ac, ut vocant, præjudiciis, illustrata, variisque Ordinationibus, veluti Civitatis, Bancæ, Appellationum, Judiciorum, Cambiorum, nec non Articulis bellicis, aucta & ornata.

Nori-

Partes III.

Noribergæ, apud Jo. Andr. Endteri Hæredes, 1737, fol.
Pars I Alph. 11 plag. 8, Pars II Alph. 5 plag. 19,
Pars III Alph. 4 plag. 7.

Non eſt pæne ulla in Germania urbs, licet ignobilis & obſcura, cui non ſint ſingularia ſua Statuta. Inter hæc autem Noribergenſia, Reformationis titulo nota, jam dudum nominis quandam celebritatem obtinuere. Sæpius enim aucta, & publici juris facta, leguntur. Id quod abunde ſatis teſtatur Celeb. *Kœleri* Hiſtoria hujus Codicis ſtatutarii. Nondum tamen Commentario adeo vaſto, moleque ſua fere laborante, ut præſenti, fuerunt illuſtrata. In Præfatione, quæ Operis hujus dedicationem, ad Noricum Senatum directam, & Figurarum quarundam ænearum, in fronte ſtatim comparentium, explicationem, excipit, ſuſcepti laboris cauſam præcipuam profitetur Cl. Autor, *Mevii,* celeberrimi ad Jus Lubecenſe Commentatoris, & aliorum, exempla, nec non, qui publicis ejuſmodi editionem expetiere votis, *Kœleri*, *Hoffmanni*, & *Piſtorii*, monita. Propoſuerat autem ſibi ab initio Autor, ut ibidem teſtatur, *Partem I* ſeparatim in lucem emittere, Hiſtoriamque Noricæ civitatis diplomaticam, ut & Diſſertationes, ac varia ſcripta, jamjam edita, Operi annectere; ſed mutavit conſilium, hisque una cum Hiſtoria omiſſis, integrum Commentarium jam cum erudito orbe communicat, promittens, data occaſione memoratam Hiſtoriam diplomaticam ſeparatim ſe daturum. Significandum hoc quidem ideo duxit, quoniam in ipſo Opere ad ita dictam Appendicem Documentorum ſæpius provocavit, his tamen in Voluminibus nuſquam extantem. *Parte* vero *prima* hujus Commentarii, omnium primo occurrunt annotationes ad ipſum titulum, in quibus Autor ab antiquiſſimis Germaniæ temporibus laborum ſuorum initium ſumere, & nobis ob oculos ponere, conatur, quo demum modo Germaniæ hiſtoria dividenda, quæ ſit civitatum, pagorum, vicorum, Gau, Au, Burg, nominibus vera indoles ac natura, qua porro ratione vici & burgi pagi

effecti ſint, & hi in civitatum numerum venerint. Inde differentiam inter villam & oppidum, urbem & civitatem, pariter ac villas regias & legis, attingit. Et ab his ad antiquiſſimos Germaniæ incolas, eorumque linguam, deinde ad Gallos, ſive ad Francos, Alemannos, & Celtas, progreditur. Hi ipſi occaſionem præbent deducendi primas omnium Germanorum origines, ac duorum præcipuorum Germaniæ ſive Alemanniæ fluviorum, *Danubii* & *Rheni*. Quibus relictis, varias Alemanniæ diviſiones, & primos populos, oſtendit. Sequitur Noricæ civitatis veluti generalis origo, nec non priſtina Norici & quatuor ſylvarum facies. In tempus etiam inquiritur conditæ Noribergæ, & orti nominis Nordgavii, demonſtraturque, Noribergam *Caroli M.* ævo jamjam floruiſſe. Succedunt prima Franconiæ initia & origines. Ex his itaque ſuppoſitis omnibus Autor concluſionem de Noricis legibus elicere tentat, ab illisque rurſus ad antiquiſſimas Germaniæ leges, & quidem ante *Caroli M.* tempora, recedit, oſtendens differentiam inter Leges & Capitularia, horumque compilatores, quibus addit Legem Salicam, ceterasque Francorum, Alemannorum, Bajoariorum, & Saxonum, leges, quas excipiunt Noribergenſium feudales, A. 1208 promulgatæ, Jura Romana & Pontificia, quæ, quomodo in Germania fuerint recepta, ex antiquis quibuſdam documentis Noricis clarum redditur, Specula porro Saxonicum & Alemannicum, Lubecenſia item, & Bavarica, & Auguſtana jura. Quibus quidem expoſitis omnibus, ad antiquiſſimas etiam Noribergenſium leges accedit Autor, nexum docens, quo univerſalia Germanici imperii & particularia jura moresque a *Carolo M.* ad *Fridericum II*, & inde ad annos 1484 ac 1564, Noribergenſibus Statutis ſint innexa, hæcque corroborent ac illuſtrent, qua non minus ratione imperii civitates jus condendi Statuta exercuerint, ac una ad exemplum alterius privilegia deſuper acceperit. Et quæſtionem tangit denique, an ſit aliqua, & qualis, differentia inter Civitates imperii & Civitates imperii liberas. Ab his iterum Noribergam ſe confert Autor, vindicans ipſi recentioribus etiam temporibus jus condendi

dendi

dendi Statuta, sistensque primam & secundam Reformationis Noricæ editionem, prioris formam & indolem, nec non reliquas. Quibus denique subjungit Autor disquisitionem de origine hujus vocis, Reformationis scilicet, & indicem Commentatorum in illam, ubi inprimis de *Wurffbaini* differentiis Juris Civilis & Reformationis Noricæ agitur. Absolutis nunc demum in titulum annotationibus, Cæsaris *Ferdinandi I* privilegium de typis imprimendo hoc Codice statutario, A. 1563 concessum, integrum inseruit Autor, redditis, quibus adductus id fecit, rationibus, simulque universam de ejusmodi privilegiis Cæsareis doctrinam, illamque de Statutorum confirmationibus, ac insinuationibus, Cameræ iprimis imperiali faciendis, persequitur, inter alia Statutorum confirmationem a superiori prudentiæ, non necessitatis, affirmans, nec non inter maxime singularia albo veluti calculo notans, *Ferdinandum I* mox post publicationem hujus Reformationis diem obiisse supremum, exequiasque illius ultra annum ob belli calamitates fuisse dilatas. Sequitur ipsius Reformationis Noricæ Præfatio, cum annotationibus, X momentis inclusis, quæ sequentibus *Sectionibus* pertractantur, earumque *prima* quæstionem continet: an & quatenus Statuta peregrinos quoque obligent; quæ ratione Noribergæ affirmatur, &, quæ generatim circa hanc doctrinam a Doctoribus tradi solent, afferuntur & expenduntur, nec non præcipui casus & modi recensentur, quibus peregrini Statutis illigari soleant. Accedunt *Sectione secunda* quædam vocabula, in supra citata Præfatione contenta, veluti *Obrigkeit, gebiethen, Pflege*, &c. illustranda, quorum occasione Autor de variis nominibus judiciorum, magistratuumque, e. g. *Bürgermeister*, *Rath*, &c. nec non subditorum, veluti civium Pfal- & Usburgerorum, incolarum, &, qui sub protectione tantum sunt, Vasallorum, Officialium, Censiticorum ita dictorum, Hintersassiorum, Schrifftsassiorum, Amtsassiorum, rusticorum, servorum, famulorum ita nominatorum, Ehehaltiorum, Auspannigerorum, Wildfangiorum, Hagenstolziorum, Captivorum, Turcarum, Nobilium, Ministerialium, Doctorum, & ceterorum, qui in

 Aca-

Academiis gradum aliquem consecuti sunt, generatim agit. Inter alia quoque Noribergensibus superioritatem territorialem extra ipsius ambitum vindicare conatur, provocans ad Reformationis vocabula *Obrigkeiten* & *Gebiethen*, quæ verba in antiquioribus etiam Reformationis editionibus, veluti A. 1484 & 1498, continentur, in quibus Autor suæ assertionis argumentum gravissimum posuit, licet forsan aliis non æque grave videri queat. Sed nostrum non est, lites hic attingere toto pæne orbe celeberrimas periculosissimasque. *Sectione tertia* Statutorum Noricorum fontes exhibentur. Desumta scilicet sunt e Jure Civili, Communi, Canonico, Recessibus imperii, antiquo Jure Feudali Alemannico & Saxonico, ac particularibus denique Noricis consuetudinibus. Ex harum numero inprimis notari merentur, 1) finis tutelæ ac curæ anno ætatis decimo octavo completo; 2) per matrimonia & adhuc ante annum decimum octavum cessare curam; 3) masculos & fœminas, quibus sunt parentes, vel tutor aut curator fuere, sine illorum horumque consensu, & masculos ante annum vigesimum secundum, fœminas ante annum vigesimum quintum, matrimonia valide inire non posse; 4) fœminas contra curatore destitutas post annum decimum octavum valide sese obligare; 5) perpetuam fœminarum tutelam, ut & exceptionem Senatusconsulti Vellejani penitus hic cessare: ubi, quæ Autor e *Bayero*, ut profitetur, de Saxonia circa fœminarum curam adducit, praxi omnino repugnare videntur; 6) testamenta & alios majoris momenti contractus coram ita dictis *Genannte* confici debere; 7) juramenta propter sortitiones annuas magistratuum præstanda; ac 8) denique (*Sectio IV*) varia inprimis singularia circa matrimoniorum communionem. Modo datam regulam comitantur casus quidam excepti, quos *Sectione V* tradit ac explicat Autor, quæstionemque, in quantum leges ad præterita tempora extendenda, exponit, adductis, quæ a Doctoribus in hoc argumento tradi soleant, immixtis etiam, quæ vocantur, præjudiciis Doctorum. Eadem ratione *Sect. VI, VII, VIII, IX*, doctrinas de legum promulgatione, Statutorum interpretatione, pœnis in legis transgressores statutis, necessitate magistratuum, legum

gum

gum & judiciorum, variaque illorum utilitate, persequitur Autor, notitiam tandem suppeditans *Sect. X* antiquiorum Imper. privilegiorum, Noribergensibus concessorum. Præfationem excipit *Partis I Tituli 1, de variis Judiciis* inscripti, ut ajunt, rubrum, cujus annotationes sæpius memoratæ Reformationis Noribergensis divisionem, & a Jure communi antiquioribusque Ordinationibus differentiam, inspersis nonnullis monitis, recensent, & generatim loca indicant, in quibus Noribergæ jus dicitur. His subjungit Autor pleniorem, ut vocant, introductionem Reformationis; cujus *Pars I* varias item in *Sectiones* est divisa. Senatus Noricus earum *primam* absolvit, in qua Autor ostendit societatum humanarum, ut & urbium incolarumque, electionum senatoriarum, & Noribergensis speciatim, origines, ac denique errores quosdam, circa statum Noribergensem, & Senatus inprimis rationem, commissos. Succedunt *Sectione secunda* Senatus & Regiminis personæ. De Consulibus autem & Scabinis tantum hic quædam notare secum constituit Autor. Sunt scilicet 26 Consules, 13 Seniores, & 13 Juniores, quorum omni ævo per mensem unus e Senioribus, & e Junioribus unus, partes imperii gerunt. Eodem tempore & modo duo alii Judicio civitatis assident, postquam scilicet illud a Senatu separatum fuit, ita tamen, ut Junior regens Seniori certa ratione sit subjectus. Præterea 13 alii, 7 scilicet Seniores, & 6 Juniores, inquisitiones & causas criminales tractant. Ipsas etiam officii rationes Consulum & Scabinorum fuse satis describit Autor, ac quædam addit de indole nominum Consulum & Scabinorum. Inde *Sectione tertia* res persequitur Autor ad Senatum deferendas, itidem tractandas, & decidendas. In harum censum, præter provocationis modum eo devolutæ, referuntur causæ per documenta omni exceptione majora liquidæ, porro quæ ad statum civitatis publicum pertinent, vel sunt majoris momenti, ac moram non patiuntur, estque & hic in usu charta signata. *Pars II* Introductionis plenioris sistit officia præcipua Civitatis Noricæ, ab uno vel pluribus Senatoribus administrata, qui causas eo pertinentes vel sua autoritate cognitas decidunt, vel ad Senatum referunt. Inter hæc vero primum *Sect. I* occupat locum castri imperia-

rialis præfectura. Cujus quidem castri notatu maxime digna, indissolubilemque cum urbe nexum, & hodiernam custodiendi rationem, descriptam hic deprehendere licet. Huic jungitur Sculteti officium, cujus antiquam indolem & originem generatim, & Noribergensis speciatim, hujusque hodiernam rationem, *Sect. II* exponit Autor, indeque *Sect. III* ad curam ærarii publici (*Losung-Amt*) progreditur, illiusque in republica necessitatem, Noribergensis inprimis indolem, ac causas eo pertinentes, ostendit. Cum describit *Sect. IV* officium tutelæ Ecclesiasticæ (*Kirchen-Vormund-Amt*), & Scholarchatum, potissimum agit de Noribergensi Ordinatione Ecclesiastica, libris, quos vocant, normalibus, nec non causis ad hoc officium spectantibus, modoque procedendi, ac denique de procuratoribus, ac Procancellario Academiæ Altorfinæ. Ordo nunc tangit *Sect. V* officium Proto-Provincialis (*Land-Pfleg-Amt*), cujus hic jura præcipua, inprimis ad ordinem quod attinet professus, ac tempus instituti officii, annum nimirum 1545, nec non officium & consilium bellicum. Porro *Sect. VI* de jure armorum antiquo & recentiori, in causis bellicis procedendi modo, juribus hujus officii apud Noribergenses, legibus, & inprimis articulis bellicis Noribergensibus, quos Autor e *Lünigii Corp. Jur. Mil. Art. 19* desumtos integros inseruit, aliisque huc spectantibus, copiose satis agitur. Devenimus hinc *Sect. VII* ad Ædilium officium, ubi, præter generalia, nunquam non ab Autore immixta, Ædiles Noricos, *Bau-Herren* & *Baumeister* dictos, offendimus expositos, eorumque habitationem Noribergæ, nec non differentiam inter judicium & officium Ædilitium, hujusque rationem, & aliorum denique officiorum, cum hoc concurrentium. Præfectura, quæ sequitur *Sect. VIII*, sylvarum differentiam inprimis monstrat jurisdictionis forestalis, juris venandi & foresti, nec non aucupii, & qua demum ratione hæc præfectura a *Forst & Zeidel-Gericht* differat. Scabinatus officium hinc *Sect. IX* sistitur, ejusque differentia a ceteris ejusmodi officiis Noricis, illius jura, nomina personarum, quæ pristinis temporibus illud constituere, indoles vocabuli Scabini, nec non Scabinorum scriba, officium, origo pro-

processus inquisitorii, & reliquorum processuum criminalium, & quæ præterea circa universam criminum doctrinam, modumque ibidem procedendi, secundum jus commune & Noricum obtinent. Agmen tandem hujus *Partis* claudit *Sect. X* ita dictum *Frais & Frevel-Amt;* cujus est potissimum prospicere, ne circa casus jurisdictionis criminalis turbationes, ut ajunt, suscipiantur, ac ne quid in præjudicium reipublicæ in locis, quæ dicuntur *Aberkannte Orte*, circa hanc jurisdictionem accidat. Qua quidem occasione Autor nonnulla de indole vocum *Frais & Frevel*, ac quæ sub illis debeant intelligi, nec non de abductione cadaverum mortuorum, & ita dictorum *Freiss-Pfande*, & aliis quibusdam casibus fortuitis, & qui appellantur *Frevel-Fælle*, differit, adjectis in fine indice ac contentis Documentorum huc spectantium. *Pars III* plenioris Introductionis de nonnullis agit deputationibus, ac Senatus membris, quæ vel specialibus funguntur muneribus, vel nomine Senatus aliis præsunt, & *Sectione* quidem *prima* de Cancellariæ & Judicii Dominis, ad quos spectat Archivi & Cancellariæ, hujusque sigilli, custodia, nec non suprema rerum cura, quæ ad Collegium generatim, & horum uniuscujusque officium speciatim, pertinent. Et, qui in judiciis aliquod obire munus, vel orandarum in foris causarum licentiam, desiderant, hos prius ambire necesse est. *Sectio II* de Deputatis ad Collegium medicum & pharmaceuticum, quibus competit suprema Collegii medici inspectio, nec non pharmacopoliorum; *Sectio III* de deputatione ad telonia & libras (*Holl-und Waag-Amts-Deputation*), ubi de jure telonii Noribergensi antiquo & hodierno, de judicio, quod *Pfeiffer-Gericht* appellatur, & immunitate a telonio; *Sectio IV* de monetæ dominis, & visitandi illam officio, & simul de jure monetandi civitatis Noricæ; *Sectio V* de magistratu census dominici (*Herren Zins-Meister*), cujus potissimum est jurium fisci habere curam, & censuum annuorum, de quibusdam locis Noribergæ solvendorum; *Sectio VI* de Dominis tributorum, quæ dicuntur *Umgeld, von denen Herren zum Umgeld*, exponit. Moris scilicet est Noribergæ, ut & in multis aliis

aliis locis, de vino, cerevisia, &c. quendam solvere censum, *Umgeld* dictum, qui cum controversiis huc spectantibus ad hoc officium pertinet. *Sectione VII* de frumentorum, pistorum, molitorum, aquarum, ac fori, dominis (*Getreid-Becker-Müller-und Wasser-auch Marckt-Herren*), ubi simul tractatur de nundinis civitatis & terræ Noribergensis, & illarum cura; *Sectione VIII* de Dominis deputatis ad curam boum & sevi (*von den Herren Deputirten von Ochsen-und Unschlit-Amt*), quorum inprimis est munus, prospicere, ut omnis generis carne civitas abundet; *Sectione IX* de supremo Præfecto montis, ut ajunt, pietatis (*von Herren Ober-Pfleger des Leihauses*), ubi de usuris, de progressu Judæorum Norbergæ, tempore, quo civitate pulsi sunt, origine montis pietatis, & quomodo res furto ablatæ vindicandæ sint, ac ratione denique, quam Judæi, Noribergæ commercia acturi, observare debent; *Sectione X* de officio circa ita dictas contributiones civium restantes, detractum, & testamenta, (*von Bürger-Losung-Restanten-Nachsteuer-auch Testament-Amt*) curate Autor differit. Modus hic petendæ civitatis Noricæ notatur, & de iis, qui sunt sub protectione Senatus Noribergensis, & aliis, nec non alienatione immobilium, quædam afferuntur. *Sectione XI* de officio circa literas, *Vehd-Pass-Brief* dictas, nec non circa pestem (*von Vehd-Pass-Brief und Contagion-Amt*); *Sectione XII* de ita dictis *Viertel-Herren*, & deputatis ad turrim, carceres, ergastulum, ac scholas Germanicas, agitur, in quorum duorum officiorum descriptione nihil prorsus notatu dignum occurrit. Sequitur *Pars IV* Introductionis plenioris, in cujus *Sectione I* tractatur de jure feudorum, decimarum, & patronatus, (*von Lehn-Zehend-und Kirchen-Herrschafften*,) ubi, præter origines feudorum Germaniæ & Noribergensium generales, horum feuda *Kuchel-Lehn* dicta describuntur, & quædam de decimis & jure patronatus notantur. *Sectio II* de legitimis *Vogteja*, sive ita dictis propriis dominiis, ut & universitatum dominiis ac jurisdictione, (*von den rechtmæssigen Vogtey-oder Eigen-Herren auch Gemeind-Herrschafften*) nos docet. Hic autem inprimis Autor in origines Vogtejæ, seu ita dictorum jurium propriorum

rum

rum inquirit, ac e veterum Germanorum servitute repetit, nec non varium illorum usum & genera, ut & indolem Noribergensium ac reliquarum Franconiæ Vogtejarum, indeque fluentis jurisdictionis, & quæ ejusmodi dominis non, aut omnino, competant jura, persequitur, quædam addens de pagorum & universitatum statu & jurisdictione. *Sectio III* de curis (*Pflegen*) & administrationibus ecclesiasticarum & secularium fundationum ac fideicommissorum (*Vorschickungen*) agit. Pactorum successoriorum apud veteres Germanos singularis ratio explicatur in hac *Sectione*, simulque tractatur de ita dicta secularisatione bonorum ecclesiasticorum, fundationibus secularibus, ac in quantum fideicommissa perpetua in feudis locum habeant, & de Jure communi sint licita. *Sectio IV* de cura (*Pflege*) & administratione communium civitatis eleemosinarum: ubi ex *Abasveri Fritschii* Tractatu de Mendicantibus validis, & aliis, generalia quædam de hac materia affert Autor; *Sectio V* de orphanotrophiis, ac liberorum expositorum cura (*von der Findel oder dem Waysen-Hause*), agit; sed nec hic reperitur, quod notari mereatur. Accedimus potius ad *Partem V* Introductionis plenioris, quæ judicia exhibet, de quibus in Reformatione Norica peculiaris non exstat dispositio. Horum in numero sunt *Sectione I* remissiones ad judiciorum instantias, hic expressæ, nec non *Sectione II* momenta ita dicta appellabilitatis (*Appellabilitats-Punckte*), quorum natura, & in illis procedendi modus, describuntur. Succedunt *Sectione III* in peregrinos judicia, *Gast-Gerichte* dicta. Licet enim per privilegium de A. 1440 Noriberga non teneatur peregrinis reddere jus contra peregrinos; inveniuntur tamen casus, qui horum judiciorum necessitatem postulant. In hac itaque *Sectione* Autor jurium & judiciorum in peregrinos indolem, horumque ab aliis judiciis differentiam, monstrat, &, quomodo Noribergæ habeantur, docet, causas simul eo pertinentes recensens. *Sectione IV* Judicium *Wæhrder-Gericht* & *Pfleg-Amt Gostenhoff* dictum explicatur. *Wæhrd* nimirum & *Gostenhoff* duo sunt suburbia Noribergensia, huic judicio subjecta, cujus antiquam & hodiernam indolem, causasque, quæ illius cognitioni subsunt, &

 alia

alia quædam ſingularia, hic Autor perſequitur. Porro *Sectione V* Judicium *Inzicht-Gericht* dictum, e proceſſu ſcilicet accuſatorio, cujus indoles ſecundum priſca Germanorum jura hic expoſita deprehenditur, ſolennia & publica judicia in cauſis homicidii, *Inzicht-Gericht* dicta, quæ Noribergæ & in aliis locis obtinent, repetit Autor, horumque rationem, modum procedendi generatim, nec non ſpeciatim, vel abſente, vel præſente, vel ad citationem comparente reo, ſingulareſque quoſdam mores hic uſitatos deſcribit, nec non de ſalvo denique conductu dando agit. *Sectione VI* Judicium Bancæ publicæ (*Banco-Gericht*) deſcribitur. Ubi quidem Autor Ordinationes ita dictas ſpeciales, huc ſpectantes, integras, variiſque obſervationibus illuſtratas, inſeruit, & quidem primo loco ita dictam *Mercantil* & *Banco-Gerichts-Ordnung* de anno 1697, quæ *XVI Capitibus* abſolvitur, poſtea Senatus Norici reviſam & illuſtratam Bancæ & Cambiorum Ordinationem, (*revidirte und erlæuterte Banco- und Wechſel-Ordnung*,) de anno 1721, ſub qua continentur 1) Ordinatio ipſa Bancæ (*Banco-Ordnung*), reviſa, illuſtrata, & ab Autore aucta; 2) Decreta d. 6 Oct. A. 1722, d. 17 April. A. 1723, & d. 28 April. A. 1724, quæ circa claudendam Bancam publicam, & ſi ibidem non ſcribatur, obſervanda præſcribunt; 3) Mandatum d. 28 Febr. A. 1713 de Judæorum commerciis; 4) Mandatum d. 19 A. 1714, abuſum Judæorum circa cambia tollens, & 5) ipſa Cambiorum Ordinatio, d. 16 Febr. A. 1722, 11 conſtans *Capitibus*. Hanc *Partem*, & univerſam pleniorem Introductionem, claudit matrimoniorum Judicium, cujus quidem *Membrum I* generatim cauſas matrimoniales, doctrinam ſcilicet ſponſaliorum, nuptiarum verarum, ſtuprorum, divortiorum, jurium maritis competentium, donationum inter virum & uxorem, & quæ præterea huc ſpectare videntur, copioſe perſequitur. *Membrum* vero *II* patriam poteſtatem, adoptionem (*Anwunſchung*), unionem prolium, legitimationemque, deſcribit. *Membrum III* poteſtatem exponit conjugum in famulitium, inprimis ad caſtigationes quod attinet, & injurias, ſive reales, ſive verbales, ſecundum uſum Noribergenſem. *Membrum*

brum denique *IV* processum sistit in causis matrimonialibus, simul docens originem jurisdictionis Ecclesiasticæ inprimis circa matrimoniorum causas, & illius usum Noribergæ hodiernum, ac in quantum hæ causæ ad Judicium civitatis pertineant, quibus quædam de modo in illis procedendi addita sunt. Finita hoc pacto demum amplissima hac Introductione, quæ statum veluti publicum Noricæ civitatis per partes suas dispositum fuse satis persequitur, ipsa adeo sæpe memorata, quæ nunc sequitur, Reformatio Norica *III* absolvitur *Partibus*; quarum *prima* priores *Titulos XIII*, de judiciis & processibus agentes, exhibet. In annotationibus vero ad ita dictam Legem I de Judicio civitatis, & quod nemo coram aliis Judiciis conveniri debeat, Autor 1) de Judicio civitatis generatim agit, fata judiciorum pristinorum Germaniæ, hujus historiam, dies juridicos, ita dictas audientias, sessiones, & deputationes, relationes, publicationes sententiarum, Prætoris urbani officium, explicans, ac in antecessum veluti procedendi modum in processu articulato, ordinario, summario, &c. attingens, deque causis matrimonialibus, supra jam expositis, nonnulla hic repetens. Deprehenduntur insuper ex Ordinat. Processf. Noriberg. *VI* priora *Capita* de Prætore, &c. hic integra inserta. Differit Autor 2) de non trahendis ad peregrina Judicia, ubi evocationis, & inprimis juris de non evocando, doctrina fuse satis tractatur; 3) de foro competente, una cum exceptionibus, quæ sequenti *Sectione* sistuntur. Ad ita dictam Legem pertinet 4) Judicium rusticorum (*Bauren-Gericht*), quod unum esse solet e Noribergensium antiquissimis, ejusque copia die Saturni ab hora 1 ad 2 pomeridianam est, in gratiam rusticorum, feriis etiam ideo observatis, a diebus D. D. *Petro* & *Paulo* sacris ad diem *Bartholomæi*. Porro ad Legem IV Judicium Ædilium (*Bau-Gericht*), ad Legem V Judicium *Straff*- sive *Funffer-Gericht* dictum, ad Legem VI Judicium *Ruggericht*, & ad Legem VII *Forst-* & *Zeidel-Gerichten* appellata, describuntur. Qui nunc sequntur processus mere civiles, ab Autore pro more suo illustrati sunt. Sufficere autem hæc speciminis loco arbitramur, ut exinde Lector de universo

Opere, & reliqua illius materiarum expoſitione, judicium ferre queat. Juſto enim prolixius omnino futurum fuiſſe credidimus, ſi omnium Titulorum contenta recenſere, &, quæ Autor in annotatis ex omni Jure & vaſtis doctorum voluminibus petita attulit, inſtitueremus explicare. Multæ quippe id agentibus non ſuffecturæ fuerant paginæ, tædiumque plurimis ſine dubio non leve crearent protrita & alias centies jam dicta. Quare, quæ adhuc reſtant, ſummatim tantum attingemus. *Secunda* hujus Reformationis *Pars* a *Tit. XIII* ad *XXVIII* progreditur, nec niſi privati juris doctrinas, veluti de mutuo, commodato, depoſito, emtione, venditione, locato, continet. *Tertia* tandem a *Tit. XIX* ad *XXXIX* univerſam ſucceſſionum & tutelarum materiam ſiſtit. E quibus denique omnibus abunde ſatis, ut credimus, conſtabit, iis, qui Noribergæ cauſas orare, vel cujuſdam in Judiciis muneris partes obire, ſibi propoſuerunt, inſtar Bibliothecæ juridicæ futurum hoc Opus. At ceteris non æque uſum adeo ſingularem, noſtro quidem judicio, præſtare valebit, ob nimiam molem, ingentemque eorum copiam, quæ parum accurate dicta, & cognitionis ſunt vulgaris, quæque adeo ad rem omnium pertinere non videntur. Nec ſtili rationem ſatis accuratam habuit Autor, eam ſecutus licentiorem: ſecus atque id fieri ſolet his inprimis temporibus. Quamobrem non dictionem minus, quam res propoſitas, paucorum fore ad palatum, augurio haud vano auguramur.

REFLEXIONS SUR LES PLAYES, &c.

h. e.

MEDITATIONES DE VULNERIBUS, Sive Methodus agendi in illorum curatione, ſecundum principia recentiora, ſtructuram partium naturalem, earumque motus mechanicos, certiſſima experientia nixos, cum animadverſionibus præſtantiſſimorum artis magiſtrorum, ipſorumque obſervationibus curioſiſſimis &

& utilissimis, quæ ad vulnera triplicis ventris pertinent; Autore F. C. FAUDACQ, Chirurgo Namurcensi.

Parisiis, apud viduam d' Houry, 1735, 8.
Alph. 1 plag. 2.

Occasionem componendi hujus libri perindustrio Autori dedit libellus quidam Gallicus, *Essai de Chirurgie* inscriptus, in quo multa se quidem satis bona reperisse, multa vero etiam notasse, quæ Chirurgis, præcipue recentioribus, placere, ipsorumque suffragiis comprobari, nequeant, contendit. Cumque hoc judicium nonnullis sui ordinis viris justo durius visum sit, ejus rationes reddere in se recepit, quibus palam fieret, multas in eo libello regulas atque encheireses exstare, quæ in ipsa artis exercitatione locum habeant plane nullum. Postquam vero suas in illum animadversiones mandavit literis, viditque, multa sibi de vulneribus disputanda fuisse, mutato aliquantum consilio & ordine, integram de vulneribus doctrinam, quantum ad theoriam & praxin attinet, a capite ad calcem copiosius, juniorum præcipue Chirurgorum gratia, persequi, atque animadversiones suo quamvis loco intercalare, constituit. *Priora decem Capita* theoriæ potissimum destinantur, quibus de vulneris definitione, symptomatibus, causis, iis, quæ vulneribus a causis peregrinis accidere, vel supervenire, solent, variis eorum speciebus & differentiis, signis diagnosticis, communibus pariter atque propriis, indicationibus, suppuratione, ad quam ex mente *Petiti* requiruntur effusio diversi generis fluidorum, horumque inter se congrua proportione facta commixtio, porro de suppressione & refluxu materiæ purulentæ, hujusque suppressionis variis causis, de indicationibus in vulnerum medela generatim observandis, & de quatuor suppurationum temporibus, initio, incremento, statu, & termino, exponit. De indicationibus generatim consideratis nos hic notamus, duplicem ab Autore nostro constitui, reunionem scilicet atque maturationem. Per reunio-

nem fit, ut caro divifa arctiffime iterum coeat, & prorfus conglutinetur. Habet præcipue ea locum in vulneribus fimplicibus, fine contufione factis. De ratione, qua hæc eveniunt, non eadem omnium eft opinio. Celeberrimus *Boerhaavius* atque *Deidierius* exiftimant, fine interventu corporis cujufdam intermedii labia vulneris ita cogi inter fe, & coalefcere, ut fibræ & vafcula utriufque lateris fuis velut ofculis & extremitatibus fe conjungant, unamque continuitatem efficiant. Clariffimus vero *Petitus*, aliique Chirurgi primi ordinis, fibi perfuadent, non fanari vulnus, nifi per cicatricem, five corpus intermedium, intra partes divifas interpofitum, quod fibrarum vaforumque continuitatem interrumpat, ut fe amplius contingere nequeant. Ad priorem fententiam, fcilicet quod vulnera proxime & immediate conglutinari queant, Autor nofter accedit, idque eo magis, fi vafa flexilia atque tractabilia conferventur, nec motum naturalem mutent, & fuccus conglutinationi idoneus ad extremitates ufque vaforum placide derivetur. Quod vero ad alteram indicationem attinet, fuppurationem, ea locum habet fibris vafculifque contufis & conquaffatis. Tum enim regeneratio & confolidatio fine fuppuratione obtineri nequit, cujus fuppurationis, ejufque ad confolidationem effectuum, rationes hic uberius a Noftro explanantur. Et, quamvis omne negotium carnis renafcentis, & vulnerum confolidationis, naturæ debeatur, explicatuque perquam fit difficile, Autor tamen commonftrat, quomodo ars hic naturæ fuccurrere debeat. Ubi pofthæc ad vulnerum medelam proceffit, primo loco generatim de curatione omnium vulnerum fimplicium non minus, quam cum aliqua contufione conjunctorum, per quodcunque inftrumentum illata fuerint, præcipit, ut juniores Chirurgi ad hanc veluti normam meditationes fuas in quibufcunque vulneribus, quæ corpori accidere queunt, inftituant, exigantque. Quo confilio & regimen generale adjunxit, quod facile ad quodlibet temperamentum, aut vulnus quodlibet particulare, applicare licet. Ex vulneribus fingularibus, initio ea, quæ capiti infliguntur, tractat, five obtingant partibus exter-

externis, cuti atque pericranio, ſive partibus interne in cranio contentis, meningibus, cerebro, cerebello, nerviſque, quorum differentias, ſigna, ſymptomata, accidentia, prognoſin, curationem, ſtudioſe exponit, &, ubi de prognoſi agit, ſedecim Aphoriſmos *Hippocratis* repetit, explicationibus olim a *Petito* traditis illuſtratos. Neque cranii fracturas prætermittit, ſed omnia earum genera, ſive cum vulneribus, ſive ſine iiſdem, contigerint, itemque trepanationem, explicat. Eadem ratione de vulneribus pectoris & abdominis, ſive ad partes continentes, ſive ad partes in qualibet cavitate contentas, pertineant, diſquirit, ut ſcilicet varia eorum genera & differentias, ſigna communia & propria, ſymptomata accidentia, ſigna diagnoſtica & prognoſtica particularia, & curationes, ediſſerat. Quibus & hoc addendum eſt, quod cuivis horum *Capitum* de vulneribus particularibus vulnerum exempla, ſive ut vocant, caſus, ſubnectantur.

ASTROSOPHIA NUMERICA, SIVE Aſtronomica ſupputandi ratio. Autore ANGELO CAPELLO, Canonico, & Aſtronomiæ Profeſſore Parmenſi.

Partes II.

Venetiis, 1733 & 1736, 4.

Pars I Alph. 1 plag. 14, cum Tabb. æn. 8, Pars II Alph. 1 plag. 16.

Opus hoc, inſigne tam doctrinæ, quam induſtriæ, Cel. Autoris ſpecimen, in *duas Partes* dividitur, quarum *poſterior* Tabulas Aſtronomicas continet, ad Meridianum Venetum ſupputatas, *prior* uſui earum docendo inſervit. Quæ ab Aſtronomis condi ſolent Tabulæ, eas omnes ad tres claſſes apte revocatas *Tomus poſterior* ſiſtit. Primum in eo locum tenent *Tabulæ planetariæ*, quarum ope Solis, Lunæ, ceterorumque Planetarum, longitudo atque latitudo inveniuntur. Has ſequuntur *Tabulæ pro Lunæ Terraque Eclipſibus.* Tertium

tium locum *Tabulæ pro Ephemeridibus motuum cœlestium condendis* occupant. His omnibus Tabulæ & artificialium, & naturalium, numerorum logarithmicæ adjectæ sunt. Ad secundam tamen classem harum Tabularum quod spectat; cum Autori methodus placeat calculi, a vulgari in nonnullis diversa: non mirum est, Tabulas pro Eclipsibus ipsi enatas fuisse, quæ a vulgatis aliorum Astronomorum, & Cel. *de la Hire* præsertim, Tabulis & forma, & numero, differunt. Scilicet Eclipsium Tabulæ, exceptis iis, quæ ad vera luminarium loca reperienda una faciunt, ad hæc *octo* fere *Capita* sunt reductæ. *Primo* Tabula Epactarum constructa fuit loco Tabulæ medii motus Lunæ a Sole, utpote quæ ad Autoris nostri calculos magis est idonea. Conditæ deinde sunt Tabula dierum collectorum totius anni, ut, ad quam mensis diem datum novilunium vel plenilunium pertineat, possit dijudicari; Tabula lunationum, quæ phasium lunarium thesaurus nuncupata fuit, & tempori medio novilunii vel plenilunii ad verum reducendo inservit; Tabula terminorum eclipticorum Solis ac Lunæ & necessariorum & possibilium; Tabula æquationis distantiæ Lunæ a ☊; Tabula mensium lunarium; Tabula horarii motus Solis Lunæque cum eorundem semidiametris & parallaxi, ad singulos gradus anomaliæ mediæ extensa, & ad excentricitatem minimam, mediam, & maximam, reducta; Tabulæ denique anguli viæ visæ cum Ecliptica, pro Eclipsibus terræ, & reductionis temporariæ, ad 16 gradus productæ. Tabulas digitorum eclipticorum & scrupulorum incidentiæ Autor omisit, rem illam, in cujus gratiam ab aliis solent construi, breviori calculo per logarithmos conficere docens.

Prior hujus Operis *Tomus* præcepta tradit de contentarum in *posteriori* Tabularum usu, & in *quatuor Libros* divisus est, quorum *primus* loca Planetarum investigare docet, *tertius* quinquaginta Problemata Astronomica solvit, *quartus* Ephemeridum constructionem explicat, *secundus* novam, ut titulus habet, Eclipsium doctrinam exhibet; in qua quid novi sit, paucis exponemus. Cum in Eclipsibus Solis supputandis parallaxium longitudinis ac latitudinis computus Astronomis haud

haud parum ſit moleſtus; Cl. *Hallejus* methodum excogitavit, Eclipſes terræ ſine ullo paxallaxium calculo geometrice deſcribendi, earumque quantitatem, initium, finem, atque durationem, ſine calculi moleſtia definiendi; qualem noſtro etiam *Keplero* jam notam fuiſſe, veroſimile eſt, & quæ a *Flamſteedio, de la Hire, Whiſtonio*, & *Keillio*, fuit divulgata. Hæc eadem methodus in hoc Libro explicatur uberius, & ad lunares quoque Eclipſes, in quibus ea ob faciliores calculos usque adhuc fere fuit neglecta, ſcite applicatur. Quæ Eclipſium doctrina, ſi cum veterum calculis comparetur, habet omnino, quod novum poſſit appellari. Neque tamen eſt diffitendum, Cl. *Capellum* methodum hancce ſuis quoque adauxiſſe inventis. Quæ enim de Eclipſibus, præſertim lunaribus, triangulorum trigonometrica reſolutione ab aliis quæri ſolent, ea omnia, projectione orthographica ex datis per calculum locis luminarium, tempore Eclipſis vero, motu vero horario Lunæ a Sole, latitudine Lunæ vera in medio Eclipſis, angulo viæ viſæ cum Ecliptica, ſemidiametris denique luminarium ac umbræ, confecta, ſine ullo calculo, circini & regulæ ope, definire docuit. Quem in finem duo excogitavit inſtrumenta, quorum alterum *Horarium lunarem* nuncupat, in quo, ſcrupulis dimidiæ durationis, quæ ex projecto typo circino capi poſſunt, cum horario Lunæ a Sole vero comparatis, adſcripta reperiuntur minuta horaria, quæ tempus incidentiæ manifeſtant, alterum *diametrale* appellat, in quo, obſcurata diametri parte ex typo accepta, numeri adſcripti digitos Eclipticos indicant.

In *quarto Libro* Cl. Autor novam methodum per novas Tabulas Ephemerides cœleſtium motuum condendi exhibuit, & hac quoque in re calculos breviores reddere anniſus eſt. Quo conſilio duorum inſtrumentorum conſtructionem invenit; quæ nec prægrandia ſunt, nec difficulter parantur. Horum alterum ab Autore *Quadrans horarius planetarius* appellatur. Soli nimirum & Planetis primariis ſervit, & duplex ejus eſt uſus, ut in eo primum ex datis per calculum Planetæ motu diurno, & a dato ſigno cœleſti diſtantia, tempus ingreſſus Planetæ vel Solis in datum ſignum, & adſpectus cujuſvis

jusvis planetarii momentum ope circini definiantur, deinde Planetarum loca dato eorundem motu diurno ad datum tempus investigentur. Cui instrumento haud dissimile alterum est, quod *Quadrantem horarium Lunæ* Autor nuncupavit, & quo præsertim phasium lunarium tempus facillime potest definiri. Ceterum monemus, licet titulus & forma hujus Operis lectores admittant, qui neque Arithmeticam, neque Geometriam, multoque minus Astronomiæ theoriam, calleant, cum tamen Autori placuerit a praxi sejungere theoriam, & præcepta tradere, quorum rationes perspicere, qui in Astronomia hospes est, non potest, nemini suadendum esse, ut harum scientiarum expers ad hoc Opus accedat, nisi ei fortasse, qui puri puti supputatoris sorte velit esse contentus.

JO. ALBERTI FABRICII, S.S. THEOL. DOCT. & Prof. Publ. Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis. Volumen quartum, Liber IX, X, & XI. Accedunt Supplementum Somnii moralis Pharaonis, & JO. SARISBERIENSIS Carmen de membris conspirantibus.

Hamburgi, sumtu viduæ Felgineriæ, 1735, 8.
Alph. 2 plag. 10.

EJUSDEM BIBLIOTHECÆ VOLUMEN QUINtum, Liber XII, XIII, XIV, & XV. Accedit NOTGERI BALBULI Libellus de illustribus Sacrarum Scripturarum expositoribus, ad SALOMONEM, postea ab A. 891 tertium hujus nominis Constantiensem Episcopum.

Hamburgi, sumtu viduæ Felgineriæ, 1736, 8.
Alph. 2 plag. 13.

Cum de *Bibliotheca* hujus *Volumine II* & *III* in his *Actis A. 1736 Mens. Octobr. pag. 472 seq.* diximus, jam tum præmaturum Cel. Autoris obitum, qui universæ Reipublicæ literariæ luctuosissimus contigit, justo sumus dolore prosecuti. Ac vel ipsum illud, quod inde nobis reliquit Vir summus, ingens

gens sui desiderium in causa fuit, ut ab alacritate illa, qua & hunc & alios Viri præstantissimi labores commendare olim, & publice laudare, consuevimus, aliquantum remisisse videremur. Jam vero, restincto aliqua ex parte dolore nostro, haud amplius nobis committendum erit, ut, quæ ultima nunquam fatigatæ & non nisi per ipsius mortem fractæ industriæ suæ Vir incomparabilis monumenta posuit, a nobis indicta relinquantur. *Volumen* igitur *Bibliothecæ* hujus *quartum*, quod *Libros* totius Operis *IX*, *X*, & *XI*, continet, atque ad seriem Alphabeti, uti priora, adornatum est, literas ejusdem *I*, *K*, & *L*, exhibet. Quæ in his *prior* est litera *I*, majorem *Voluminis* partem complet; siquidem, qui nominibus *Jacobi* & *Joannis* ex ævi medii Scriptoribus sunt insignes, tato numero hic adducuntur, ut priorum ultra centenos, posteriorum vero ultra mille, numerare liceat. Inter *Jacobos* autem illos nobis eminere visi sunt bini illi, alter *de Viragine*, seu *Voragine*, alter *de Vitriaco*, cognominatus; alter ex *Historia Lombardica*, seu *Legenda aurea*, alter ex *Libris III Historiæ Orientalis & Occidentalis*, haud incelebris: de quibus & aliis eorundem Autorum scriptis Noster *pag. 51* & *56* diligenter & curate disserit. Ad eos vero, quibus *Joannis* prænomen fuit, Scriptores, quos multi doctrina insignes, & in his *pag. 107 seq. Joachimus*, Abbas ille Seculo XII vaticiniis suis potissimum clarus, præcedunt, Noster *pag. 113* delatus, horum numerosam catervam usque ad *pag. 501* persequitur. Ex ingenti autem horum turba, quorum multos ut accurate distingueret, plurimum operæ impendit Noster, haud sane multi sunt, de quibus adeo singularia afferri potuerint. Est in his forte *Joannes Lelandus*, Anglus, qui, cum Seculi XVI initio vixerit, vix citra injuriam ævi medii Scriptoribus a Nostro *pag. 255* accensetur, de scriptis a se relictis, & nostra demum memoria ab *Ant. Hallo* & *Thom. Hearne* in lucem protractis, aliquam disserendi materiam suffecit. Est *Jo. Lemovicensis*, ille quidem antiquior, cujus Supplementum somnii moralis *Pharaonis*, quod cum Autore nostro ab *Erico Benzelio*, Filio, e Bibliotheca Upsaliensi

communicatum eſt, hic *pag. 261* inſeritur, ſicque integrum nunc exhibetur hoc Opuſculum, quod olim hac ſua parte adhuc mutilum exhibuerat Noſter in *Codice Pſeudepigraph. Vet. Teſt. Tom. I pag. 441 ſeq.* Eſt *Jo. Parvus*, ille ex Seculo XV Pariſienſium Doctor, quem ut cædis tyrannorum defenſorem illa ætas nobilem fecit, atque hinc in hæreticorum cenſum retulit; ex quo nuper demum, publicato jam hoc *Volumine*, eundem eximere conatus eſt illuſtris Wittebergenſium JCtus, *Auguſtinus Leyſerus*, de cujus doctis hac de re cum Viris quibuſdam celeberrimis concertationibus conferri merentur *Acta Eruditorum*, quæ, moderante Cel. *Jæchero*, Academiæ noſtræ ornamento incomparabili, hic Lipſiæ vernaculo ſermone eduntur, *Parte CC pag. 565 ſeq.* Eſt *Jo. Sariſberienſis*, & ipſe a quibuſdam *Parvus*, ſeu *Petitus*, dictus, cujus, quæ adhuc ſuperſunt, ingenii monumenta *pag. 381 ſeq.* ſingulari cum cura recenſentur, additurque *pag. 387 – 394* Index eorum, ad quos *Joannis* hujus ſcriptæ ſunt Epiſtolæ, Carmen denique ejuſdem *de membris conſpirantibus*, ex editione *Andr. Rivini*, rarius obvia, in calce *Voluminis* ſubjicitur. Eſt *Jo. Trithemius*, quem inter tot *Joannes* Noſter *pag. 451* ſuper ceteros extollit, atque ut Hiſtoriæ literariæ ducem & coryphæum impenſe celebrat. Scripta ejuſdem, quæ tum edita, tum inedita, hic longe copioſius, quam uſquam alibi id factum meminimus, afferuntur, cognoſcere ex ipſo *Fabricio* Lectorem volumus; quæ vero de magna ejus in æſtimandis aliorum ſcriptis æquitate affert, non poſſumus, quin huc repetamus. Ita enim *pag. 453* Noſter: *Uno omnes calopodio calcare, hoc eſt, iiſdem æquare laudibus, quos laudat, video moneri in Eponymologico critico* Tob. Magiri: *poteratque addi, ſemper laudare* Trithemium *libenter, & commendare ſtudium Scriptorum, quos refert: id quod longe mihi videtur æquius & præſtare ignavo ingratoque ſilentio, vel acerbis, & inhumanis, indigniſque, aliorum cenſuris atque invectivis in eos, qui pro virili ſua conati ſunt aliquid conferre in communes uſus lectorum, & prodeſſe aliis ſine cujuſquam in-*

injuria. Huc usque *Fabricius*; qui in his veram suam ipsius imaginem vel potius characterem animi ita expressisse videtur, ut, an se ipsum, an vero *Tritbemium*, nobis hic depinxerit, qui eundem propius inspexerunt, jure ambigere queant. Post *Joannes* adhuc *Libro IX* occurrunt *Isidori*, quos itidem non unos probe distinguit Noster. *Hispalensis* illius *pag. 539 seq.* præcipuam curam habet, cujus Operum editiones, quas quatuor indicat, insignem quidem scriptorum farraginem complectuntur, non tamen omnia exhibent, quæ proinde *pag. 556 seq.* seorsim hic connotantur. De *Isidoro* autem *Mercatore*, seu *Peccatore*, qui vulgo Canonum & Decretalium Epistolarum collector habetur, cum *pag. 561* differit, illas *Hispalensis* illius, cui a nonnullis adscriptæ sunt, eruditione indignas judicat; imo præstare, nomen Collectoris ignotum relinquere, quam *Isidorum Mercatorem*, Episcopum Setubensem, qui A. 805 diem obierit, fraudis architectum comminisci, *pag. 562* contendit. Inter *Julianos* denique eminet ille *Pelagianæ* hæreseos defensor, qui contra S. *Augustinum* potissimum acuit stilum, quo nomine & *Gennadius de S. E. Cap. 45* ejus mentionem facit, cujus locum Autor noster suo velut commentario *pag. 573* illustrat, simulque de scriptis ejus maximam partem deperditis testes alios advocat.

In *Libro X*, cum Scriptores a litera *K* incipientes numero pauciores sint, unus tamen, qui maxime notari meretur, occurrit *Thomas*, cui patria nomen *a Kempis* dedit, licet alioquin a parentibus *Hamercken*, seu *Malleolus*, dicendus esset. Huic Seculi XIV Scriptori cum, præter alios, inprimis *Libri IV de imitatione Christi* nomen magnum pepererint; ut, quæ ad horum notitiam facerent, eo rectius pleniusque persequeretur Noster, præcipua hujus Operis capita distincte exponit, tum de Autore, & ejus Operum editionibus in universum, *pag. 633*, tum de editionibus *Librorum IV de imitatione Christi* seorsim *pag. 636*, tum de eorundem versionibus *pag. 638*, commemorans, tum denique de Autore *Librorum de imitatione Christi* varias eruditorum sententias *pag. 647* – 655

655 expromens. Cumque in his omnia complexus ſit, quæ eam in rem alii paſſim copioſe diſputarunt, nos de variis horum Librorum interpretationibus id tantum obſervamus, linguas omnino quinque & viginti, tum Occidentis, tum Orientis, diſtincte a *Fabricio* connumerari, in quas hi Libri translati ſint; certaſſe autem hic inter ſe potiſſimum Gallos atque Germanos, cum illis ultra viginti diverſi interpretes ſint, qui eoſdem vel ſoluto, vel ligato, ſermone reddiderint. Habemus tamen & nos, quod locupletiſſimis illis *Fabricianis* in hanc rem animadverſionibus addere poſſimus: nimirum *Poiretianam* illam verſionem Gallicam titulo *Kempiſii communis* gaudere, quam interpres ille eum potiſſimum in finem adornarit, ut liber iſte pluribus, in quas Chriſtiani & forte alii ſcinduntur, ſectis aptus eſſet, ejuſque editiones haberi A. 1683, 1701, & 1710, & recentiſſime Baſileæ A. 1737, 12, excuſas. Id etiam de *Jo. Hübneri* metaphraſi Germanica metrica addimus, & interpretationis Autorem, & Bibliopolam, ſumtus editionis ferentem, eapropter in difficilem litem fuiſſe vocatum, quod Pontificii crederent, hunc Autorem, ſuæ quondam Eccleſiæ addictum, in hac verſione metrica prorſus ad mentem Auguſtanæ Confeſſionis eſſe converſum, quod falſi crimen ſatis conſpicuum arguat. Bibliopolæ partibus tum ſubvenit ſupremus Senatus Eccleſiaſticus Saxonicus Electoralis, qui & libri titulum nonnihil immutari, & id ſignificari, juſſit, non nudam hic *Kempiſii* interpretationem, ſed Evangelicam ſimul metaphraſin, exhiberi; *Hübnerum* autem interpretem, in ſummo tribunali aulico imperiali in jus vocatum, ab intentata lite, dum magiſtratus Hamburgenſis eidem interceſſurus erat, non niſi mors beata, quæ eum A. 1731 bonis literis eripuit, demum liberavit. Acta inſolitæ hujuſmodi actionis, quæ ex parte nobis ad manum ſunt, ut integra aliquando in lucem proferantur, digna videntur.

Sub *Libri XI*, Alphabeti literam *L* complexi, initium occurrit *L. C. Lactantius*, Scriptor Eccleſiaſticus, Sec. IV ineunte ſatis clarus; de cujus ſcriptis, eorundemque inde ab ipſo

ipso typographicæ artis ortu sæpissime repetitis editionibus, jam alibi a *Fabricio* dictum ex instituto meminimus, in *Bibliotheca* nempe *Latina antiquioris ævi Tom. III pag. 394 seq.* & in *Delectu* & *Syllabo Scriptorum de veritate R. C. pag. 230 seq.* quæ, tertium hic repetita, insigni Noster observationum & accessionum copia adauxit. Quæ Cel. *Heumanni* olim conjecturis de *Lactantio Symposii* autore reposuit in *Delectu* modo dicto *pag. 239*, iisdem verbis hic *pag. 693* habentur. An iis acquieverit *Heumannus*, ex nova ejusdem *Lactantii* editione, quæ Gottingæ A. 1736, 8, prodiit, & editionibus, a *Fabricio* nominatis, addenda est, intelligere licebit. Cum *Leones* plures hoc *Libro* producit Noster, & in *Leonem* illum, quem Benedictinæ familiæ ex Seculo XII monachum perhibent, incidit, quod illi locum fecit, de versibus *Leoninis* plura differendi: quorum an *Leo* iste autor & inventor sit, ex adductis *pag. 775* variorum de hac re testimoniis nobis fere dubium evadit. Hujus versificationis, melioribus Poetis ante parum probatæ, frequentiorem usum per hunc *Leonem* invaluisse, rectius forte creditur, quod & *Eberhardi Bethuniensis* luculentum de ea testimonium inprimis confirmat.

In *Libro XII*, qui *Voluminis V*, hoc est, ultimi, quod elaborare B. Autori licuit, primus est, *pag. 8 Magdeburgensis* Archi-Episcopatus mentio occurrit, quæ materiam suffecit Autori, de Magdeburgensium Chronicis, tam editis, quam ineditis, uberius commemorandi. *Malachiæ* illius, Hiberni, & Armachani Sec. XII Archi-Episcopi, notissimæ prophetiæ de futuris Pontificibus Romanis occasionem suppeditarunt Nostro, non modo alios hujusmodi vates nominandi, & 20 illa, quæ nondum impleta sunt, hujus *Malachiæ* vaticinia *pag. 22* proferendi, sed & commemorandi, quænam eorundem passim editiones habeantur, quæque de iisdem doctorum Virorum judicia exstent. Alius hujusmodi vates, *Manfredus* Vercellensis, *pag. 38* producitur, qui propinqui & A. 1433 instantis adventus Antichristi nuntius exstitit, cujus rei rationes ex S. Scripturis, & præcipue ex Apocalypsi, sub-

ſubduxit. *Marbodi*, natione Britanni, & Redonenſis Seculo XII ineunte Epiſcopi, Opuſcula varia, a Cl. *Ant. Beaugendre* editioni *Hildeberti* Cenomanenſis ſubjuncta, hic ſigillatim percenſet Noſter; Proverbia autem, quæ ipſe *Marbodus* ſub *Catonis* Philoſophi nomine venditavit, integra exhibet *pag. 50 ſeq.* ut inde magis pateat, per ſimilem fictionem, quod alibi monuit, *Catoni* ejuſmodi Diſticha ab aliis tribui. Atque ſic quidem Proverbia hæcce, quæ alioquin velut monoſticha incerti cujuſdam Autoris a *P. Pithœo Lib. I Epigrammat. Vet.* ex parte vulgata ſunt, & hinc etiam quibuſdam *Catonis* Diſtichorum editionibus, e. g. *Daumiana* A. 1672, 8, *pag. 215*, acceſſerunt, nunc vero ſuo Autori non modo vindicata ſunt, ſed & longe integriora, & verſibus quibuſdam, a fine potiſſimum, auctiora, comparent. *Merulæ* nomine inſignes poſtquam Noſter recenſuit aliquot, iiſdem *pag. 216* adjungit *Paulum Merulam*, avo quidem ſuo longe juniorem, dum Seculi XVII initium vivendo attigit, quod eum in finem a ſe fieri monet, ut a prioribus tanto rectius diſtingueretur. Rerum *Moguntinarum* Scriptores habemus non unos, in quibus colligendis junctimque vulgandis præclaram noſtro tempore operam poſuerunt duumviri eximii, *Georg. Chriſt. Joannis* & *Valent. Ferd. Gudenus*: in quorum Voluminibus quicquid exhibetur, ſigillatim percenſet Noſter *pag. 247 ſeq.* &, licet in his occurrant, quæ recentioribus Scriptoribus debeantur, iis ipſis tamen hic locum concedit.

Liber XIII, qui ſequitur, Scriptores a litera *N* incipientes complectitur. Occurrit inter primos *Æl. Anton. Nebriſſenſis*, qui, ut inter Hiſpanos ſuos eximius olim bonarum literarum ſtator & vindex exſtitit, ita præſtantiſſimis varii generis ſcriptis eam laudem promeruit, quam ei Noſter *pag. 285 ſeq.* contulit. Succedit *Nicolaorum*, ex ævo medio clarorum, commemoratio, quæ majorem libri partem conficit. Quem hos inter *Nicolaum Kus*, apud Roſtochienſes Seculo XVI ineunte veritatis teſtem, cum *Jo. Wolfio* in *Lect. Memorab.* Noſter *pag. 345* nominat, hunc ab aliis, & domeſticis potiſſimum,

mum,

mum, ſcriptoribus *Nicolaum Rus* rectius dici monemus, ut facile cognoſcas ex *Petr. Lindenbergii Chronico Roſtoch. Lib. III Cap. XVII*, & *Dav. Henr. Kœpkenii Memoria Roſtochienſ. Prot-Evangeliſt. pag. 3 ſeq.* Inter reliquos *Nicolaus Lyra* & *Nicolaus Perottus* eminent, quorum Scriptorum plenior hic catalogus legitur, doctis & rarioribus *Fabricii* animadverſionibus exornatus. *Notgeros*, quorum nonnullos Seculum X & XI tulit, non multum tempore & ratione generis vivendi a ſe diſtantes, eodem loco conjunctos hic reperire licet: ubi id operam potiſſimum dedit Noſter, ut ſingulorum opera, facile confundenda, accurate diſtingueret, & ſuum cuique vindicaret. *Notgeri Balbuli* autem librum *de illuſtribus S. Scripturæ expoſitoribus*, licet jam a *Bernardo Pezio Tomo I Theſaur. Anecdot.* publicatum, integrum tamen in calce hujus *Voluminis* iterum exhibuit *Fabricius*, id forte in hac cauſa ſpectans, ut illum annotationibus ſuis, pauculis illis quidem, ſed tamen ſelectis, illuſtratum daret.

In *Libro XIV* & *XV* literas Alphabeti *O* & *P* eadem ratione, qua ceteras, ab Autore pertractatas reperimus. Occurrunt *pag. 450 ſeq. Odones* plures, ſedulo disjuncti, quos maximam partem Anglia & Italia aluit. His cum Germanorum & Italorum *Othonibus* ſeu *Ottonibus* arctiſſima cognatio intercedit, quam diverſa diverſarum gentium pronuntiatio ſuſtuliſſe videtur. *Onuphrium Panvinium*, recentioris & politioris ævi ſcriptorem, antiquiori cuidam *Onufrio pag. 485* jungit Noſter, ut ſibi de exquiſitioribus ejuſdem, & antiquitates Romanas cummaxime illuſtrantibus, ſcriptis dicendi locum faceret. *Orientios* binos, alterum Auxitanum, alterum Illiberitanum apud Hiſpanos, Epiſcopum, producit Noſter, a quibus tamen *Orientium*, autorem *Commonitorii fidelium*, adhuc diſtinguendum cenſet, hanc ſuam ſententiam contra aliorum doctorum virorum opiniones teſtimonio *Sigeberti* potiſſimum muniens. Inter *Paulos*, quorum *Libro XV* larga ſeges eſt, *Paulus* ille *Diaconus*, qui ævo *Caroli M.* æqualis fuit, ceteris præfulget; cujus cum monumenta eccleſiaſtici & hiſtorici potiſſimum argumenti præclara non una ſuperſint, horum curatiorem enarra-

tionem *pag. 620—634* invenire licet. In *Franc. Petracha* scriptis, iisque Latinis, idem deprehendimus, ubi & id accedit, quod catalogus copiosus aliorum Autorum *pag. 675* exhibeatur, qui data opera de *Petrarcha*, ejusque vita & scriptis, tradiderunt. *Petri* qui nomine insignes fuerunt, *Libri* hujus *XV* majorem partem complent, in quibus *pag. 687* ducit agmen *Petrus Abælardus*, *Petrus* vero *Uxamensis* demum *pag. 842* claudit. Inter ceteros amplissima inprimis commemoratione dignos judicavit Noster *Petrum de Alliaco*, *de Apono*, *Blasenses* binos, *Casinensem*, *Cellensem*, *Cluniacensem*, *Dresdensem*, *Dusburgensem*, *Lombardum*, *Martyres* binos, licet paulo juniores, *Pictavienses* aliquot, *Ranzanum*, *de Riga*, & *de Vineis*. Ut *Baptistam*, seu *Bartholomæum*, *Platinam*, cujus scriptorum & biographorum index legitur plenissimus, prætermittamus, ultimus denique *Poggius Bracciolinus*, vulgo sub *Florentini* nomine notior, occurrit, cum quo B. Autor non modo *Volumen* hocce, sed &, quoniam hoc ultimum ab eo editorum librorum est, telam cœpti hujus laboris literarii, abrupit potius, quam finivit. Ne enim dicamus de integris adhuc *Libris*, qui adjungendi sunt ceteris, antequam totum hoc Opus, juxta Alphabeti seriem adornatum, dici possit absolutum, nec hic quidem *Liber XV* integer apparet, siquidem post *Poggium* adhuc plures commemorandi Scriptores fuissent. Antequam vero bina hæc, de quibus diximus huc usque, *Volumina* linquamus, id, quod suo loco supra dicere omisimus, adhuc summatim hic afferre juvat: nempe Pontificum etiam Romanorum, quemadmodum id in superioribus *Libris* factum, & alibi a nobis monitum est, rationem ab Autore fuisse habitam. Sic *Libro IX Innocentios XIII*, *Joannes XXIII*, *Julios III*, descriptos legimus. *Liber XI* nobis sistit *Leones XI*, & *Lucios III*. In *Libro XII Marcellos II*, *Martinos V*; in *Libro XIII Nicolaos V*; in *Libro XV* denique *Paschales III*, *Paulos V*, *Pelagios II*, & *Pios V*, suis quosque locis, habemus, ut mittamus nomina, quæ unum duntaxat Papam nobis dederunt. De illis autem omnibus, quicquid de eorum vita sive in generales, sive singulares, commentarios relatum est, quicquid scriptorum, Decretorum,

rum, Bullarum, Epiſtolarum, Breviumque, vel ab ipſis, vel ipſorum nomine, vulgatorum, ad poſteritatis notitiam atque memoriam tranſmiſſum eſt, nos docuit, & in commune contulit, *Fabricius*. Tantum igitur opum literariarum apparatum cum ex ſpeciminibus, ſparſim tantum decerptis & collectis, cognoſcant Lectores noſtri; neminem futurum arbitramur, qui non votis omnibus id expetat, ut Operi huic egregio, cui immortuus eſt *Fabricius*, quæcunque adhuc deſunt, aſſuere aliquis Vir doctus, ſicque perficere deſtinata Celeberrimi Autoris, ſuſcipiat. Sed valde ambiguam nobis ejus rei ſpem fecit *Fabricii* digniſſimus Gener, *Herm. Sam. Reimarus*, qui in Commentario *de Vita & ſcriptis Jo. Alb. Fabricii*, anno ſuperiori Hamburgi edito, de quo plenius dicemus Menſe proximo, *pag. 182* candide & aperte ſcribit: *Renovat hic ipſe liber*, (de *Bibliotheca* hac loquitur,) *omnibus probatus, dolorem, ex* Fabricii *obitu conceptum, tanto magis, quod imperfectus in* Poggio *ſubſtitit, telæ extrema alii, neſcio cui, pertexenda relinquens. Nam, quod indice quodam eum uſum eſſe dixi*, (hunc impreſſum, & ex *Caroli du Freſne Gloſſario ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis* deſumtum eſſe, infra in *Addendis* ſignificat,) *non ita intellectum velim, quaſi huic collecta a ſe adſcripſerit, id quod ſpatii per ſe anguſtiam non pati, quilibet facile agnoſcit. Nuda ſunt nomina virorum, quæ adſcripta reperio, adjecto interdum teſte uno alterove. Cetera unde petenda eſſent, vel ubi congeſſiſſet, ipſe memoria tenebat; unde, quantum ex ejus ſchedis ſubſidii ſperandum ſit, judicari poteſt. Difficile autem eſt homini in his rebus novo, in tam obſcura tempora ſe immittere, & loca non ſatis calcata in tenebris pertentare ſine gravi offenſione. Sed hæc Deo committenda ſunt, qui forte Virum beatum non alia de cauſa ex medio labore, difficilius, aut certe deterius, continuando aliis, avocavit, quam ut majus ejus deſiderium relinqueret*, &c. Non poſſe, quin hujuſmodi nuntium ægre ferant, qui nobiſcum uti Opere hoc abſoluto malint, quam moleſtiſſimum ſemper, citra tamen Autoris culpam, in eo reliquatorem deſiderare, facile credimus. Doctiſſimum tamen *Reimarum*, ſperamus,

quemadmodum in *Vita* illa *Fabriciana*, & nuper etiam in *Sylloge Opusculorum* ejusdem, procuranda, solertem se præstitit, ita nec curam illam prorsus abjecturum, quam fœtura hæcce, parente suo orbata, adhuc requirit, ut, si non ipsius, quod ipse subdubitare nos jubet, alius tamen Viri eruditi, nec huic negotio imparis, obstetricante manu plenissimus aliquando Liber iste nostris manibus tradatur: qua quidem opera non modo tot eruditorum desideriis, sed & Bibliopolæ, in Opus huc usque imperfectum sumtus suos impendentis, commodis egregie consultum iri, facile unusquisque intelligit.

DE ORIGINE S. P. DOMINICI, PRÆDICATORum Ordinis Institutoris, atque Bononiæ Civis & Patroni, a splendida Guzmannorum familia Vindiciæ, ex solis Bononiensibus monumentis adornatæ, Autore ALEXANDRO MACCHIAVELLIO, Viro Clar. JCto, Collegiato, Philosopho Platonico, Publico Legum in Patrio Archi-Gymnasio Interprete, ac inter patrios Bononiæ Socios Conservatore auspicatissimo.

Ferrariæ, typis Josephi Barberii, 1735, 4.
Plag. 9.

Recte omnino convenire partibus suis judicavit Cl. Autor, ut *Dominico* suo natalium gloriam, suæque Bononiæ pristinum splendorem, conservaret, quem Antwerpienses *Actorum Sanctorum* Editores detrahere utrique conati sunt. Civis est civitatis illius, quam dudum inter Italos miraculorum & sanctimoniæ fama nobilitavit. Civis est, &, ut de se ipse ait *pag. 67*, *delicium* Ordinis, qui *Dominicum* fundatorem suum rectoremque primum exosculatur. Neque id vitio ei vertendum, quod *Prospero Laurentio* S. R. E. Cardinali *de Lambertinis*, Bononiensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Opus hoc suum inscripserit, qui & ipse illud præcipue curæ habet, ut corpus, quo superbit patria, defendat a maledicorum injuriis. Publicis usibus ab-

ab Autore destinatum fuisse hoc Opusculum, nemo dubitabit, qui id vel per transennam inspexerit. Præfatio tamen, cultior illa ac nitidior, quam quæ ab homine *Platonico* possit exspectari, illud surreptum inscio Autori, & typis mandatum, ab amico docet. Scriptores, e quibus Opus hoc concinnavit Autor, sunt *Justinus* (seu *Augustinus*) pater, & *Amatus* filius, *de Annelle*, e Seculo XV, quorum Chronicon MStum, ad A. 1497 deductum, sæpius in partes suas vocat, ab omni fraudis suspicione ante omnia liberatum. *Egnatius* quoque, Commentator *Gherardacii*, interdum loquitur. Observamus præterea *Bononiense Calendarium perpetuum honorificum*, A. 1280 primum publici juris factum. Notæ tandem Autoris nostri in *Sigonii* Historias, Mediolani haud ita pridem editas, plurimis in locis supplentur. Cardo rei in eo vertitur, ut, quod Antwerpienses, non tamen illi primi, ut sibi videntur, negant, demonstret Noster, *Dominicum* natum esse *Guzmannico* sanguine, Bononiamque merito de cultu Patroni sui gloriari. Neque desunt argumentorum pondera, quibus secus sentientes in suam opinionem pertrahat. Concilium Lateranense IV sub *Innocentio III* illum Transmontanum habuit, id est, Hispanum, Calaroga oriundum, quod est oppidum Oxomensis tractus. Paulo post, cum A. 1219 Bononiam concederet, ad confirmandam sedem, Sodalibus suis hic concessam, a tota civitate, & *Hugone* præsertim *Præto*, Equite, eo honore fuit exceptus, quem nobilissima gens merebatur. Exstant quoque apud *Annellum* literæ, in quibus Bononienses non illum tantum *Guzmannum* nominant, sed & Ordini suo recens instituto Magistrum Generalem præficiunt. Suppetunt porro monumenta, quæ eodem nomine hunc nova munitum autoritate in tanto munere declarant, cujus onus humeris excutere tentabat. Membrana quoque hic legitur, sed quæ hodie disparuit, cryptæ ejus affixa, quæ Nostro pollicem premit. Adest præterea ingens turba doctissimorum hominum Italorum, qui *Machiavellio* suffragantur. Placuit ei præ ceteris *Lanciæ de Bruscolo* locus amplissimus in *Apologet. pro Script. Hist. Bonon. adversus calumn. pag. 33 – 48*, quem pro

asserenda sua sententia integrum inseruit. Supersunt quoque Acta, quibus *Dominicus* A. 1234 a *Gregorio IX* hoc ipso nomine relatus inter Sanctos fuit. Adeo autem Sanctus ille Pater Bononienses sibi obstrinxit insignibus meritis, ut civis quidem sui *Thomæ Aquinatis* corpus Tolosam transferri concederent, nunquam tamen eripi sibi adventitium cadaver paterentur. Ita satis nervose convellere adversarios, & fidem conciliare suis dictis, Cl. Autor sibi visus est. *Calendarium*, quod supra diximus, brevi in lucem se editurum, *pag.* 13 pollicetur. *Pag.* 40, integram relationem ex *Annello* se daturum aliquando, spondet, conceptam verbis *Luminosi de Aposa*, Scriptoris incendio deperditi, ex eadem ætate, qua *Dominicus* vixit. Ultima tandem pagina docet, finita hac opella repertum fuisse, fatis ita concedentibus, perantiquum Bononiæ monumentum, quod inscribitur: *De peste A. S. 1347 minitata liberari satagentis urbis populique Bononiensis supplex ad Deum, Deiparam, Sanctosque Patronos, humili rhythmo complexum.* In eo expresse legitur: *Nostri majores Dominicum, ampla stirpe editum Guzmanna, in civem allicuere suum.* Id edere totum constituit Cl. Autor, ut votis satisfaciat Antwerpiensium, qui vel unicum monumentum ante *Alani* tempora, qui obiit A. 1475, editum de institutione Rosarii per S. *Dominicum* desiderabant, hosque adeo ad *palinodiam suavissime concinendam* adigeret.

NOVA LITERARIA.

Cum in illustrandis varii generis antiquitatibus plurimum ætate nostra studii Viri doctissimi posuerint; qui veterum Lucernas accurate nobis delineatas daret, omnemque harum rationem explicaret, si *Bartolum* & *Bellorium* excipias, quorum alter paucissimas in ære expressit, alter easdem erudito Commentario exornavit, inventus est nemo. Dignissimum igitur plausu publico nemo non putet institutum nobilissimæ *Academiæ Pisaurensis*, cui fictiles Musei *Passeriani*, ejusmodi cimeliis instructissimi, & quæcunque non-
dum

dum publicatæ exſtant, Lucernas colligere, haſque, in juſtum corpus redactas, doctis illuſtrare Diſſertationibus, conſtitutum eſt. Eam in rem haud ita pridem publicas ille optimorum virorum Senatus ad Lectorem quemcunque Literas publicavit, conſilii hujus pleniorem notitiam ſuppeditantes, quas ita, ut nobiſcum communicatæ ſunt a Viris præſtantiſſimis, hic civibus noſtris & ipſis exteris legendas damus:

Cum primum fictilium Lucernarum Collectio a Petro Sancte Bartolo *delineata, atque a* Petro Bellorio *notis illuſtrata, Romæ prodiit in lucem A. 1704, in ſpem maximam Literaria Reſpublica adducta fuit, fore, ut novum antiquariæ ſupellectilis genus produceretur, quod, ſi non materiæ dignitate, eruditionis certe fruge, quotquot ad eam diem literatis Viris commendabantur vetera monumenta, vel ſuperaret, vel ſaltem æquaret. Vix enim ante illud* Bartoli *Opus, quid veterum Lucernæ fuerint, cognoſci liquido poterat, cum eruditiſſimus Vir,* Fortunius Licetus, *phyſicis quæſtionibus implicatus, paucas admodum protulerit, atque ex iis quidem pauciſſimas, quæ genuinæ ſint. Nam, Viro docto fucum feciſſe illius ævi impoſtores, nemo profecto, qui hæc ſtudia vel a limine ſalutaverit, ibit inficias. Verum poſt eam diem, quod nequaquam credibile erat, vel duodecim Lucernæ, vel paulo plures, vulgatæ ſunt, quæ eruditorum exſpectationi reſpondere poſſent. Gratias igitur Deo Opt. Max. & debemus, & agimus, quod feraciſſimus eruditionis campus reſervatus nobis fuerit, in quo excolendo maximam gratiam ab univerſa Literaria Republica inire poſſimus. Id ut aſſequamur, fictiles Muſæi* Paſſerii *Lucernas, quarum fama non Italiam modo, ſed omnem ferme Europam, peragrat, edendas ſuſcipimus, ex quibus profecto innoteſcet, quam tenuis fuerit* P. Bartoli *collectio, quam tenues item* P. Bellorii *explicationes. Pauca igitur eruditæ antiquitatis cultores, quos ad ſocietatem nobiſcum ineundam invitamus, & hortamur, admonendos eſſe cenſemus, ut, quid propoſitum nobis ſit in hac editione, plane intelligant. Ac primum quidem, quia non lucri cupiditate, ſed vero eruditionis amore, tanto oneri humeros ſupponimus, hanc nobis legem conſtituimus, ut*

nullam

nullam unquam Lucernam proferamus, quæ edita alias sit. Quid enim molestius iis, qui Societati nomen dederint, evenire potest, quam immodicis sumtibus nihil novi acquirere? Deinde illustriores duntaxat Lucernas producemus, eas nempe, quæ insignibus anaglyphis notatæ sunt (istoriate Italice appellamus); neque enim illas exhibere in animo est, quæ nihil aut parum eruditioni conducere possunt. Tum, ut Sociorum commodo, quantum in nobis est, consulamus, editionem nostram ferme libri Petri Sanctis Bartoli simillimam fore spondemus, ita, ut liber ille velut hujus Operis primus Tomus censeri possit; charta tamen longe nitidior erit, firmior, candidior. Quodlibet hujus Operis Volumen plus quam centum Tabulas æreas continebit; Lucernæ omnes elegantissime, ac fidelissime, quod rarum hodie, delineabuntur; idcirco externos artifices, qui delineandi, & in æs incidendi, omnium fere Italorum peritissimi habentur, operi manum admovere voluimus. Cuique Lucernæ apponetur subscriptio, seu superscriptio, qua insignita fuerit, quod plerumque neglexisse Petrum Sanctem Bartolum dolemus. Harum equidem Inscriptionum pretium ex Prolegomenis innotescet. Priori Volumini Prolegomena præponentur, in quibus præcipue de usu Lucernarum agetur: intactum adhuc argumentum; reliquis Præfationes. Lucernas notæ sequentur, perbreves quidem, sed succi plenæ, in quibus ea tantum pertractabuntur, quæ ad illius Lucernæ peculiarem intelligentiam pertinebunt, quod quidem eruditis Viris gratissimum fore confidimus. Quot Tomis totum Opus complexuri simus, pro certo affirmare non possumus; crescit enim in dies pretiosissima hæc supellex cura & impensis Viri doctissimi, Jo. Baptistæ Passerii, JCti, qui Prolegomena etiam & Notas, pro ea, qua pollet, eruditione, conscripsit. Illud tamen spondere possumus, Tomos minimum quatuor futuros. Quodlibet Volumen Scutatis quatuor cum dimidio, seu Juliis quadraginta quinque, prostabit. Iis vero, qui Societati nomen dederint, eodem, quo nosmet ipsi, qui in Opere edendo laboramus, beneficio fruentur; in singula nimirum Volumina tria duntaxat Romana Scutata, seu Julios triginta, persolvent, dummodo tale pretium, quod præ tabularum numero leve admodum videri debet, ab omni onere vacuum, apud Nicolaum Gavellium, Typographum Pisaurensem, in antecessum numerare procurent, a quo syngrapham soluta pecunia, Academiæ sigillo munitam, accipient. Si quis vero ex transmarinis regionibus in societatem recipi vellet, per Mercatores, qui in proximo Anconæ portu negotiantur, commode & pretium solvere, & cautionem recuperare, poterit. Sociis subscripturis, quorum nomina eo ordine, quo se subscripserint, in priori Volumine describentur, non equidem numerum, sed tempus, præscribimus; post mensem enim Decembrem currentis anni 1738 neminem Socium admittemus. Atque hoc quidem optima ratione factum credimus; non enim minoris pretii emolumento digni sunt, qui Academiam nostram sua symbola juvare debito tempore neglexerint. Hæc sunt, quæ Socios subscripturos nescire nolebamus; quibus illud iterum testatum volumus, nos ea, quæ nunc pollicemur, sancte & religiose servaturos; nullius enim privati quæstus hac editione procuratur. Dat. Pisauri Cal. Junii A. D. 1738.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXXVIII.

SUPPLEMENT AU GRAND DICTIONAIRE Historique, Genealogique, Geographique, &c.

h. e.

SUPPLEMENTUM AD LEXICON HISTOricum, Genealogicum, Geographicum, &c. LUDOVICI MORERII.

Tomi II.

Lutetiæ Parisiorum, apud viduam Mercierii, Jacobum Vincent, Jo. Baptist. Coignard, & Anton. Boudet, 1735, fol. Tom. I Alph. 8 plag. 15, Tom. II Alph. 8.

Tandem aliquando, superatis, quæ remoram injecerant, impedimentis, prodiit hoc Supplementum ad notissimum *Ludovici Morerii* Lexicon. Tanta primam inter & ultimam hujus Lexici editionem differentia apparet, ut primo Autori jam nihil fere, nisi nomen, relictum esse videatur. Primum, ut constat, Opus illud *Ludovicus Morerius* Lugduni A. 1674, *Volumine* non nisi uno, edidit. Tum novo illud prelo subjicere, uno *Volumine* locupletius, ipse quidem Autor destinaverat; qui tamen editionem hanc, præmatura morte literis ereptus, non vidit, anno demum 1681 *Voluminibus duobus* absolutam. Postea vero, defuncto parente, lucubrationibus & accessionibus doctissimorum Virorum haud contemnendis, inprimis *Clerici*, *Vaultierii*, *Dupinii*, *Bernardi*, aliorumque, multo auctius, persæpe prodiit hoc Lexicon, vastissimi operis habitu indutum. Editio enim decima o-

ctava, quæ ultima eſt, in lucem exiit Pariſiis A. 1732, in *ſex* majoris formæ *Volumina* redacta. Quantum ergo mutatum ab illo! Sed non mutatum, nec emendatum ſatis. Nam fata habuit communia hoc Lexicon cum ceteris, qui magnæ molis, & multiplici, eaque admodum mutabili, doctrina repleti ſunt, libris. Delendis nimirum, qui paſſim irrepunt, nævis, emendandis & ſupplendis, quæ, volubili viciſſitudine rerum, in Hiſtoricis, Geographicis, & Genealogicis, ſubinde mutantur, non unus ſufficit homo. Semper aliquid hæret non ſatis recte dictum; nec deſunt, quæ ſuppleri poſſint. Cum igitur non exiguam, ſed magnam, iſtiuſmodi defectuum copiam etiam in Lexico, quod ſub *Morerii* nomine continuatum eſt, deprehenderent Gallorum nonnulli doctiſſimi; huic malo medelam parare tentarunt, emendando partim errores, partim omiſſa ſupplendo, partim etiam nova adjungendo. Neque id ſucceſſu, ut arbitramur, prorſus infelici. Emendantur adeoque in hoc Supplemento perperam dicta in editionibus hujus Lexici Lutetiæ A. 1725 & 1732 publicatis, variaque non inutilia adduntur. Hæc additamenta duplicis generis ſunt. Alia, quæ jam in prioribus editionibus, ſed minus ſufficienter, adducta ſunt, uberius exponuntur; alia nunc primum hic leguntur. Hiſtoria literaria recentior præcipuum hic occupat locum. Neque tamen ea neglexerunt Autores doctiſſimi, quæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pariter ac politicam, ad Geographiam, & ad Genealogiam, pertinere videbantur. Ordinem ſecuti ſunt Lexicographis ſolennem, id eſt, alphabeticum. Noſtrarum partium eſſe cenſemus, eos nominatim indicare, quibus operam hanc, difficilem ſatis, ſed maxime utilem, debemus. Viri doctiſſimi, *Pocquet de Livoniere*, *Rattier de la Guitoniere*, & *du Mabaret*, illuſtres Ducatus Andegavenſis cives ſuppeditarunt; Rev. Abbas *le Clerc*, qui literas humaniores Lugduni profitetur, varia in commune contulit monita utilia; præterea Rev. P. *Poncet*, Ordinis Benedictini, qui in conſcribenda Hiſtoria Literaria Galliæ cum Rev. Patribus *Riveto* & *Colombo* occupatur, optima quæque ex penu ſua literaria ſuggeſſit; nec Rev. P. *Deſmolets*, Bibliothecarius Collegii Oratorii Pariſienſis, & Rev.

P.

P. *Baizé*, qui eodem munere fungitur in domo S. *Caroli* de Christiana doctrina, pluresque alii, in hoc studiorum genere versatissimi, diligentiam suam huic Supplemento denegarunt. Pictores atque Sculptores insignes collegit *Mariette*, filius; ea vero, quæ ad Genealogiam pertinent, *Houxius de Lavau* singulari studio & diligentia elaboravit. Censor tandem regius, *Gallyotus*, qui Supplementum hoc vigilanti oculo, antequam subjiceretur prelo, perlegit, varias cum Autoribus communicavit observationes, quas illi suo loco inserendas curarunt. Et hi sunt Viri præstantissimi, quorum studio & opera insigni hoc prodiit Supplementum. Laborem hunc eruditis gratum acceptumque fore auguramur, idque eo magis, quod nihil, nisi sub examen rigidissimum vocatum, ut ex Præfatione discimus, Operi suo inseruerint Autores. Præcipue autem ii, qui editionem Lexici *Moreriani* A. 1725 publicatam tenent, gratias Autoribus persolvent, cum iis omnibus, quæ in editione anni 1732 emendata, eidemque adjecta fuerunt, hic etiam locum concesserint; id quod forsitan possessoribus ultimæ editionis minus placebit, quibus illæ ipsæ emendationes & accessiones denuo sunt comparandæ. Et negari non potest, pretium Operis hac ratione mirum in modum fuisse adauctum. Numerus enim harum emendationum est valde magnus, quarum tamen contenta aut nullius, aut exigui fere, sunt momenti. Plerumque corriguntur errores typographici, ubi litera vel deest, vel abundat, vel transposita est, aut ubi commata & puncta superflua, vel omissa sunt. Nonnunquam sola mutata apparet orthographia, & quæ plura harum minutiarum sunt. Specimina ex Supplemento Lectores nostri haud exspectabunt. Ipsis potius confirmamus, varia omnino in illo deprehendi memoratu digna, inprimis quæ ad Historiam tum literariam, tum Ecclesiasticam, tum denique politicam, Galliæ pertinent. Fontes citantur ubique limpidissimi. Quam vero diligentiam iis in locis, ubi de exteris, & præcipue Germanis, est sermo, ingenuus quisque desiderabit. Sed desiderabit etiam omissa varia, &, errores passim non leves commissos, dolebit. Ne temere hæc dixisse videamur, provocamus ad *Partem II* To-

mi I, ubi ſub titulo *Adlzreiter* refertur, conſcripſiſſe hunc Autorem *Annales Bojicæ gentis*, & in his expoſuiſſe hiſtoriam Bavariæ ab origine ejus uſque ad A. 1550, ad mortem nempe *Imperatoris Maximiliani*. In qua relatione duo merentur virgulam cenſoriam. Neque continuaſſe *Adlzreiterum* Hiſtoriam ſuam uſque ad mortem Imperatoris *Maximiliani*, neque mortem *Imperatoris Maximiliani* incidiſſe in annum 1550, verum eſt. Sed filum Hiſtoriæ ſuæ hic Autor perduxit uſque ad mortem *Electoris Maximiliani* A. 1650. Aliud addimus, nobis quodammodo domeſticum, exemplum. Cum *Tomo II pag. 59* de *Jo. Burchardi Menckenii*, cui, nemo neſcit, quantum debeant hæc *Acta*, vita commemorant Autores, parentem ejus, cui prænomen *Ottonis* fuit, *Ludovicum Ottonem* dicunt; ipſi vero diem natalem fuiſſe 27 Martii anni 1675 perhibent, qui fuit 8 Aprilis anni 1674. Cavere ſibi poterant ab his erroribus, ſi, neglectis his, quæ in *Bibliotheca Germanica* (*Bibliotheque Germanique*) leguntur, unde ſcilicet petiti ſunt errores iſti, accuratius inſpexiſſent ea, quæ a filio *Jo. Burchardi*, *Friderico Ottone*, plenius in his *Actis A. 1732 Menſe Majo* dicta ſunt. Ridicule inprimis hic nomina propria, maxime Germanorum, transformata videas. Sic legitur *Tom. I P. I pag. 486* ſub titulo *Francke*, *Sandhagent*, pro *Sandhagen*; ibidem *P. II pag. 97* ſub titulo *Gundling*, *Kirchenſiterbach*, pro *Kirchenſittenbach*, loco nativitatis B. *Gundlingii*; *Tom. II pag. 366* ſub titulo *Thomaſius*, *Joan. Struch*, pro *Strauchio*, Celeb. JCto; *Mazius*, pro *Hect. Godofr. Maſio*, Theologo illo Hafnienſi; *Tom. II pag. 52* ſub titulo *Jo. Frid. Mayer*, *Amdius*, pro *Arndio*, qui *Mayeri* Bibliothecam Biblicam continuavit; *Tom. II pag. 104* ſub tit. *Morhof*, *Mutilius*, pro *Henr. Muhlio*, qui Operibus poeticis *Morhofii* Præfationem adjecit. Primum inter edita ſcripta *Morhofiana* non occupat locum Diatriba de morbis, & eorum remediis, juridica, uti *l. c.* refertur, ſed Poematia juvenilia, A. 1657 publicata. Et ſic ſæpius a vero aberratur. Neque ferendum videtur, Autores hujus Supplementi librorum inſcriptiones fere ſemper ſermone Gallico adduxiſſe, ne verbo quidem adjecto, utrum libri Latino, an Germani-

manico, idiomate ſint conſcripti. Cui ſcripta illa ignota ſunt, quomodo, quæſumus, vel divinando hoc Lector aſſequi poterit? Sed manum de tabula! Non ſcribimus Emendationum & Supplementorum Emendationes & Supplementa. Acutiſſimis Autoribus libenter relinquimus hunc laborem, quem ne aliquando ſuſcipere graventur, vehementer optamus.

THEOLOGIA NATURALIS, METHODO ſcientifica pertractata. Pars prior, integrum Syſtema complectens, qua exiſtentia & attributa Dei a poſteriori demonſtrantur. Autore CHRISTIANO WOLFIO, Pot. Suec. Regis, Haſſiæ Landgravii, Conſiliario Regiminis, Mathematum ac Philoſophiæ Profeſſore Primario in Academia Marburgenſi, Profeſſore Petropolitano honorario, Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſinæ, Societatumque Regiæ Britannicæ ac Boruſſicæ, Membro.

Francofurti & Lipſiæ, in officina libraria Rengeriana, 1737, 4.
Alph. 6.

Cel. Autori propoſitum eſt, ex contemplatione mundi hujus adſpectabilis generali demonſtrare, quæ de Deo naturaliter cognoſci poſſunt. *Cap. I* igitur exiſtentiam entis neceſſarii atque a ſe demonſtrat, quod eſſe independens, æternum, omnium primum & ultimum, ortus ac interitus neſcium, ſibimet ipſi ad exiſtendum ſufficiens, non compoſitum, ſed ſimplex, evincit. Poſtquam vero oſtendit, nec mundum adſpectabilem, nec elementa rerum materialium, nec animam, eſſe illud ens a ſe, tandem concludit, quod ſit ab iſtis diverſum, ipſique talia tribuenda ſint prædicata, qualia ad hoc requiruntur, cur hic potius mundus adſpectabilis cum elementis ſuis, quam alius, & hæ potius animæ, quam aliæ, exiſtant. Hoc ens Deum eſſe; quem adeo definit per ens a ſe, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animarum noſtrarum. Poſtquam igitur docuit, qualia ex aſeitate & ſimplicitate fluant attributa divina; Deo porro vindicat vim activam, vitam, quam in ſe ab omni ente a-

 lio

lio independenter habet, intellectum & voluntatem liberam: unde, ipsum esse spiritum independentem, infert. *Cap. II* inquirit, qualis sit intellectus Dei, & quænam inde pendeant attributa. Ut igitur pateat, qualis ipsi tribuendus sit intellectus, ut in Deo ratio sufficiens existentiæ hujus mundi adspectabilis inveniatur; possibilia tum in se spectata, tum qua coexistentiam & successionem inter se connexa, considerat, ut pateat, qualis inde in utroque casu resultet cognitio. Ex hisce principiis deducit, Deum cognoscere omnia possibilia & absolute spectata, & in systemata redacta, distincte, atque simul, ac ideo intellectum divinum definit per distinctam & simultaneam omnium possibilium repræsentationem. Ostendit vero, intellectum divinum esse illimitatum, infinitum, summe perfectum, absolute maximum, incomprehensibilem, immensum, purum. Agit deinde de ideis rerum, easque Deo essentiales, necessarias, ac immutabiles, probat, rejecta hypothesi *Cartesianorum* de ideis arbitrariis. Docet, ideas rerum sensibilium in Deo diversas esse ab ideis sensualibus nostris; quod ut plenius intelligatur, differentiam inter mundum sensibilem & intelligibilem exponit. Præscientiam Deo vindicaturus, docet, quomodo omnia, quæ in mundo contingunt, ipsaque libera animæ decreta, sint in se & Deo præscibilia, nec minus, quomodo sint recordabilia, ut intelligatur, quomodo Deus præterita tanquam præterita cognoscat. Enimvero, ne obscurum relinquatur, quomodo omnes veritates universales a Numine cognoscantur, mundum rationalem ab intelligibili distinguit, &, quomodo intelligibili & sensibili totus immersus sit, docet. Constituitur autem mundus rationalis entibus universalibus in systema aliquod redactis, ut adeo ejus idea in idea intelligibilis includatur, sicque Deus omnes veritates universales non minus, quam omnia singularia, cognoscat intuitive. Ex hac ipsa vero cognitione deducit, competere Deo rationem absolute maximam, illimitatam, infinitam, incomprehensibilem, immensam, prorsus puram, ipsumque esse veritatis omnis autorem & inventorem, ab errore omni prorsus immunem. Hisce positis, tandem omni-

scien-

ſcientiam Dei declarat. *Cap. III* de potentia & voluntate Dei tractat. Demonſtrat, Deo competere omnipotentiam, ſeu potentiam ad omnia poſſibilia extenſam, hancque eſſe abſolute maximam, prorſus illimitatam, atque immenſam: impoſſibilitatem vero faciendi impoſſibilia non arguere defectum potentiæ. Deo vindicat voluntatem omnium perfectiſſimam, eamque liberrimam ab omni coactione externa & interna, prorſus illimitatam, atque imperſcrutabilem. Oſtendit vero, Deum nihil velle abſque motivo, & motivum voluntatis divinæ eſſe repræſentationem optimi, tum in ſe, tum in relatione ad ipſum, ſpectati. Deum æſtimare perfectionem rerum in relatione ad totum univerſum, ut in ſuo genere perfectiſſimum cenſeatur, quod facit ad majorem totius univerſi perfectionem. In relatione ad Deum nihil quidquam dici poſſe bonum, niſi quatenus ſummæ perfectionis ſignum ſit. Electionem mundi optimi eſſe ſignum naturale ſpiritus perfectiſſimi, nec tale eſſe poſſe electionem mundi in ſe non optimi. Magna hic ſeſe offert difficultas circa inexiſtentiam mali in hac rerum ſerie. Oſtenſurus itaque, idem minime obſtare, quo minus ea ſit omnium poſſibilium perfectiſſima, malum diſtinguit in metaphyſicum, phyſicum, & morale. Malum metaphyſicum eſt, quod per eſſentiam & naturam ſuam rem imperfectiorem reddere cenſetur, quam foret, ſi abeſſet, atque in limitatione determinationum eſſentialium conſiſtit. Hoc abſolute neceſſarium eſſe, nec a mundo etiam omnium perfectiſſimo abeſſe poſſe, adeoque impoſſibilitatem faciendi mundum abſque malo metaphyſico non arguere in Deo potentiæ defectum, ac idem malum denotare abſentiam perfectionis non propriæ, ſed alienæ, conſequenter proprie loquendo non eſſe malum. Malum phyſicum eſt, quod ſtatum mundi quoad effectus naturales imperfectiorem reddere cenſetur, quam foret, ſi alii eſſent: morale vero, quod actionibus liberis hominum inhæret. Utrumque malum locum habere in mundo optimo, nec obſtare, quo minus in eo major ſit perfectio, quam in ceteris poſſibilibus, ac ita huic rerum ſeriei implicari, ut eadem & ſumma

ma

ma ejus perfectione salva tolli non possit. Mala physica per easdem regulas motus consequi, per quas consequantur cetera in rerum natura, & juxta naturæ ordinem fieri, ita, ut eodem salvo per miraculum tolli nequeant, nec in relatione ad totum universum esse mala, sed saltem talia censeri respectu partium, imo particularum universi. Actiones malas internas, si physice spectentur, per leges easdem appetitus ac aversationis nasci, quibus bonæ tribuendæ, & una cum bonis ordine quodam naturali consequi, qui per malas minime turbetur; externas vero, quatenus physice spectentur, eodem modo consequi, quo bonas. Enimvero actiones malæ internæ, quatenus moraliter spectantur, statum animæ; externæ vero statum corporis, hominisque statum externum, imperfectiorem reddunt. Malum adeo morale esse verum malum, & in imperfectione accidentali consistere, atque essentiali contrariari, consequenter per aliam rationem determinari, quam perfectionem hominis essentialem. Irrepere idem in actiones liberas abusu libertatis. Malum metaphysicum per se inhærere rebus ante decretum, nec per decretum ab iisdem separari posse, ob idem tamen nihil a Deo fuisse decretum. Neque etiam Deum mala physica decrevisse, quatenus talia sunt, multo minus ob malum morale hunc elegisse mundum; idem tamen minime obstare potuisse, quo minus existentiam hujus universi decerneret. Mundum hunc Deo non magis placere ceteris ob malum morale; idem tamen non obstare, quo minus ceteris magis placeat. Permissionem ejus a Deo decretam, nec hanc eum dedecere. Decrevisse autem Deum omnia ab æterno atque liberrime; nihil vero decernere in tempore. Decreta ipsius esse immutabilia, incomprehensibilia, imperscrutabilia, nec summa ejus perfectione indigna. Esse autem, si quoad Deum spectetur, decretum non nisi numero unicum, etsi a nobis considerari possit & debeat tanquam multiplex. Per hoc decretum res factas esse futuras, &, quæ antea erant præscibilia, actu fuisse præscita. Nihil autem per ipsum in re decreta mutari, adeoque nec contingentiam, nec libertatem, tolli; sit adeo utrique

nec

nec præſcientia officiat infallibilis atque æterna, quamvis veritatem determinatam habeat ab æterno a decreto pendentem, ſine qua præſcientiæ non ſit locus. Fortunam quoque, tam proſperam, quam adverſam, ut cetera omnia, ſubeſſe decreto divino, malum tamen nullum, qua malum, in idem influere. Exponit præterea, quomodo voluntas Dei tum a priori, tum a poſteriori, tum denique per revelationem, innoteſcat; ubi revelationis divinæ criteria tradit, & de myſteriis quoque agit, quibus in eadem ſit locus. Ad omnipotentiam divinam refert etiam potentiam miraculoſam, ſoli Deo propriam, nec ulli enti communicabilem: neque enim facultatem patrandi miracula aliter enti cuidam alii conferri poſſe, niſi quatenus Deus velit ad eorum nutum miracula patrare. Ceterum, ubi modum revelationis expendit, de ecſtaſi quoque & viſionibus agit, & in differentiam naturalium ac ſupernaturalium inquirit. *Cap. IV* de ſapientia & bonitate divina agit. Notio ſapientiæ requirit, ut agens agat propter finem, naturæ ſuæ convenientem, ut media eligat, ad finem ducentia, ut denique fines particulares eo modo ſibi invicem ſubordinet, quo propiores ſunt media remotiorum. Et ſapientia perfectiſſima eſt, ſi fines conſtituantur optimi, ſi media eligantur certo & via breviſſima ad finem ducentia, quibuſque eundem ex aſſe conſequi datur, ſi denique fines omnes particulares ita ſibi invicem ſubordinentur, ut remotiorum media fiant propiores, & omnes tandem ſimul medium finis ultimi. Sapientiam itaque perfectiſſimam Deo vindicaturus, demonſtrat, Deum exiſtentiam hujus mundi decreviſſe propter aliquem finem, nempe patefactionem perfectionis ſuæ abſolute ſummæ, ſeu gloriæ ſuæ manifeſtationem. Mundi perfectionem eſſe medium, quo eundem conſequatur. Finem iſtum eſſe omnium optimum, qui per productionem alicujus mundi intendi potuerit, cum per eum, tanquam omnium poſſibilium optimum ſeu perfectiſſimum, gloriam ſuam omnium maxime manifeſtet, ita, ut nec infinitus intellectus in eo quidquam deſiderare poſſit. Quæ ex natura & eſſentia rerum materialium neceſſario conſequantur, eſſe fines a Deo intentos; eſſentias

vero & naturam rerum esse media, quibus fines istos consequatur. In finium a Deo intentorum numero esse quoque omnem rerum tam naturalium, quam artificialium, usum, omnes etiam fortunæ, tam secundæ, quam adversæ, effectus. Hos fines omnes per nexum rerum in universo fini ultimo subordinari. Nexum adeo coexistentium consistere in dependentia finis a medio; nexum vero successivorum in dependentia causali a causa, & finis a medio, & actionis causæ efficientis a fine simul. Removet autem difficultates, quas mala physica & moralia facessere poterant. Neutrum eorundem a Deo intendi tanquam finem, imo ne mala quidem metaphysica in numero finium esse. Mala physica & moralia salva sapientia Dei summa ex hac rerum serie tolli non potuisse; dirigi autem ab eodem in bonum finem, tandemque ad manifestationem gloriæ suæ. Hanc directionem pertinere ad perfectionem universi. Bona autem in mundo non dependere a malis, quatenus mala sint, sed quatenus mala moralia sint actiones physicæ, physica autem causæ naturales. Bonitatem definit per promtitudinem alterius perfectionem promovendi. Ostensurus itaque, Deo competere bonitatem absolute summam, evincit, eum unicuique enti tantundem conferre boni, quantum salva sapientia ipsius fieri possit. Deum infelicitatem hominum, & in genere entis rationalis cujuscunque infelicitatem, vi bonitatis suæ velle non posse; sed homines fieri infelices abusu libertatis. Potentiam libertate abutendi esse malum metaphysicum, ab essentia hominis inseparabile: non tamen propterea hominem libertate sua abuti, quod eadem abuti possit, abusu quoad actum absolute necessario non existente. Hujus tamen permissionem non repugnare bonitati divinæ, nec eidem repugnare, quod hominem in mala ruere sinat. Mittimus particularia, quæ de bonitate divina demonstrat. Sufficit hoc unicum adhuc annotasse, quod sapientiæ atque bonitatis divinæ incomprehensibilitatem & imperscrutabilitatem a priori demonstret. *Cap. V* ad creationem & providentiam divinam progreditur. Demonstrat hic, mundum a Deo ex nihilo productum, & eodem

dem creationis actu ordinem quoque naturæ constituisse. Consistere nimirum actum creationis in perducendis ad actum substantiis, nullo alio praexistente in easdem influente. Creationem mundi & ordinem naturæ esse miraculum primigenium, vi cujus consequantur, quæ naturaliter fiunt in mundo adspectabili. Esse autem potentiam creatricem soli Deo propriam, nec cum creatura communicari posse, potentia naturæ tantummodo modificatrice existente. Docet etiam, quomodo Deus spatium & tempus fecerit. Cum creaturæ sint specula perfectionum divinarum, quatenus ab attributis divinis dependent; omnem creaturæ cujuslibet totiusque mundi a singulis attributis divinis dependentiam ita demonstrat, ut notio Dei per singulas creaturas confirmetur, & sic pateat ubivis mentis in Deum adscensus. Autorem Naturæ esse Deum, quæ sit diversa ab omnipotentia Dei, ipsumque eidem præscripsisse leges, ab essentia corporum minime pendentes, in prima statim creatione, nec naturæ ordinem ac cursum mutatum iri, quamdiu mundus duret, qui non nisi per annihilationem interire possit. Vires naturæ nunquam deficere, nec eam senio quasi languescere posse. De conservatione dum agit, ostendit, nullam creaturam se ipsam conservare posse, sed, a Deo conservetur, necesse esse, actu creationis continuato. Mundum hunc adspectabilem, &, quæ in eo sunt, corpora, atque naturam rerum, & ejus ordinem, conservari uno eodemque actu. Cessante actu conservationis creaturas annihilari, potentia annihilatrice Deo soli competente, naturæ non nisi accidentium productrice & conservatrice propria. Explicat etiam concursum divinum ad singulas creaturarum actiones, Deo in concursu universali substantiam agentis conservante, & vires agendi largiente, creaturis vero actiones specificantibus: ubi inprimis ostendit, Deum ad actiones malas non concurrere, quatenus malæ sunt, sed eas, quod malæ sint, ab homine habere, concursu divino ultra id, quod physicum est, non extendendo ad id, quod morale est, nec ad abusum libertatis, qua abusum. Mittimus specialia, quæ apud ipsum Cel. Autorem legi possunt. Addit

denique gubernationem divinam, ſeu directionem actionum creaturarum ad bonum finem. Gubernationem divinam contineri nexu rerum ſapientia ac bonitate ipſius conſtituto; ubi ſimul docet, quomodo Deus velit, ut homo actiones ſuas liberas dirigat, & quomodo per eas gloria divina manifeſtetur. Unde tandem concludit, dari providentiam divinam æternam & immutabilem, ad omnia, quæ ſunt ac fiunt in univerſo, extendendam, Deo rebus omnibus ſapientia, bonitate, ac potentia, providente. Ita autem Deum rebus providere in hoc nniverſo, ac ſi ad ea, quæ fiunt, attentus hodie demum decerneret, quid facere ac permittere velit. Ubi ſimul oſtendit, quomodo Deus, cui omnia ab æterno in æternum præſentia ſunt, præſentia tamen in univerſo a præteritis ac futuris diſtinguat. *Cap. VI* jus Dei in creaturas explicat, quod in dominio pleno conſiſtere, ex ipſa notione dominii deducit, ita, ut Deus ſit omnium creaturarum dominus, ſive in prima creatione factarum, ſive hodienum generatarum, aut quocunque modo a natura productarum, dominus naturæ, totius mundi, ac omnium, quæ in eo ſunt; homo vero ſit ſervus Dei ſenſu propriiſſimo. Corpora & totam rerum naturam voluntatem Dei exequi; hominem vero obligatum eſſe ad actiones liberas non ſuo arbitratu, ſed voluntati divinæ conformiter, determinandas. Docet igitur, quænam Deus, jure ſuo uſus, homini præcipiat, quænam prohibeat, & quomodo eundem obliget. Etſi autem præcepta Dei ac prohibitiones a bonitate divina proficiſcantur; ea tamen non eſſe nuda conſilia, ſed leges proprie dictas. Explicat etiam dominium rerum a Deo hominibus conceſſum, & in quonam ejus conſiſtat tam uſus, quam abuſus, hincque demum colligit, Deum eſſe Dominum ſumme bonum. *Ultimo* tandem *Capite* attributa divina expendit, quæ per anteriora demonſtrantur. Pertinet huc infinitudo eſſentiæ, immutabilitas, exiſtentia extra tempus, omnipræſentia, (ubi differentiam præſentiæ rerum omnem expendit, ac inprimis diſtincte oſtendit, quomodo Deus totus præſens ſit toti mundo, & totus ſingulis ejus partibus, citra multiplicationem ac diffu-

ſionem

ſionem ſui,) ſanctitas, quæ conſtans eſt & perpetua voluntas non faciendi, niſi quod rectum eſt, (ubi ſimul docetur, quomodo Deus ſe ſanctiſſimum probet in creatione, conſervatione, ac gubernatione rerum,) juſtitia, etiam vindicativa, qua pœnæ decernuntur & irrogantur male facientibus, beatitudo, unitas, vita, una cum iis omnibus, quæ per eminentiam Deo tribuuntur, veluti ſubſtantialitas, ſenſus, imaginatio, memoria, affectus, eo autem ſenſu, quo creaturis competunt, tribui nequeunt. Notandum adhuc eſt, Ill. Autorem oſtendere ubivis conſenſum eorum, quæ docet, cum Scriptura Sacra. In eo autem ita verſatur, ut ex ipſo textu avthentico quærat loca probationis, & demonſtrativa quadam ratione evincat, vocabulis Hebræis atque Græcis eum convenire ex mente Autorum ſacrorum ſignificatum, quem ipſe iiſdem tribuit. Ubi multa hinc inde annotat, quæ ad interpretandam Scripturam Sacram maxime conducunt. Quo conſilio hoc fecerit, ipſe in Præfatione exponit, nimirum quod notiones diſtinctæ rerum ab iis haud raro non agnoſcantur, qui in confuſis acquieſcere ſolent, utque adeo avertantur querelæ injuſtæ, quaſi terminorum receptorum, & in Scriptura Sacra vel obviorum, vel ejus menti conformiter explicatorum, ſignificatus immutetur, & Theologia naturalis ad revelatam manuducat, eidemque defendendæ inſerviat, nec non exemplis luculentis doceatur, quantum adjumenti præſtet ipſius philoſophandi ratio ad demonſtrativam Scripturæ Sacræ interpretationem, & ſenſum verborum Scripturæ profundum eruendum. Hæc de *Parte prima* dixiſſe ſufficiat: de *altera* proxime dicemus. Inſcripſit autem Ill. Autor hoc Syſtema Theologiæ naturalis Reverendiſſimo ac Celſiſſimo S. R. Principi, Epiſcopo Bambergenſi & Wirceburgenſi, quem ſcientias, eruditionem, atque artes, in deliciis habere, fovere, ac protegere, nemo eſt, qui neſciat.

MARTINI LIPENII BIBLIOTHECA REalis Juridica. Poſt FRIDERICI GOTTLIEBII STRUVII, V. C. curas, recenſuit Opus, innume-

ros errores sustulit, ultra dimidiam partem optimis Libris, & Dissertationibus fere omnibus, auxit, & accuratum Scriptorum Indicem adjecit, GOTTLOB *AUGUSTUS JENICHEN.*

Lipsiæ, sumtibus Editoris, prostat apud Frid. Matth. Frisium, 1736, fol.

Alph. 10 plag. 5.

Præstantissimus, variisque in elegantiores literas meritis clarissimus, Editor in Præfatione hujus Operis, splendidissimi Reipublicæ Lipsiensis Senatus *Numini* dicati, *incomparabili unius Dei immortalis benignitati* pie tribuit, quod, post *innumeras ac pæne infinitas molestias atque ærumnas*, quas *per integros octo annos*, istius laboris causa, *fortiter atque constanter sustinuerit*, tandem aliquando *curis, vigiliis, lucubrationibusque* suis, *emendatam, auctam, & suæ restitutam integritati, in lucem conspectumque omnium* proferre potuerit *Martini Lipenii Bibliothecam Juridicam*. Idem, si ipsum audias, non tam *gloriantem*, quod, si vellet, posse se, utique agnoscit, quam *modestissime* de *marmoreo* hoc Opere magnifice omnia dicentem, *improbos, ac plane Herculeos* emendandæ partim, partim adaugendæ & exornandæ, huic Bibliothecæ *labores impendit*. Non enim parum est, *errores aliquot mille sustulisse, Autoribus agnomina prænominaque sua postliminio restituisse, veros adjecisse librorum titulos, annos & loca impressionis annotasse, latentes sub fictis nominibus Scriptores ex tenebris in lucem protraxisse, & vera ipsis nomina reddidisse, memoratu digna de libri vel Dissertationis Autore, de illius, vel Opusculi sui, fatis, de diversis Operum editionibus, attdidisse, sententiam de librorum habitu dixisse, alia jucunda atque fructuosa futura commemorasse*, &, quod maximum est, Bibliothecam hanc *optimis selectissimisque libris, & Dissertationibus fere omnibus, locupletasse*. Quid igitur a nobis aliud exspectet, quam ut laudibus & plausu publico industriam tam ferream, tamque nobiles conatus, prosequamur, &, si cui ex *virulentis illis & juratis existimationis atque dignitatis* Jenichianæ *hostibus* sudes sit in oculo

hæc

hæc nova laurea, tantis vigiliis ſudoribuſque parta, huic male precemur, aut *ſuis diris, ſuis ſpectris*, *excruciandum* hunc *relinquamus*. Habet ſane, cur a bonis omnibus certiſſimam ſibi de præſtita inſigni opera gratiam promittat, ſtudioſiſſimus commodi publici *Jenichius*, inprimis ſi illud impetrari a ſe patiatur, ut partem hujus gloriæ ſalvam eſſe cupiat primo hujus operis architecto, *Martino Lipenio*, ſicut tam æquus ipſe fuit, ut, quos nuper ad ditandum hunc theſaurum haud parum contuliſſe noverat, *Chriſtianum Nettelbladtium*, in Academia Gryphica Anteceſſorem, & *Frid. Ottonem Menckenium*, Collegam noſtrum, non ſine publica grati animi ſignificatione dimittendos judicaret. Forſan enim ipſe intelligit, ſi magnum ſit, perficere, quæ ſunt ab aliis incepta, &, quæ bona ſunt, meliora efficere induſtria & ſtudio inſigni, non minori dignum laude putandum, qui opus arduum & effectu difficile, nec ulli antehac tentatum, primus animo concepit, & alienis ſubſidiis deſtitutus, ſolus, quæ plurimorum ſtudia requirere videtur, rem confecit. Nec id opprobrio vertendum *Lipenio*, quod varia ſupplenda poſteris reliquerit, nec, quæcunque unquam ſcripta aut edita a Viris doctis ſunt, in *Bibliotheca* hujus anguſtias coegerit; quandoquidem, qui omnes adeo librorum forulos excuſſerit, ut nihil non feliciſſima memoria complecteretur, exſtitit ad hunc diem nemo. Quanta quanta ſit, habet fines ſuos induſtria & cognitio noſtra; intra quos conſiſtere, cum ſit humanum, cur adeo turpe putetur? Nec ita poſt *Jenichium* ullus unquam Editor locupletatam hanc, omnibuſque numeris abſolutam, dabit *Bibliothecam*, ut omnem ſeris poſteris, præclare de hoc Opere merendi, dici poſſit materiam præripuiſſe. Sane, quod unuſquiſque facile intelligit, numeroſiſſimæ ſunt illæ copiæ, quas *Lipenianis* ſuccenturiavit elegantis Vir doctrinæ, *Jenichius*, nec quiſquam forſan alius inſtructiorem exercitum dediſſet; eidem tamen, quod multis aliis, fatendum eſt, ſuum hoc tantarum vigiliarum opus ab eo, ut plenum & perfectum dici poſſit, adhuc longiſſime abeſſe. Credat id uni ex Sociis noſtris, cui, vel leviter perquirenti hanc multis acceſ-

accessionibus ditatam, & ornatissime instructam, *Bibliothecam*, scripta plus quam mille desiderantur, eademque ita comparata singula, ut multo majori jure, quam eorum, quæ addidit *Jenichius*, permulta, sibi locum hic deposcant. Unum sufficiat specimen attulisse, unde existimari haud difficile de ceteris possit. De *Assassinio* scriptores non nisi duos *Lipenius* adduxit, nec nisi duos alios, quos adderet, *Jenichius* habuit. Addet vero, si ita videatur *Jenichio*, Socius ille noster quatuor alios, quos ipse in manibus habet, & Editori novo, si is tanti putet, inspiciendos præbebit. Generatim notamus, cum in Germanorum Juribus diligentissimus fuerit Editor, exterorum, inprimis Anglorum & Italorum, Jura inculta jacere sterilis agelli instar. Poterant has lacunas subsidia Amicorum explere, si quidem his utendum duxisset Editor. Cum Scriptores vetustiores Græcos & Latinos afferret, aut editiones, quæcunque exstant, fuissent nominandæ, aut, quod satius videtur, ex illis una saltem, sed ea præstantissima omnium, proferenda. Neutrum satis curæ habuit Consʃ. Editor, qui, ne exemplum desit, *Onosandri* editionem unam & alteram, nec in his, quæ optima habetur, Parisiensem anni 1599, indicat. Ita in omnibus fere; quod si emendari aliquando possit, ex multorum sine dubio id voto cesserit. Sed, quod de mole Operis & Scriptorum apparatu diximus, idem intelligi de maculis, quæ *Bibliothecæ* huic olim maximæ fuere ac permultæ, volumus. Quas, sitne sperandum unquam, ut ex *Lipeniano* hoc thesauro penitus sublatas videamus, unius exemplum *Jenichii*, post octo annorum curas multum, quod emendent, aliis relinquentis, nec a novis satis sibi labeculis caventis, valde nos dubitare jubeat. Nobis certe si fugiente oculo grande illud Opus perlustrantibus id accidit, ut errores haud sane leves, quin tales prorsus, quibus aut notandis aut emendandis mediocri opus sit rei literariæ notitia, animadverteremus; quam non alii, aut nobis ipsis acutius videntes, aut observandis aliorum peccatis magis assueti, sibi messem promittant! Quos si ita æquos experiatur Consʃ. Editor, ut de his, quæ passim scripta sunt mendosius,

fius, ipfum, lubenter hæc emendaturum, moneant amice; ita omnes vident certiffime futurum, ut, quem fuis maculis unius manus *Jenichii* liberare vix potuit, nitidiffimum aliquando, & omni purgatum forde, *Lipenium* confpiciamus. Nos, quæ pauca annotavimus, non anxie quæfita, fed fponte nobis oblata, tanto lubentius cum Editore præftantiffimo communicamus, quanto, nihil his ipfis animum ejus a nobis alienatum iri, certior fpes eft. Et quidem, ut de his, quæ generaliora funt, & ad ipfam Operis οἰκονομίαν fpectant, primum dicamus, non fatis certos huic *Bibliothecæ*, & fcriptis in eam redigendis, fines conftituiffe *Lipenius*, & cum eo *Jenichius*, videntur. Nam, cum *Bibliothecam*, non Theologicam, non Hiftoricam, fed *Juridicam*, promitterent; nemo erat, qui non Scriptores Jura civilia, aut alia quæcunque, explicantes, nihil præterea, exfpectaret. Quod igitur aut Tituli hic plane non juridici, aut fub Titulis juridicis Scriptores nihil minus quam Jura nobis tradentes inveniantur, id quidem minime laudandum factum judicamus. Exulare fuo merito hic poterant Tituli *Adoratio, Agon, Anthropophagia, Diptychum*, & fimiles complures, nec Scriptores hic nominati ad Jura tantillum faciunt. Præterea inter libros juridicos quis quæreret *Kormanni Templum naturæ hiftoricum de quatuor elementis, M. Porc. Catonem de Agricultura, Petri Fabri Agoniftica, Schœpflini Antiquitates Alemannicas, Placcii Theatrum Anonymorum, Gorlæi Dactyliothecam, Licetum de Annulis, Schultzium de Anthropophagia, Frontinum de Aquæductibus, Altefërræ res Aquitanicas, Schelftratenium de Difciplina arcani, Lengnichium de meritis Prufforum in Auguftanam Confeffionem, Gentilem de latinitate veteris Bibliorum verfionis male accufata, Thurmanni Bibliothecam Academicam, Jo. Cajum de Antiquitatibus Academiæ Cantabrigienfis, Marqu. Freherum de Statura Caroli M. Des Roches Hiftoire de Dannemarck, Heifenii Orationem de Eloquentia veterum Germanorum*, & fexcentos alios. Sub Titulis *Academica, Alea, Arma*, fimilibufque multis, qui alieni videntur fori effe, etfi, quod minime negandum, ad ipfos quodammodo pertinere Jureconfultos videantur, Scriptores, noftro judicio, proferendi non nifi ii fuiffent, qui *Academiarum* jura ex-

 plica-

plicarunt, quibus addi ſuo merito debebat *Chriſtiani Rœhrenſee* Diſſ. *de Jure majeſtatis in Academias*, Vitembergæ A. 1671 publicata, aut qui in leges Romanorum de *Alea* & *Ludis* Commentarios ediderunt, aut qui *armorum* in bellis uſum & jura commonſtrarunt. Sed aliter viſum eſt *Bibliothecæ* hujus conditoribus, qui Scriptores ceteros omnes, quicunque *Academiarum* origines & hiſtorias commemorarunt, *aleæ* antiquitates tradiderunt, veterum Romanorum *arma* deſcripſerunt, huc trahendos judicarunt. Eſt hoc profecto, diſciplinas ſeparatas & diſtinctas in unam transfundere, & ex *Bibliotheca* ſpeciali univerſalem facere. In *Bibliotheca Juridica* Scriptores, qui Jura proxime attingunt, requirimus, non qui in doctrina Juris uſum præſtare qualemcunque poſſunt; quales ſi admittendi ſint, dubitamus, an liber inveniri ullus poſſit, cui non ſuus hic ſit locus concedendus. Erunt etiam fortaſſis, qui ſub aptioribus Titulis diſpoſitos Scriptores, Tituloſque magis accommodatos Scriptorum argumentis, optarent. Non opus erat, titulum *Acta Synodi* confingere, ut liber *Naclantii de Actis Concilii approbandis per Papam* nominari hic poſſet, cui commodior ſub Titulo *Concilium* fuiſſet locus aſſignandus. Titulum ſpecialem *Actorum publicorum judicialium* nemo exſpectabat, cum ejuſdem argumenti ſcripta ſub generaliori *Actorum* legerentur. Sub Titulo *Actionum* aut nihil proferendum eorum Scriptorum, qui varia actionum genera ſunt perſecuti, aut, quos huic ſubjectos videmus, unumquodque actionum genus ſeparatim exhibentes, reſecandi omnes fuiſſent Tituli. Quæ ſit inter *Adquiſitionem* & *Acquiſitionem* differentia, ut duplex titulus ponendus fuerit, nos non perſpicimus. *Chifletii* Diſſertationem *de Architectis Juris*, allegorice ita dictam, nemo, cui acumen eſt, ſub *Architectus* collocaverit. Nec *Bœhmerum de Pœna jus ſibi dicentis ſine judice*, quiſquam ſub titulo *Jus*, omnes ſub Αυτοδικια, quæſiverint. Similiter *Stryckium de Cautela abundanti in contractibus* ſub *Cautela* mallemus, quam ſub *Abundans*, quod vagi ſignificatus eſt, locatum. Libenter etiam fatemur, parum nobis ſatisfacere Titulos eos omnes, qui ex verbis magis, librorum fronti inſcriptis, quam ex re & argumento, ſunt conficti; quales ſunt ex litera *A* *Acta*,

Acta, Admonitoria, Adversaria, Ærarium, Alvearium, Alphabetum, Analectum, Analysis, Analytica, Anatome, Anchora, Anima, Aphorismi Juris, Antiparadoxa, Antiquitates, Apologia, Apophthegmata, Apostilla, Apparatus, Arbor, Assertio, Aurea, Aurifodina, Auszug. Est hoc ludere cum libris puerorum instar, qui formæ aut ligaturæ in disponendis libris rationem habent. Dicas, quæso, quem usum præstet, si scias libros omnes, *Analysis*, *Analecta*, *Anchora*, &c. inscriptos. Neque enim, quod *Lipenius* ait, eorum causa hunc ordinem servatum, quibus jucunda sit notitia ejusmodi, satis valet ad id, ut rem nobis suscepisse laude dignam videatur. Quasi vero, ut pusionibus literariis tintinnabula in manus dentur, id ipsum maxime agendum Scriptori gravi & severo esset! Qui *Commentarios* aut *Observationes* scripserint in Jura vetera, scire nostra interest, non, qui in *Arbore* suspenderint Jurisprudentiam, aut ex *Fodinis* Jurisprudentiæ *Aurum* effoderint. Præstabat igitur, generaliori *Observationum*, aut simili quocunque, Titulo *Apophthegmata* & *Apostillas* omnes complecti, quam cum ineptis inscriptionum architectis ineptos titulos confingere. Cui enim non ridiculum videatur, in Librorum Juridicorum Indice Titulum *Sol*, & sub eo *Haberkornii Jurisprudentiæ Justinianeæ Solem resplendescentem*, conspicere? Tacemus, non generale adeo librorum omnium, qui sunt sub istis Titulis locati, argumentum esse, ut non aptiore reponi loco potuerint. *Arnoldi* enim *ab Haersolte Adversaria de Actionibus*, facile patet, sub *Actionibus* potius, quam sub *Adversariis*, quærendam. Nec illud omnes probabunt, in Titulis fingendis non semper operam navatam, ut vocabula pura & bonis usitata Scriptoribus adhiberentur, sed barbara subinde & veteri Latio prorsus incognita hic legi, quale est *Abactio*, in ipso Operis limine Latinas aures offendens, quod sitne a *Struvio*, an a *Jenichio*, additum, jam dicere non habemus, certe prima *Lipenii* editione suo jure exulabat. Unum est inprimis, quo sibi videtur effecisse Cons. Editor, ut nova hæc editio multum illis *Lipenii* & *Struvii* sit præferenda. Nimirum, cum nuda illi librorum nomina attulerint, nec de horum pretio & dignitate verbum addiderint, suum esse

duxit Cl. *Jenichius*, hac etiam ex parte commodis Lectorum prospicere, &, qui præ ceteris legendi sint Scriptores, qui negligentius evolvendi, aperte indicare. Quo ita munere functurus, ne ipsi nimis grave & molestum esset, rem omnem via executus est admodum compendiaria, heroas literarios literis majusculis a lixis & calonibus distinguens. Felices igitur eos, qui nomen suum splendidissimis hic literis ornatum vident! & o miseros, quos illis literis indignos typotheta judicavit! Satisne gratiæ ab aliis sit initurus hoc consilio Vir bonus, non est nostrum, definire certo; at ipsi nos, qui tam bene, quam qui optime, cupimus *Jenichianæ* famæ, id serio nollemus factum. Nam, cum omnium, quicunque sunt, Scriptorum frui gratia & amicitia jucunde posset, quod nemo non vir prudens & famæ suæ amans expetat; plurimorum se temere & inconsulto telis & offensionibus exposuit, inter quos, veremur admodum, ne futuri sint tales, quorum odia nec prece ulla mitigari, nec ulla sedari vetustate, possint. Cara cuique sua est existimatio, & hanc defendentibus leges omnia permittunt. Nec, quæ in Præfatione legimus: *Hac in re neque iræ, neque odio, neque amori, quidquam dedi, sed incorruptissimus judex æquissimum de unoquoque Scriptore tuli judicium*, iis sufficient, qui ipsum in *Appendice* Operis agnoscentem & summopere detestantem legerint injurias, Conf. *Engavio* in ipso Opere illatas, aut qui scripta viderint, quæcunque Mecænates & Amici Editoris, & quæ ipse edidit *Jenichius*, literis majoribus, aliorum, a quibus alieniore esse animo, & quorum parum favere fortunæ solet, minusculis, notata. Quid enim? Nihilne unquam mediocre a *Jenichio*, &, quos ille colit, Viris magnis, nihilne boni a tot Viris honestissimis, quos sinistrum quoddam fatum *Jenichio* invisos fecit, provenisse putemus? Aliud est, dicere se ab amore odioque liberum, aliud, re ipsa ostendere. Nescientes nos illi mentium nostrarum tortores in transversa quæque rapiunt, ut, quæ levia & ponderis nullius judicari debent, si ab Amico scripta sint, pretii esse quantivis videantur, quæ bona sunt & plausu digna publico, si ab homine nobis ingrato provenerint, vix teruncii æstimentur. Neque vero unum id, ut alienus sis a studio

ſtudio partium, ſed illud etiam, requiritur, ut ſatis doctrinæ afferas ad hoc negotium, ſciaſque de Scriptore unoquoque accurate judicare, deinde illud inprimis, ut ea inter eruditos autoritate polleas, quam alii omnes in æſtimandis librorum pretiis maxime ſequendam putent. Quorum alterum nullus unquam Scriptor de ſe profeſſus eſt, alterum, prorſus vanum eſt, de ſe ſperare. Non enim idem omnibus palatum eſt, etiam cum judicii tui rationes attuleris; nedum illa plus quam dictatoria per literarum notas ſententiam dicendi ratio in republica literaria quidquam valeat. At detur hæc venia *Jenichio*, ut poſſit de libris a ſe inſpectis, & cum cura diligenterque inſpectis, libere, quid ipſi videatur, pronuntiare; quæ vero audacia, eandem in libros, nec ſibi unquam viſos, nec niſi nomine cognitos, licentiam exercere! Id enim factum a *Jenichio*, vel illud Lectorem doceat, quod Scriptores, quicunque continentur magno hoc Volumine, literis ſint aut majoribus, aut minuſculis, non tertio qualicunque literarum genere, expreſſi. Neque vero a nobis poſtulabit Editor doctiſſimus, ut, quod nemini ad hunc diem contigit, illos ad unum omnes in ipſius fuiſſe manibus putemus. Quin eam eſſe optimi Viri æquitatem ſcimus, ut *Balduini Commentarium in Novellas ad Ædilitium Edictum*, *Roberti Animadverſiones in Jus Civile*, *Hornium de Jure ſingulari circa rem alienam*, & quos non alios! ſi copia inſpiciendi data fuiſſet, minime ad Scriptorum Juridicorum fæcem rejecturus, nec ſub Titulo *Compendium*, ſi ceterorum Scriptorum pleniorem habuiſſet notitiam, unam Illuſtris *Rechenbergii* noſtri Diſſertationem, *Compendia Principis ex Jure Romano ad habitum territoriorum Germanorum* inſcriptam, ſane doctiſſimam, ſed, quod nobis videtur, non ſub Titulo hoc proferendam, literis ſignaturus majuſculis fuiſſet. Videat jam optimus *Jenichius*, quomodo avertat a ſe odia eorum, qui nimis ſecum actum injuſte clamitabunt. Eidem forſan nimis jam moleſti fuimus importunis noſtris monitis, a quibus ne abſtinendum nobis duceremus, effecit amor Viri, cui Opus ſuum, vel in his ipſis emendatum, longe maximum ab eruditis plauſum comparabit. Non his plura

addimus, nec, quæ leviora videri possunt, annotamus, ne justo longius in his, quæ parum grata sunt, moremur. Forsan enim ipse jam post editum hunc librum animadvertit, aut per alios cognovit, non *Leges Angliæ* edidisse, sed *de laudibus* saltem *Legum Angliæ* scripsisse, *Joannem Fortescue*, nec huic nomen *Fortesque* fuisse; non *Pertii*, sed *Bertii*, *de Aggeribus ad mare exstructis* librum exstare; *Lalamantii*, non *Salamantii*, nomen fuisse Autori *Collationis rationis anni præcipuarum gentium cum Romano; de Epistolarum origine* scripsisse *Jo. Casp. Thor-Specken*, non *Jo. Casp. Theod. Specken;* libro *Freymonii* haud esse titulum *Catalogi librorum Juris*, sed *Elenchi Autorum omnium, qui Jure tam Civili, quam Canonico, claruerunt; Petr. Mullerum de singularibus Bunaviorum Statutis*, non *de statibus*, Dissertationem edidisse, nec *de Statutis*, sed *de Statuis*, *Rolandis* libellum *Rhetii* exstare; non *Galeni*, sed *Caleni*, *de Comitibus* Dissertationem prodiisse; *Bynckershoeckii Opuscula* non *Halæ*, sed *Amstelædami*, primum edita; non *de Autore invito*, sed *de Actore invito*, a *Wildvogelio* Dissertationem vulgatam, neque adeo sub titulo *Autor* collocandam hanc, nec *Christophori*, sed *Christiani*, prænomen huic *Wildvogelio* fuisse; *de Jure belli & pacis* Academicum libellum non *Gornieri*, sed *Garnieri*, nostris manibus versari; *Onosandri* nullam editionem *Francofurtanam*, nec ullam anni 1604, exstare, hujus vero Commentatori nomen *Joannis a Chokier*, non *a Chekier*, nec, quod alio in loco dicitur, *a Cokier*, fuisse; non *Campanam*, sed *Campanum*, *de Bello contra Turcas* librum scripsisse; *Chladenio*, qui *de Arbitrio judicis in commutandis pœnis* Dissertationem scripsit, *Justi Georgii*, non *Joannis Georgii*, prænomen esse; anonymum Græce ἀνώνυμον scribi, non ἀνένυμον, quod sæpissime hic factum; & quæ alia sunt, ei, cui cum libris frequens est commercium, facile notanda. Sed hæc, utcunque comparata sint, nihil præstantissimi Editoris meritis detrahunt, quæ certe magna sunt, & a nobis grata mente agnoscenda. Nam, si nihil esset aliud ab eo præstitum, quam quod Scriptorum numerum mirifice adauxit, & innumerabiles priorum editionum errores sustulit, vel

tunc

tunc, ut plausus ipsi publicus decerneretur, suo quodam jure postularet. Jam vero, cum plura etiam ornando huic Operi contulerit, & passim librorum titulis annotationes literarias, minime vulgares, nec injucundas, adjecerit, hoc majori sibi eos omnes, quorum commodis destinata est nova hæc editio, beneficio obstrinxit. Dabimus nonnulla illorum, quæ nobis præ ceteris notatu digna visa sunt, specimina, simul ac de vita *Lipenii* dixerimus, a Pl. Rev. *a Seelen* olim in *Athenis Lubecensibus* descripta, inde vero a Conf. *Jenichio* in Bibliothecæ hujus aulæum translata, & variis animadversionibus illustrata. Protulit Virum Gorza Marchica A. 1630, ipso *Martini* die, cujus etiam nomen ei fuit impositum. Parentes agriculturæ operam dederunt. In Brandenburgensi & Ruppinensi schola, Gymnasioque Sedinensi, ad altiora fuit præparatus. In hoc Gymnasio, *Jo. Fabricio* præsidente, *mirabilem animæ rationalis originem* publica Disputatione, suo Marte elaborata, exposuit. Vitembergam A. 1651 commigravit, & præcipue Doctores Theologos, tunc temporis hic florentes, sedulo audivit. Secundo statim vitæ Academicæ anno summos in Philosophia honores consecutus est, quibus ut dignissimus judicari posset, scholas aperuit cum philosophicas, tum tales, quæ ad humanitatis studia pertinent. Sæpe etiam in publicum prodiit, vel sub *Quenstedio, Calovio, & Reichmanno*, vel sine aliena ope, varias Dissertationes, eleganter conscriptas, defendens. Præclaris hisce meritis non poterat non Patrum Academiæ amorem sibi conciliare. Dignum illi judicarunt, qui Rectoris munere in Gymnasio Gottingensi, Antistitis primarii apud Modornenses in Hungaria, Inspectoris Rathenoniensis in Marchia, dignitate condecoraretur. Præter Cothusanæ in Lusatia scholæ curam, alia quoque scholastica munera ipsi sunt oblata. Sed hæc repudiavit omnia, Vitembergæ commorari satius existimans. Tandem vero aliquando Halam arcessitus, Conrectoris spartam hic suscepit, in qua tantopere sorte sua contentus vixit, ut repulsam ferrent Oldenburgenses,

Pag. 3.

genses, suæ eum scholæ præficere cupientes. A. 1672 Sedinum abiit, Gymnasii Carolini Director & Professor constitutus. Quatuor annos post Lubecam concessit, & vacuum hic Conrectoris locum occupavit. In munere hoc permansit usque ad annum 1692, quo, molestiis morbisque defatigatus, vitam cum morte commutavit. Scripta reliquit varia, & philosophica, & theologica, & literaria, quæ pro temporis, quo vixit, ratione
Pag. 4. minime sunt negligenda. Afferuntur in notis a *Jenichio* eruditorum quorundam de *Lipenio* judicia, & locus ex *Morhofii* Polyhistore, quo *Bibliotheca juridica* non illa ἀκριβείᾳ conscripta, qua scribi debebat, nec tale negotium suscipi debere ab homine, extra Jurisprudentiæ sacra constituto, dicitur. Qua in re *Morhofius* omnes, qui rem recte putant, sibi habet consentientes. *Bibliotheca* ejus *philosophica* reliquis omni-
6. bus præstat. De *Lipenii Bibliothecis* augendis cogitavit olim
8. *Vinc. Placcius*, sed non adspexerunt lucem ejus additiones. In fine optat *Seelenius*, ut eruditorum Virorum societas aliqua conjunctis viribus *Lipenii Bibliothecas* in manus sumat, & insigniter auctas correctasque denuo publici juris faciat. Dabimus nunc specimina quædam eorum, quæ in ipso Opere passim condimenti loco Editor doctissimus adjecit. Recte tri-
P. I pag. 2. buitur *Ephr. Gerhardo* Dissertatio de *Criminum abolitione*, & propterea immerito, quod addimus, Autor hujus Commentationis perhibetur *Brunquellus*, qui Respondentis tantum partes sustinuit, in vita *Brunquelli*, a Cl. *Jenichen* vulgata. Ipse id *Brunquellus* docet in *Hist. Jur. Rom. & Germ. pag. 67 edit. Amstel.* Dissertationis de *Anticipatione usurarum*, Præside *Gust.*
24. *Henr. Mylio* hic Lipsiæ defensæ, verus autor est filius, *Jo. Henricus*, historia *Theophili* clarissimus. Ill. *Leyserus*, ob graves
34. cum Theologis & Philosophis Vitembergensibus controversias, quas libellus *de Assentationibus JCtorum* excitaverat, martyrum juridicorum numero adscribitur. *Schultingius* in Oratione *de*
74. *Jurisprudentia Ciceronis* tam firmis, ut existimat *Jenichius*, argumentis *Ciceroni* Jureconsulti nomen asseruit, ut parum roboris habere videantur, quæ contra illa protulit *Bynckershoeckius*.

Anony-

Anonymi Tractatum de Accuſatione ex ſponſu cum accuſa-
tione matrimonii cumulata, Lipſiæ A. 1733 editum, autori *Jo.* P. I
Franc. Bornio, Jureconſulto olim Lipſienſi, deberi, pro certo pag. 175.
affirmatur. Perill. *Thomas a Fritſch* pro oblata olim Augu-
ſtiſſ. *Carolo VI* Diſſertatione de Jure Imperatoris in magnum 187.
Ducatum Etruriæ, quam Præſide Ill. *Maſcovio* noſtro in ca-
thedra defenderat, aureo torque a ſummo Imperatore ornatus
ex merito fuit. Ejuſdem Cel. *Maſcovii* res Germanorum,
quas Italorum lingua *Pallavicinus* donavit, nunc etiam in 242.
Anglicum, Belgicum, Gallicum, translatas ſermonem prelum
fatigare, indicatur. Optat Cl. Editor, ut lictores virgas ex- 243.
pedire jubeantur contra eos, qui immaturos literatorum ho-
minum fœtus, turpis lucelli amore capti, in lucem protru-
dunt. *Nic. Mareſchalci Thurii* Inſtitutiones reipublicæ milita- 267.
res & civiles, Roſtochii A. 1515 fol. impreſſæ, quæ ipſi *Maittai-
rio* ignotæ fuerunt, ob raritatem pariter ac præſtantiam ma-
gnopere prædicantur. Diſſertatio, Præſide *G. H. Mylio* Lipſiæ P. III
publice olim propoſita, de hiſtoria legatorum, eidem ejus fi- pag. 328.
lio, *Jo. Henrico*, quem ſupra diximus, tribuitur. Notatur ver-
bis acerbioribus *B. G. Struvius*, nuper pie defunctus, quod *Aug.* 344.
Quir. Rivino Programma adſcripſerit, de Ordinariis Facultatis
Juridicæ Lipſienſis, qui tres annos ante, quam lucem adſpi-
ceret opella, fatis conceſſerit. Non moris eſſe apud nos, adji-
citur, ut demandetur beatis animabus conſcribendorum Pro-
grammatum cura. Ohe quam ſalſe & acute! Ill. *Leyſeri* Com-
mentationi, quæ Miniſter Principis delinquens inſcribitur, 374.
tertio loco acceſſiſſe Diſſertatio de pœnis Miniſtrorum delin-
quentium hic dicitur. Sed, illam ſeparatim prodiiſſe, neque in O-
puſculo, quod diximus, deprehendi, nobis credat Lector. *Godofr.* P. IV
Thomaſius, Medicus Norimbergenſis, parat Supplementa ad *Ja-* pag. 446.
cobi, parentis ſui, librum de Plagio literario, qualia etiam colle-
git *Stollius*, clariſſimus Jenenſium doctor. De variis Paraphraſeos P. V
Theophili editionibus fuſe exponitur. Primus de *Theophilo* be- pag. 14.
ne meritus eſt *Vigl. Zuichemus*, qui Opus ex MStis Bibliothe-
cæ Venetæ, & *Jo. Bapt. Egnatii*, Baſileæ A. 1534 fol. Græce
edidit. Præclaram poſtea operam *Theophilo* præſtitit *Jac. Cur-
tius*, cujus Latina Paraphraſeos verſio, cum brevioribus ejuſdem

notis, prelum ſæpiſſime fatigavit. Nec laudes nullas meretur *Dionyſ. Gothofredi* diligentia. Omnium tamen induſtriam ſuperavit *Car. Ann. Fabrottus*, qui, nemine non applaudente, *Theophilum* Pariſiis evulgavit. Dolendum eſt, *Jo. Henr. Mylium* juſto maturius rebus humanis boniſque literis ereptum, qui ſane ornando illuſtrandoque *Theophilo* natus factuſque erat. Tantopere ejus libellus, quo *Theophili* hiſtoriam expoſuit, ipſis Belgis placuit, ut de eo A. 1733 denuo edendo cogitarent. Novam *Theophili* editionem *Cornelius van Sieben* parat. Sed jam de *Bibliotheca Lipenio-Jenichiana* ſatis.

JO. GOTTLIEB HEINECCII ELEMENTA Juris Naturæ & Gentium, commoda Auditoribus methodo adornata.

Halæ, impenſis Orphanotrophei, 1738, 8.
Alph. 1 plag. 16½.

Poſtquam tot Juriſprudentiæ partes & Philoſophiæ diſciplinas artificio ſingulari ac veluti ſibi proprio expolivit Ill. *Heineccius*, non poteſt non Lectoribus, qui ejus ſcripta in deliciis habent, hoc eſt, plurimis, perjucundum eſſe, quod etiam ad ornandam Juriſprudentiæ naturalis ſcientiam animum appulerit, &, poſtquam tot ac tanta Quiritibus Germaniſque dederat, nunc feliciſſimæ diligentiæ ſuæ fructus ad omnes pæræque populos pertinere voluerit. Qui liber ut amabitur a pleriſque, quod *Heineccianus* eſt, ita & ipſi Celeberrimo Autori ex multis cauſis prope neceſſarium viſum eſſe intelligimus, ut in prælectionibus ad Jus naturæ & gentium ſuis potius utatur præceptis, quam alienis. Nam, ut in Academiis, qui aliorum Compendia interpretantur, non poſſunt non interdum a ducibus ſuis divergere, &, quo pejor eſt libellus, in quem docendo inciderunt, eo ſæpius a via, quam oſtendit ille, declinare, ita moleſtiſſima refutandi opera, & adoleſcentibus vel eo nomine, quod multum temporis inutiliter perditur, noxia, carere quiſque poteſt, qui ſuas ipſe ſententias in compendium cogit, &, ſive recte, ſive perperam, ſentiat, ſecum

cum tamen consentit, atque hoc ipso remedio odiosam, ducem suum reprehendendi, supplendi, & secandi, provinciam evitat. Itaque, cum, methodum suam utilitate non caruisse, ceterarum Jurisprudentiæ disciplinarum exemplis intellexerit Ill. *Heineccius*, noluit intactam relinquere illam, quæ ceterarum omnium veluti basis & fundamentum est. Methodum autem suam cum se adhibuisse statim professus sit, perspectum erit eis, qui in libris *Heineccianis* versati sunt, quod nec illam religiosam, vel, ut alii loquuntur, superstitiosam, succique vacuam, seu, ut amatores ejus dicunt, geometricam, adhibuerit, nec, ut ait ipse, tenebris metaphysicis, subtilissima demonstratione velut ex industria quæsitis, se suaque texerit, vicissim vero non illa desultoria levitate, qua nonnulli principiorum Juris Naturæ osores circumerrant, vagatus sit, sed illa, quæ & Philosophos decet, mediocritate, circumspecte quidem, sed sine anxio ad vivum omnia resecandi vitio, prudens incesserit, suisque definitionibus & axiomatibus, haud secus ac in Elementis Juris Civilis, usus sit. De unico autem, & vero, &, quod dicunt, adæquato, Juris Naturæ principio circumspicienti, placuit inventum *Papiniani* Brandenburgici, *Samuelis* L. B. *de Cocceji*, voluntas nimirum Dei. Neque enim Noster cum eis facit, qui, hominum actiones internis suis vel bonitate vel vitio protinus justas & injustas esse, contendunt. Bonas quidem eas sua natura dici posse, similiterque malas, concedit, sed, ut justæ vel injustæ censeantur, fieri non posse sine lege; adeoque, si vel consilium admitteres, quo bonæ suadeantur, malæ dissuadeantur, ad obligationis tamen necessitatem opus esse lege, quæ nisi adesset, actio per se mala imprudenter quidem, non autem injuste, perpetrata videri posset. Negat igitur, dari actiones *antecedenter*, ut ajunt, *ad Legem* justas, sed normam quærendam esse extra nos, & extra ipsam actionum internam qualitatem perspicue positam, quæ nulla alia ipsi videtur, quam Dei voluntas, eam vero non aliter cognosci posse, quam per illum, ad quem ipse Deus nos obligat, *amorem*. Deum enim velle felicitatem hominum, eamque in legibus suis ab æterno fixis inten-

dere, felicitate autem veroque bono neminem frui poſſe, niſi per amorem, qui boni appetitio, ejuſque cum voluptate ſenſus, eſt. Amoris illius primum gradum eſſe ſtatuit juſtitiam; neque conſiſtere poſſe, ut lædas aut ſuum illi deneges, quem amaveris; alterum, ut ea quoque impertiaris, quæ magis humanitatis, quam ſtricti juris, ſunt: unde obligationis perfectæ & imperfectæ origo exſurgit. Hujus autem amoris tria eſſe putat objecta, Deum, noſmet ipſos, & homines alios, ex qua triplici ſcaturigine omnium officiorum latices deducerentur. Hæ vero primæ totius Operis lineæ ſunt, ad quas omnia cenſentur & componuntur. Superfluæ vero res operæ foret, minutatim ſingula referre, quæ ex his principiis colliguntur, nec alia, ut unuſquiſque facile judicabit, eſſe poſſunt, quam quæ in omnibus Juris Naturæ Compendiis & Syſtematibus, quanquam ubivis alia via diverſoque ordine, propoſita ſunt. In univerſum monere ſufficit, quod omnis tractatio *duobus Libris* abſolvatur, quorum *alter* de Jure naturæ, *alter* de Jure gentium, agit. Ac in *primo* quidem, quæ actio bona vel mala, quid obligatio & lex, & quid denique illa legum ipſius rationis beneficio cognoſcendarum complexio, nempe *Jus Naturæ*, ſit, diſquiritur; ſimiliter, quæ conſcientiæ indoles, diverſitas, & libertas, quæ erroris & ignorantiæ vis vel excuſatio, & quæ demum actionum omnium norma, ſeu verum Juris Naturæ principium, ejuſque per accuratam imputationem applicatio. His ita præſtructis, officia erga Deum expenduntur, ut cognoſci & coli ſine ſuperſtitionis fallacia poſſit; inde, quid hominum quiſque ſibi ipſi debeat, ſive vitam & valetudinem, ſive vires ingenii, aut voluntatis emendationem, ſpectet, quæ norma colliſionis officiorum, & quæ neceſſitatis ipſius lex ſit; poſtremo, quid erga homines alios juſtum ſit, ſive officia, quæ dicimus, abſoluta, ſive hypothetica, intueamur, & diſcrimen obligationis nunc perfectæ, nunc imperfectæ, cuſtodiamus. In qua tractatione, nobis ne quidem monentibus, unuſquiſque etiam illa quæret, quæ de dominio, modiſque illud vel acquirendi, vel derivandi, de commercio, de pactis, eorumque vel componendorum vel diſſol-

diſſolvendorum ratione, communiter diſputantur. *Altero Libro* producuntur homines, ut ſocietatum vinculis contineantur, & vel uxores ducunt, vel liberos procreant & educant, vel ſervos alunt, aut dominis obſequuntur. A familiis recta & conſulta patet ad rempublicam via, cujus origines, figuræ, & partes, expenduntur, ſimulque, quæ majeſtatis jura vel civium obſequia ſint, concinne traditur. Subjecta ſunt paragraphis tantum non ſingulis ſcholia, ex Hiſtoriarum, Juriumque civilium, aut veterum & recentiorum Philoſophorum, penu petita, non quod cujuſquam teſtimonii acceſſione rationem, illam Juris Naturæ magiſtram & interpretem, juvari poſſe, Illuſtris Autor cenſeat, ſed quod his veluti blanditiis ipſarum veritatum ſiccitatem mollire, nec tam fundamenta jacere, quam, quæ bene poſitis argumentis fundata ſunt, ornatus ſpecie diſtinguere, contendat. Ceterum prima Libri dos eſt, quod perſpicue, nitide, ac limate, omnia tradat, &, ut uno verbo rem complectamur, *Heineccianus* ſit, & ob has virtutes dignum, quod Regni Daniæ Hæredi dicaretur, donum eſſe videatur.

GEORGII HENRICI BEHRII, MEDICINæ Doctoris atque Practici Argentinenſis, nec non Acad. Imper. Nat. Cur. ut & Commerc. Liter. Phyſ. Techn. Medici, Sodalis, Lexicon Phyſico - Chymico - Medicum reale ; cum Præfatione MICHAELIS ALBERTI, Reg. Boruſſ. Conſ. Aulici, & Conſiſt. Magdeb. Med. & Phil. Natur. Prof. Publ.

Argentorati, ſumtibus Joannis Beckii, 1738. 8.
Alph. 4 plag. 21.

Tantus eſt Obſervationum, ad omnes artis ſalutaris partes ſpectantium, cumulus, tanta hypotheſium, ex illis formatarum, diverſitas, ut ſingulis, hinc inde diſperſis, perluſtrandis atque colligendis unius hominis neutiquam ſufficiat ætas. Illorum vero, qui phænomena ſibi obvia curatius expendere, & cum aliis communicare, inſtituunt, non parum intereſt, ut,

quid alii de his observarint, atque commentati sint, cognoscant, ne dudum cognita pro novis obtrudant, & jam tum evoluta multo labore eruere conentur, sed, aliorum adjuti laboribus, ulterius progredi possint. Quo nomine illorum studium suas laudes meretur, multumque commodi parit, qui, quid ab aliis in quavis scientiæ parte præstitum sit, paucis indicare, & ad fontes ablegare lectores, suscipiunt. Cujus specimen aliquod Cl. *Alberti* in tentamine Lexici realis Observationum Medico-Physicarum ante aliquot annos dedit, cujus *Partem tertiam* prelo jam paratam esse, ex Præfatione, huic Operi a Doctiss. Viro præmissa, intelligimus. Eandem viam ingressus est præsentis Operis Autor, qui Lemmata, in lectione Autorum in suos usus annotata, in publicum edere decrevit. Indicantur hic potissimum, quæ in *Novis* hisce *Actis*, Commercio literario Norimbergensi, Ephemeridum Nat.Cur. recentioribus Voluminibus, Actis medicis & Miscellaneis Berolinensibus, ad rem medicam spectantia occurrerunt, tum in recentissimorum Virorum celeberrimorum Operibus singularia visa sunt; ut hinc *Boerhaavii*, *Hoffmanni*, *Stahlii*, *Junckeri*, *Coschwitzii*, *Alberti*, scripta sæpius citata reperire liceat, subinde etiam superiorum Seculorum Autores, qui novas Observationes Anatomicas, Chymicas, aut practicas, reliquerunt, allegatos videamus. Neque scriptorum olim a se editorum crebriorem injicere mentionem, &, quicquid in illis continetur, studiose annotare, sicque ab oblivione illa vindicare, pluriumque commodis idonea reddere, omisit Autor. Non dubitamus, Lectoribus, qui potiora aliorum de rebus medicis placita uno intuitu cognoscere cupiunt, neque diffusæ lectioni ob alia impedimenta vacare ipsi possunt, hunc Indicem sua se utilitate commendaturum.

ANIMADVERSIONES IN PROPOSITIOnem XXI Libri VII Elementorum Euclidis, cum nova ejusdem Propositionis Demonstratione. Accedit pro coronide Demonstrationum Algebraicarum Specimen, ex Euclidis

clidis Elementorum exemplari, ad id operis artificiose compacto, depromtum.

Brixiæ, typis Joannis Mariæ Rizzardi, 1738, 4 maj. Plag. 5½.

Propositio 21 Theor. 19 Lib. VII Elem. Euclidis huc redit: Si *A* & *B* sunt numeri omnium, qui eandem cum ipsis rationem habent, minimi, æque metientur numeros ipsis proportionales; vel sic clarius: Quodsi habentur $A : B = C : D$, ubi *A* & *B* termini supponuntur minimi omnium aliorum, eandem rationem habentium, erit *A* eadem pars *aliquota* ipsius *C*, quæ *B* est ipsius *D*. Demonstrationem hujus *Propositionis* indirectam affert *Euclides*, quam sub examen vocandam triginta jam abhinc annis censuit Eminentiss. Cardinalis *Quirinus*, Brixianæ Diœceseos Antistes, cum Florentiæ versaretur. Cum *Euclidea* probandi ratio ei videretur insufficiens; novam hujusce *Propositionis* demonstrationem concinnare tum temporis allaboravit, adspersis quibusdam animadversionibus, ad idem argumentum pertinentibus. Quæ cum ad manus pervenissent Viri Cl. *Fortunati a Brixia*, is, cum orbe literario hæc communicandi, a *Cardinali* facultatem obtinuit. Opusculo præfixit Præfationem, ubi in laudes doctissimi *Quirini* effunditur, qui, cum gravissimis negotiis semper distineatur, in excolendas literas, Mathesin præcipue, plurimum operæ studiique confert. Sequitur Epistola, quam ad Emin. Cardinalem scripsit olim Vir Cel. *Guido Grandus*; qui, cum mentem suam de Propositione *Euclidea* aperuisset, bonitatemque demonstrationis asseruisset, (quæ circa numeros solum integros ex mente *Euclidis* versatur,) Virum eruditissimum hortatus est, *Euclidi* ut suam laudem relinqueret, qua per tot Secula fruitur; quod scilicet absque omni paralogismi labe Elementa sua conscripserit. Epistolam excipiunt ipsæ Animadversiones, quibus id agit Doctissimus Autor, ut *Euclidis* demonstrationem impugnet, & mancam ad minimum dicat. Non enim sufficere, contendit, ut soliditas dictæ demonstrationis adstruatur eo, quod de numeris fractis *Euclides*

des fileat. Sed, ut hac de re judicare queant Lectores nostri, en *Euclideam* probationem, a nobis hac ratione propositam: Si sit $A : B = C : D$, erit quoque $A : C = B : D$, adeoque erit A vel $= \frac{1}{m} C$, & $B = \frac{1}{m} D$, vel erit $A = \frac{n}{m} C$ & $B = \frac{n}{m} D$, positis m & n numeris integris, & $m > n$. Quodsi $A = \frac{n}{m} C$, & $B = \frac{n}{m} D$, erit itaque $\frac{n}{m} C : C = \frac{n}{m} D : D$, ergo alternando & dividendo per n, $\frac{1}{m} C : \frac{1}{m} D = C : D$; jam vero $\frac{1}{m} C = \frac{1}{n} A$, & $\frac{1}{m} D = \frac{1}{n} B$, ergo etiam $\frac{1}{n} A : \frac{1}{n} B = C : D$, ergo A & B non erunt numeri in hac ratione minimi, contra hypothesin; est enim $\frac{1}{n} A < A$, & $\frac{1}{n} B < B$. Restat itaque, ut sit $A = \frac{1}{m} C$, & $B = \frac{1}{m} D$, id est, ut A & B æque metiantur C & D, vel sint earum eadem pars aliquota. *Q. E. D.* Hæc demonstratio quoad substantiam coincidit cum *Euclidea;* algebraici characteres adhibiti sunt, ut verborum ambages effugeremus. Contra hanc probandi rationem excipit Eminentiss. *Quirinus*, exinde, quod foret $\frac{1}{n} A : \frac{1}{n} B = C : D = A : B$, non sequi, erminos A & B non esse minimos hujus rationis; demonstrationem eo solum casu esse legitimam, cum $\frac{1}{n} A$

&

& $\frac{1}{n}B$ ſint numeri adhuc integri: ſed ſuſpicari quempiam poſſe, annon $\frac{1}{n}A$ & $\frac{1}{n}B$ ſint numeri fracti; tunc enim nihil abſurdi in eo eſſe, ut exiſtat $\frac{1}{n}A : \frac{1}{n}B = C : D = A : B$, & nihilo minus *A* & *B* ſint termini (integri) minimi rationis *A* : *B*. Reſpondet *Grandus*, ſe non videre, quomodo huic objectioni locus queat eſſe; cum apud *Euclidem* omnis numerus ſit integer: & ex definitionibus 3 & 4 *Elem. VII* evidentiſſime conſtet, omnem partem numeri, (hoc eſt, noſtro more, $\frac{1}{n}A$ & $\frac{1}{n}B$) aut plures ejus partes, (hoc eſt, $\frac{n}{m}A$, aut $\frac{m}{n}B$, aut $\frac{m}{n}C$, &c.) eſſe numerum proprie dictum, ſcilicet integrum. Itaque, cum ab *Euclide* diſerte inferatur, eſſe vel $A = \frac{1}{m}C$ & $B = \frac{1}{m}D$, vel $A = \frac{n}{m}C$, & $B = \frac{n}{m}D$, etiam $\frac{1}{n}A$ & $\frac{1}{n}B$ ſemper fore numeros integros, adeoque nihil inveniri in demonſtratione *Euclidea*, quod jure reprehendi poſſit. Sed hæc de Propoſitione dicta ſufficiant; indicanda adhuc quædam ſuperſunt de Specimine Demonſtrationum algebraicarum, ab eodem Eminentiſſ. Cardinale confectarum. Verſantur eæ circa *Libros II, V, VII, VIII, & IX Elementorum.* Nullum eſt dubium, quin multum emolumenti ex iis percipere poſſint Geometriæ cultores, quibus haud raro negotium faceſſunt demonſtrationes *Euclideæ*, prolixæ ſæpius & ſubtiles, quibus præcipue ſcatent modo dicti *Elementorum* Libri. Algebraicæ demonſtrationes, uti ob brevitatem & facilitatem, ita ob univerſalitatem

tatem inprimis, commendandæ ſunt, cum magnitudinibus cujuſvis generis æque conveniant. Ab eo itaque ordiendum eſt tironibus, ut *Euclideas* Propoſitiones eruant analytice; quo facto, ad ipſam demonſtrationum lectionem demum accedant. Eo maxime, ſi quidquam aliud, conducet hoc, quod recenſemus, Specimen, ab Eminentiſſ. *Quirino*, memoriam ut juvaret, olim concinnatum. Quod ut uſibus exiſteret tanto accommodatius, notis ſuis perpetuis illuſtravit Cl. Editor, veritus, ne nimia interdum brevitas moraretur legentes. Quæ cum ita ſint, eſt, cur ſibi gratulentur ad *Euclidem* acceſſuri, lucem accenſam iis in rebus, quæ maximis involutæ tenebris, & difficultatum plenæ, prima fronte videntur. Novam vero Propoſitionis *Euclideæ* demonſtrationem, ab Eminentiſſ. *Quirino* adornatam, non opus eſt, huc transferre, ſed, Lectorem ad ipſum libellum ablegari, ſatius putamus.

M. CAR. HENR. LANGII, GYMNAS. LUbec. Subrectoris, Biblioth. publ. Præfecti, & Societ. Teuton. Lipſ. Membri, Obſervationes ſacræ, quibus varia Novi Teſtamenti loca ex antiquitatibus & Philologia ſacra exponuntur & illuſtrantur. Accedit Specimen Lectionum Euripidearum in Phœniſſas. Adjecti ſunt Indices neceſſarii.

Lubecæ, ſumtibus Jonæ Schmidt, 1737, 8.
Alph. 1 plag. 7.

Exhibet hic Præclariſſimus Autor ſex potiſſimum haud vulgaris eruditionis ſpecimina; quorum pars lucem jam antea vidit, pars vero primum nunc in eruditorum conſpectum prodit. *Primam* Diſſertationem, ante hos novem annos Jenæ publicatam, ita nunc auxit atque ornavit, ut nova plane exiſtimari poſſit. Illuſtraturus autem hac ipſa *Act. XVI, 37–39*, de immunitate civis Romani a certis pœnis commentatur. Quod ſequitur, Opuſculum Lubecæ A. 1729 prodierat, infame Chriſti ſupplicium, a *Luca XXIII, 33*, deſcriptum, uberius

rius exponens. *Tertia* Obſervatio nova eſt, atque in verbis occupatur, quæ *Lucas*, internos Chriſti dolores deſcripturus, præmiſit. *Quarta* vero, nova tantum veſte induta, doctoris ſacri ideam, a *Paulo 2 Tim. II, 14*, delineatam, oſtendit. *Quintum* ſibi locum vindicat, de luctu veteris Græciæ, lucubratio, præſtantiſſimo olim, nunc deſideratiſſimo, Hamburgenſium *Fabricio* conſecrata. Finem denique Lectiones *Euripideæ* imponunt. *Euripides* nimirum eſt, in cujus præcipuis Tragœdiis ſingulare ſtudium collocare ſolet doctiſſimus Autor, eum in finem, ut luci aliquando publicæ politas atque emendatas concedat; quod inſtitutum, non poſſumus, quin probemus mirifice atque commendemus. Præclara enim pollicetur *Langiana* iſthæc diligentia, quæ his ipſis Speciminibus, ſigillatim nunc atque membratim luſtrandis, nitidiſſime ſplendeſcit. In *prima* ſtatim Commentatione Autor doctiſſimus octo conſtituit pœnarum apud Romanos genera; mulctam ſcilicet, vincula, verbera, talionem, ignominiam, militarem æque ac civilem, exilium, ſervitutem, atque ipſam denique necem, quorum ſingula in ſuas iterum ſpecies diſtribuuntur, ac breviter delineantur. Reſpectu habito ad perſonas, nova oritur pœnarum diviſio, quarum pars promiſcue adhibebatur, pars ſolis ſervis imminebat; qua occaſione ad ipſum *Actorum* locum deſcenditur, ubi, poſt nexum demonſtratum, tria inprimis vocabula, ξύλον, δημοσία, ῥαβδοῦχοι, uberius expenduntur. Quod ad argumentum de ignominia Chriſti ex crucis ſupplicio attinet, illam ipſam tum ex loco Golgatha, tum ex ipſa ejuſmodi internecionis delineatione ac nominibus, tum ex variarum gentium conſenſu, tum denique ex ſociis, quos inter pependit Servator, Vir eruditiſſimus demonſtravit. Refert hic nominatim, quam exoſum iſtud fuerit ſupplicium penes Ægyptios, Carthaginienſes, Perſas, Aſſyrios, Indos, Scythas, Gallos, Græcos denique, atque Romanos. Removet tamen ejuſmodi abominationem a Chriſtianis, quibus ſignum crucis adeo potius carum atque pretioſum fuit, ut etiam in numis ſculpendum elegerint. *Matthæanum* locum, quem poſtea luſtrandum ſumſit, ita interpre-

tatur *Langius: Tum venit cum iis Jesus in hortum, Gethsemane dictum, & dicit discipulis: exspectate hic, usque dum revertar, precatus ibi, &, accepto* Petro *& duobus* Zebedæi *filiis, cœpit acerbius dolere, & vehementissime angi; hinc dicit eis: perquam mœsta est anima mea usque ad mortem.* Quam interpretationem, parum equidem a ceteris diversam, ulterius prosecuturus, non omnia solum, quæ rem circumstant, sed ipsa etiam vocabula, perquirit; ubi præsertim ex sacris pariter atque profanis confirmat, adverbium αὐτοῦ locum præstolandi significare, neque intactum relinquit, cur verbum ἤρξατο, quod πλεονασμῷ alioquin inservit, adhibendum curaverit Autor divinus. Magnitudinem vero, quos perpessus est Christus, dolorum ex duobus vocabulis λυπεῖσθαι & ἀδημονεῖν, duabusque loquendi formulis, περίλυπός ἐστι ἡ ψυχή μου, & ἕως θανάτου, ostensam esse videmus. Eadem cura atque diligentia in *Paulino* etiam loco, quem, ut dicendorum compendium faciamus, sicco jam pede præterimus, apparet. Neque tamen omittere possumus, quæ de Græcorum luctu ex *Euripide* afferuntur, lectu omnino dignissima. Demonstratur nimirum, qua ratione contectis capitibus, oculis in terram defixis, lachrymas fundentes ambulaverint veteres, θρήνους porro, κωκυτὸν, ἰαχὴν, ὀδυρμὸν, ἰαλέμους, γόους, miscuerint, præficas atque præcentrices aluerint, planctus, genarum lacerationem, crinium evulsionem, capitis rasuram, cinerum in caput sparsionem, vestitum nigrum, vestium lacerationem, quin & in Deos convicia, conjunxerint, crines porro abscissos rogo imposuerint, terram scalpere consueverint, musicosque concentus omiserint. Ita vero in signa domus luctuosæ inquiritur, luctusque tempora definiuntur. Nihil superest, nisi id unum, ut, repetito voto, eximium Autori limatissimæ doctrinæ specimen gratulemur, eundemque, ut in nobili hoc stadio porro alacriter decurrat, publico nomine cohortemur.

ENARRATIO PSEUDO - ATHANASIANA IN Symbolum Apostolicum, antehac inedita, & VIGILII TAPSI-

TAPSITANI de Trinitate ad THEOPHILUM Liber VI, nunc primum genuinus, atque assumentis carens, prolatus ex vetustissimo Codice Amplissimi Capituli Veronensis, opera & studio JOSEPHI BLANCHINI, Canonici Bibliothecarii. Accedit Symbolum Nicænum, cum Symmachi Papæ Vita, ex vetustissimis membranis nunc integre in lucem emissa.

Veronæ, ex typographia Petri Antonii Berni, 1732, 4.
Plag. 15.

Collectio hæc Opusculorum Eminentissimo ac Reverendissimo Cardinali *Angelo Mariæ Quirino*, Brixiæ Episcopo, ac S. R. E. Bibliothecario, ab Autore fuit inscripta. Enarratio in Symbolum Apostolicum anecdota ex Veronensi Canonicorum Bibliotheca nunc demum in lucem protrahitur. *Quirini* autem virtutes ac vita, una cum scriptis, ita recensentur in Dedicationis formula, ut nobis temperare non possimus, quin paucula inde huc transferamus. Ipse Vir Eminentissimus monasticum Florentiæ exegit tirocinium, feliciter Philosophiæ ac Theologiæ curriculum emensus, Ecclesiasticam Historiam, linguasque Græcam & Hebraicam, diligenter addidicit, Lectorem sacræ Theologiæ egit per octennium, docens sacram Theologiam sacrosque Ecclesiæ Canones, nec non divinioris Scripturæ oraculorum expositiones. Recitavit Orationem publice *de Mosaicæ historiæ præstantia*, quæ A. 1705 Cæsenæ formis publicis descripta prodiit. Edidit A. 1717 sub auspiciis *Clementis XI Dissertationem de Monastica Italiae historia conscribenda*, quam ipsi provinciam cœtus Casinensis, in Patavinis Comitiis congregatus, A. 1714 commendaverat lubenti. Anno illo elapso, per duos & amplius annos arctissima Sangermanensium Parisiis consuetudine usus est, postquam per quadriennium Germaniam, Bataviam, Belgium, Galliamque, lustraverat.

Romam redux, Historiographum ordinis sui agere cœpit. A. 1718 visitavit celebriora Archiva, videlicet Casinense, Cavense, Pharphense, ac Sublacense, ex quibus segetem monumentorum decerpsit. Edidit porro *Orthodoxa veteris Græciæ officia.* Emisit A. 1725 in lucem ex typographeo civitatis Licii *Primordia Corcyræ ex antiquissimis monumentis illustrata*, cum ab *Innocentio XIII* Archiepiscopus Corcyræ esset renuntiatus. A. 1726 Beneventi edidit *Enchiridion Græcorum*; quod Decreta Pontificum Romanorum de illorum dogmatibus ritibusque complectitur. Jam pridem intentus fuit præstantissimæ S. *Ephraem Syri* editioni Græco-Latinæ, quam in *quatuor Tomos* distributam adornat, conquisitis undique venerandæ antiquitatis monumentis, adjectisque Dissertationibus non vulgari eruditione refertis, edendos, & ex parte jam editos, ex typographeo Vaticano sub nomine Panopliæ. Codices, in Vaticana hoc fine conferendi, ad numerum septuagesimum circiter adscendunt. Ipsum contextum *Ephraemi* Syriacum ex penu instructissima typographei Medicei proferet, quem videndi unquam eruditis olim vix ulla spes restabat. Hæc Operis tanti molitio Episcopalibus deliciis, jubente *Clemente XII*, honorem supremum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii adjunxit. *Clemens* vero *XI* eum, infra annos canonicos constitutum, adscripserat tribus sacris Congregationibus, Indicis nempe, Rituum, & sancti Officii, nec non ad Abbatiales infulas evexerat. Hæc ad *Quirini* elogia. In Operis *Blanchiniani* limine adspicimus illico Dissertationem de genuino Autore Enarrationis Pseudo-Athanasianæ, in Symbolum Apostolorum illustrandum concinnatæ. Eum haud fuisse *Athanasium*, patescit vel exinde, quod hæc Enarratio in gratiam cathechumenorum sit scripta, cum tamen nullus *Athanasii* extet Sermo cathecheticus, siquidem cathechetæ Alexandrini eo labore fungebantur: quod in hac Enarratione dictum illud
Pag. 2. ex *1 Jo. V*: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus; & ii tres unum sunt*, habetur:

quod

quod Autor vocaverit Deum patrem *autorem* filii, quæ loquendi ratio ad Græcos non quadrat, sed Latinum enarratorem designat: quod Autor Symbolum Apostolicum appellaverit *sacramentum:* quod aliis jam suboluerit, latere inter ea, quæ *Athanasio* tribuuntur, opera lucubrationes *Vigilii Tapsitani* in provincia Bysacena Episcopi. *Vigilio* familiaris erat illa loquendi formula, qua perhibebat, Deum assumsisse hominem, quæ & in hac Enarratione occurrit. *Nestorius* eam æque phrasin adhibuit, sed a *Cyrillo* damnatam, anathematismo octavo. Nec est improbabile, Symbolum, vulgo *Athanasianum*, *Vigilii* esse fœtum. Hic enim de descensu Christi ad inferos clare & sæpius disseruit. In *Pseudo-Athanasiana* Enarratione legitur: *Ite, baptizate gentes, ungentes eas in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Ad *Athanasium* hæc non quadrant, sed ad Scriptorem Latinum, veteri Latina seu Italica versione usum. *Ungentes* sunt *omnes*. Sed videntur nonnulli inde unctionem exsculpsisse, eamque Baptismo addidisse. Præstantissimus *Blanchinus* nobis promittit perquam liberaliter *pag. 18* editionem vetustissimi Codicis Evangeliorum Italicæ versionis, quæ est vetus Latina. *Pinius* existimaverat, Symbolum Apostolicum ab Apostolis haud fuisse profectum, siquidem varietas editionum & ecclesiarum id doceant. Ut hunc scopulum amoliatur Dissertationis Autor, arbitrandum sibi sumsit, Symbolum Apostolicum ad quintum usque a nato Christo Seculum a fidelibus memoriæ duntaxat fuisse mandatum, haud scriptum literis. Vox *catholicam* primo haud existit in Symbolo Apostolico. Quare Evangelicis vitio non erat vertendum, quod ei voci recens natæ substituerunt *Christianam*, scilicet Ecclesiam. Articulus *de communione sanctorum* abfuit ad ætatem usque *Augustini*, & ille *de vita æterna* in Ecclesia Occidentali passim desiderabatur olim. Enarrationi ipsi, quæ Dissertationem excipit, Editor subjecit notas & criticas, & historicas; in ipsis autem verbis Enarratoris antiqui multa egregie menda sustulit. Enarrator credidit, Christum induisse carnem, peccato qui-

Pag. 5. 8. 9. 13. 15. 16. 18. 26. 27. 28. 30 seq.

quidem liberam, ſed quæ tamen poſſet eſſe peccatrix. Ipſe
Pag. 34. *deſcenſum Chriſti ad inferna* credidit, ſed cum *Athanaſio* reſtrinxit ad animam. Enarrationi ſuccedunt Editoris anno-
36. tationes criticæ, dogmaticæ, & hiſtoricæ, lucernam olentes, & ſeſamo delibutæ. De deſcenſu Chriſti ad inferna egregie
41 ſeq. commentatur *pag. 51 ſeq.* quem a Chriſto fuiſſe peractum, ſecundum animam, corpore intra ſepulchrum quieſcente, *Athanaſius* & aſſectatores ejus exiſtimarunt. Ad Librum ſex-
55 ſeq. tum *Vigilii Tapſitani*, ſeu *Idatii*, Chronographi, de Trinitate ad *Theophilum*, nunc demum aſſumentis ſolutum, non eſt, quod moneamus, præterquam quod ille jam ex Codice editus ſit antiquiſſimo, aſſumentis & additionibus vacuo. Suc-
69 ſeq. cedit Symbolum Nicænum, ex eodem Codice Veronenſi edi-
95 ſeq. tum, ac poſt illud *Symmachi* Papæ Vita, in nupera *Anaſtaſii* Bibliothecarii editione Romana ex parte tantum in lucem prolata, nunc vero ex iiſdem membranis integre publici juris facta atque recognita. In ea deſcriptione ſcelera & vi-
104 ſeq. tia ſatis multa in *Symmachum* conjiciuntur. Quo factum eſt, ut *Blanchinius* uterque, ſcriptum illud a ſectatore factionis *Laurentii*, qui *Symmachi* erat competitor, compoſitum eſſe, ſtatuerit. Noſtrum vero eſt, Viro Summe Reverendo, dapium delicioſarum ac novarum appoſitori, de inventis theſauris gratulari, eumque ſtudioſe rogare, ut complura ejuſmodi fercula proferre ne dedignetur.

HENR. SAMUEL. REIMARI, P. P. DE VITA & Scriptis JO. ALB. FABRICII Commentarius.

Hamburgi, ſumtu viduæ Felgineriæ, 1737, 8.

Alph. 1 plag. 10½, cum effigie.

Quandoquidem digniſſimum laude publica inſtitutum eſt eorum, qui illuſtrium Virorum vitas & res præclariſſime geſtas, poſteris commendare, & ab oblivione

livione vindicare, modis omnibus ſtudent; habent boni omnes, cur impenſe faveant ac plaudant præſtantiſſimo *Reimaro*, qui non umbraticum, non mediocris doctrinæ, non famæ obſcuræ, hominem, ſed primi inter eruditos ſubſellii Virum, ſed veri nominis Polyhiſtorem, ſed, quod unum magnæ inſtar laudis eſſe poteſt, *Fabricium*, diligenter ac erudite deſcribendum ſibi ſumſit. Is quidem ſemper fuit *Fabricius*, qui nominis ſui gloriam factis præclaris ad ſera tranſmittere ſecula, & ſcriptis, quæ ſola ætatem ferunt, eruditiſſimis immortalitati ſe commendare, egregie ſcivit, nec paucos vivus adhuc laudum ſuarum præcones habuit; fuit tamen nonnihil amicis indulgendum, dandum etiam nonnihil publicis doctorum deſideriis, ut, quæ tanti hominis ſint merita, una veluti tabula deſcriptum exſtaret. *Primum* itaque illorum *Capitum*, quibus libellus hic abſolvitur, vitæ totius curſum incomparabilis Viri exhibet. Natus eſt Lipſiæ A. 1668 d. 11 Nov. ipſo *Martini* die, quem ideo per omnem vitam feſtum ſibi ſacrumque habuit, patre *Wernero*, chori muſici in æde D. *Pauli* directore. In patria primum ſchola ab *Herrichii*, ſermonis Græci laude florentiſſimi, ore pependit; dein Quedlinburgum conceſſit, *Jo. Schmidii*, Grammatici noſtra ætate non incelebris, doctrina uſus. A quo cum *Barthii* forte *Adverſaria* accepiſſet, inſigni illa eruditionis criticæ copia ſummopere delectatus, librum hunc, una cum *Morhofii* Polyhiſtore, nocturna diurnaque manu volutavit. Mature ſuis ſtudiis ſubſidia paraturus, Autores ſibi quoſdam, ſive veteres, ſive recentiores, delegit, ad quorum marginem notaret, ſi qua in aliis Autoribus ad idem argumentum ſpectantia inveniret; quo factum, ut, juvante divina memoria, brevi tempore magnos ſciret de argumento non adeo copioſo libros componere. Ea enim per omnem vitam librorum edendorum ratione uſus eſt, ut prima ſtatim operis ſui folia typographo daret excudenda, ipſe autem interea fervente prelo reliqua concinnaret; id quod in cauſa fuit, cur *Dio Caſſius* & *Eunapius* aut nunquam editi, aut ſuppreſſi in ipſo partu fuerint. Patre orbatus vix decennis, *Valentinum Alberti*, Theologum Li-

psiensem, tutorem, posteaque doctorem, nactus est; quem, cum aliis urbis nostræ ornamentis egregiis, insigni honore prosecutus est. Cum totus esset in literarum studiis colendis, multum tamen simul tribuit honestæ & amicæ doctissimorum hominum consuetudini, inter quos *Gothofredum Olearium* facile ceteris prætulit. Lipsia aliquando Hamburgum excurrit, affines hic suos & consanguineos visurus; quam vix ingressus urbem, literas *Val. Alberti* accipit, quibus ille, non paternam tantum hæreditatem consumtam, sed plura jamdum nomina facta, nuntiabat. Itaque Hamburgi commorandum ratus, dedit se in clientelam *Jo. Frid. Mayeri*, qui eum per tria integra lustra domi familiarem, deinde vero in itinere Suecico comitem, habuit. Idem *Mayerus*, *Gutbierio* vivis exemto, eo rem redegit autoritate sua, ut inter nobiles tot candidatos uni *Fabricio* & *Sebast. Edzardo*, sorte inter se decernendi de successionis gloria, facultas daretur. Sed fortuna, *Edzardo* tunc benignior, *Fabricium* exclusit; qui paulo post, exemto rebus humanis *Vinc. Placcio*, vacuam hujus sedem, commendante eodem *Mayero*, occupavit, quantumvis moribundus *Placcius*, in locum suum substitui *Georg. Raphelium*, discipulum suum, optaret. *Mayerus* tandem, penatibus Gryphiswaldiam translatis, omni studio id egit, ut *Fabricium* suum huc pertraheret, Theologiæ docendæ munere functurum. Idem, sed frustra, Kilonienses tentarunt. Nec minus Gissenses propositis insignibus præmiis suum facere studuerunt. Sed Hamburgenses, ejus amantissimi, ne jacturam facerent tam cari capitis, novo eum 200 thalerorum stipendio annuo donarunt. Wittenberga tandem decrepitum jam senem ad se invitavit, sed tunc nihil minus, quam de illustriori fortuna, cogitantem. Apparet hinc, quantopere suam in gerendo munere fidem & dexteritatem omnibus approbaverit, & quanta nominis *Fabriciani* jam complures ante annos fama fuerit. Multum hanc auxit humanitas ejus prorsus singularis, quam mire prædicat Cl. *Reimarus*, & aliis imitandam proponit. Nam, ut alia virtutis tam præclaræ specimina prætereamus, Viris doctis, qui nominatim hic

hic indicantur, vel Codices MStos, vel libros impressos, cum Codicibus collatos, utcunque utendos concessit. Idem *Reimarus* promtam *Fabricii* ad quæsita respondendi voluntatem extollit, & Epistolas *Fabricii*, ad alios perscriptas, sibi transmitti, in rei publicæ his commodum usuro, rogat. Quibus *Fabricium* laudibus *Bern. Montefalconius*, *Gisp. Cuperus*, *Guil. Caveus*, ornarint, quo loco habuerint *Scip. Maffeus*, *Eric. Benzelius*, *Jo. Grammius*, alii multi, horum ex parte ad *Fabricium* Epistolæ loquuntur. Sunt & in manibus nostris libri bene multi, nomini *Fabriciano* a Viris doctis honoris ergo inscripti. Nummum aureum, ipsi a Cl. *Richey* sub anni 1722 auspicia strenæ loco oblatum, describit *Reimarus*, & æri incisum nobis exhibet. Laudatur & modestia *Fabricii*, qua Deo omnia, sibi nihil, tribuit, & eruditorum plurimos, inanem gloriolam omni nisu consectantes, in pudorem conjecit. Sincero candidoque amore bonos omnes complexus, tam longe abfuit ab omni fraudis atque lucri inhonesti studio, ut laudabiles aliorum conatus cum magno sæpe rerum suarum detrimento adjuverit. Sic, omnibus boni civis & Viri docti decoribus nobilitatus, tandem, exactis annis ætatis 67, mensibus 5, diebus 19, A. 1736 d. 7 Maji in cœlestes domos abiit, magnum & luctuosum sui penes optimos quosque desiderium relinquens. Quæ ad rem ejus domesticam, matrimonium, liberos, nepotes, spectant, ex ipso *Reimaro*, si placet, discat Lector. *Cap. II* scripta omnia *Fabricii* secundum annorum seriem ita enumerantur, ut, quæ cujusque libri occasio, quale argumentum, quæ doctorum, in literariis maxime Diariis, de eo sint judicia, quæ affecta aut prelo parata reliquerit *Fabricius*, & quæ morarum in edendo causæ fuerint, hic plenius discamus, ac Syllogen Opusculorum & Dissertationum *Fabricii*, Notitiam Ephemeridum literariarum insigniter auctam, Bibliothecæ Latinæ editionem novam, & Græcæ Supplementa, exspectare jubeamur. Age vero, jam præcipua doctrinæ *Fabricianæ* monumenta nominatim indicemus. Sunt vero hæc secundum ætatis ordinem: Bibliotheca Latina, vario sub cœlo, variisque temporibus, recusa; Vita *Procli*, altera parte auctior,

ctior, e MStis, Græce & Latine; Codex Apocryphus Novi Testamenti, *tribus Tomis;* Bibliotheca Græca, monumentum ære perennius, *Voluminibus XIV*, in qua plurima *ἀνέκδοτα*, Bibliographica, antiquaria; S. *Hippolyti* Opera, *Tomis II*, quæ etiam edere ex schedis *Millianis Jo. Guil. Janus*, Theologus Vitembergensis, destinaverat, ut literæ hujus & *Fabricii* mutuæ, hic insertæ, docent; Bibliotheca Ecclesiastica; *Sextus Empiricus*, Græce & Latine; *Anselmi Bandurii* Bibliotheca numaria; S. *Philastrius* de Hæresibus; Delectus argumentorum & Syllabus Scriptorum de veritate religionis Christianæ, in quo *Eusebii* Cæsariensis Proœmium, & Capita priora Demonstrationis Evangelicæ, quæ nusquam exstare credebantur, e Codice Orientali restituuntur; Imperatoris *Augusti* Fragmenta; *Wilhelmi Derhami* Astrotheologia, in sermonem vernaculum conversa; Conspectus Thesauri literarii Italiæ; Hydrotheologiæ Sciagraphia, Germanico sermone scripta; Salutaris Lux Evangelii, in qua nonnullæ *Juliani* Imperatoris Epistolæ ineditæ exhibentur; Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis, secundum ordinem Alphabeti, sed quam, fatis ita ferentibus, non nisi ad literam *P*, nec eam integram, perduxit. Scripta, quæ aliorum libris sunt inserta, ut Appendicem, *Flav. Josepho*, Lipsiæ edito, adjectam, Geographica quædam inedita, Geographis minoribus *Hudsonianis* adjuncta, symbolas ad *Acta* hæc *Eruditorum*, & sic dictum Patriotam Hamburgensem, collatas, Dissertationes item, Programmata, Orationes, & Præfationes, quibus aliorum scripta ornavit, non commemoramus. Quæ tandem reliquit manu scripta, eorum præcipua hic quædam annotabimus. Et quidem *Dionem Cassium* ad editionem *Leunclavii* emendavit, ut nihil restare, præter Chronologiam *Dioneam*, Indicesque absolutos, ac textus & versionis recensionem, videatur; quæ cum addere statim nollet *Fabricius*, quantumvis id postulantibus *Wetstenio* & *Smithio*, Typographis Amstelædamensibus, negotium editionis abruptum est. Sed nova jam nobis videndi hujus Operis spes affulget, occupato in pertexenda hac tela genero *Fabricii*, doctissimo *Reimaro*, quo neminem ad ornandam hanc spartam inveniri posse aptiorem, forte pauci ignorant.

rant.

rant. Reliquit porro *Fabricius* ad *Sirachidæ* librum, ad *Hieronymum* de Nominibus Hebraicis, ad *Leusdenii* Onomasticon sacrum, ad *Rufini* Historiam Ecclesiasticam, ad N. Testamentum, Notas, Observationum sacrarum specimina, *Commodiani* Instructiones & *Orientii* Commonitorium emendata. *Manethonis* quoque Apotelesmatica e Codice *Hinkelmanniano* edere instituerat, jamque *Libri I versus 245* cum versione sua metrica subire prelum jusserat; sed *Gronovius*, qui viginti jam annos in Autore hoc desudaverat, cognito *Fabricii* instituto, suam editionem graviter ursit; quo factum, ut *Fabricius*, invito quamvis *Perizonio*, ab incepto desisteret. Similiter *Eunapii* de vitis Philosophorum plagulæ tres prelo jam exierant; sed, moras nectente typographo, quarum impatientissimus erat *Fabricius*, opus abjecit. Cetera, ad *Jacobi le Long* Bibliothecam sacram, *Scherzeri* Systema Theologiæ, *Lipenii* Bibliothecam Theologicam & Philosophicam, *Cavei* Historiam literariam Scriptorum Ecclesiasticorum, notata, Indiculus Marianus, *Melanchthoniana*, de *Empedoclis Agrigetini* Philosophia collectanea, tanti non sunt, ut considerari mereantur. *Capite* demum *III* Epistolæ eruditorum, quibus usus est amicis *Fabricius*, non integræ illæ quidem, sed potiore tantum & utilissima sui parte, secundum nominum ordinem alphabeticum comparent, in quibus quamplurima adhuc satis incognita leguntur, Historiæque literariæ monumenta gravissima majori luce collustrata exhibentur. Neque adeo nihil illorum in rem nostram vertemus. *Pag. 262 Jo. Grammius Zachar. Lundii* labores eruditos fuse describit, quos in describendis vertendisque *Julii Africani Cestis*, *Athenæi* περὶ μηχανημάτων, *Philonis* Mechanicis, *Bitone* de Instrumentis bellicis, *Basilii Patricii* Naumachicis, posuit, hæcque edenda *Fabricio* offert. Idem *pag. 264 Galfridi de Vinosalvo* Poetriam, ab eodem *Zachar. Lundio* expolitam, sub examen revocat. *Pag. 270 Gabr. Grodeckius*, quas prelo paratas habet, suas lucubrationes recenset, *Ant. Galatei* Opera, Bibliothecam Rabbinicam, Apocryphos Judæorum libros, versionem libri *Ikkarim R. Joseph. Albo*, alia. Bibliothecam autem illius Rabbinicam, recte monet Cl. Autor, vix desiderari magnopere

poſt immortale S. R. *Wolfii* Opus, nec repertam quidem inter illius ſchedas fuiſſe. Apocryphi etiam Judæorum libri partem maximam jam exſtant publice, ut nova horum non ſit expetenda editio; *Gaulminianas* vero notas pereruditas, habemus utique, cur ſuppreſſas doleamus. Affert porro Cl. Autor ex iſtis literis nonnulla, quæ *Hinkelmanni* editionem Corani Arabicam tangunt. Diſcimus hinc, *Grodeckium* autorem fuiſſe, ut emendatius excuderentur Arabica, cum in prima Corani plagula, a *Fabricio* ipſi tranſmiſſa, vitia ultra 34 notarit. Quæ cum ita ſint, miramur nos, qui editio illa tot adhuc mendis, quoquo te vertas, ſcateat. Docemur etiam, *Grodeckium Maraccii* verſionem Corani Latinam fuiſſe editurum, etſi *Schif - - rus* quidam Bibliopolæ Hamburgenſi *Schulzio* operam ſuam in concinnanda verſione Latina addixerit. Putat quidem *Grodeckius*, hominem illum alia potius omnia ſcripturum, quam Corani verſionem, niſi forte Muhammedica quadam columba inſpiretur; ſed, ſi quid datum nobis eſt judicii, quibus ita cognitus fuit *Schiferdekerus*, ut vix quiſquam alius, videtur is nobis eo certe eruditionis Arabicæ (ne dicamus, ulterius,) perveniſſe, quo tardiuſculum *Grodeckii* ingenium adſpiraſſe unquam, aut ne adſpiraſſe quidem, credendum eſt. Pergit *Grodeckius*, ſcripturum ſe ad amicum Gallum, qui Pariſiis degeret, ex Judæo Muhammedanum & ex Muhammedano Chriſtianum, virum in his literis verſatiſſimum, qui accuratam Corani & Latinam & Gallicam verſionem poſſideret; & ex eo quæſiturum, num publico bono ſua commodare velit. Dubitat Cl. Autor, quis ille ſit amicus. Sed, eſſe hunc *Byzantinum*, (*le Pere Byzançe*,) non patet tantum ex *Richardi Simonis Nouvelle Bibl. choiſ. Tom. I Cap. 12*, & *Neuen Bücher-Saal der gelehrten Welt A. 1714 Oeffnung 38 pag. 88*, ſed quidam etiam *Grodeckii* Amicus nobis confirmat, monens, errare in eo *Grodeckium*, quod a *Byzantino* illo Latine converſum Coranum dixerit, homine quippe Latii prorſus experte. Monemus interea, docti cujuſdam Galli ad *Grodeckium* literas Gallicas & Latinas, orientalis eruditionis pleniſſimas, hic Lipſiæ in Bibliotheca Ill. *Maſcovii* exſtare, forſan aliquando prodituras. *Pag. 292*, humani quid paſſum eſſe *Jo. Loganum*, apparet, fatentem, Arabi-

ea se nescire, de libris tamen Arabicis judicandi licentia utentem. *Oddinus*, an *Eddinus*, scribendum sit, dubitat. Quæ quomodo distinguenda sint, vel tyro Arabicus dixerit. *Golii* Lexicon perstringit homo audax, cui, ut præceptore utatur *Golio*, suadendum potius videtur. Quantæ molis Lexicon Arabicum habiturus esset orbis eruditus, si, quæcunque exstant, huc vocabula congerenda forent. Grammatici eodem jure, & majori forte, quam Mathematici, *Golii* Lexicon culparent, cum technicas suas voces prætermissas viderint. Qui Mathematicos Arabicos legere velit, linguam totam cum Mathesi devorasse eum, necesse est; quo facto, licet Lexico destitutus, voces technicas vel ex sensu, vel ex etymologia, intelliget. Illas autem voces, vel peregrinas, vel medicas, vel botanicas, &c. quas in *Golio* inutiles ac superfluas ille judicat, non ex sensu, nec ex derivatione, aut linguæ analogia, sed omnium optime ex Lexico, addisces. *Pag. 313 Gothofredus Olearius*, quæ ex Anglia Codicum MStorum spolia secum advexerit, *Fabricio* suo amico refert. *Pag. 346* undecim Inscriptiones vetustæ Latinæ, in Transsylvania erutæ, a *Laur. Weidenfeldero*, Diacono Müllenbacensi, transmissæ, leguntur. *Pag. 352* S. R. *Jo. Christoph. Wolfius*, relatum sibi a *Sebast. Gothofr. Starckio*, scribit, Catalogum MStorum Arabicorum omnium ab ipso colligi. Eundem *Starckium* edere voluisse, refert, Arabis cujusdam, qui Halæ docuit, (nescimus, an *Salom. Negri*, an alius,) versionem Corani Latinam, & eidem præmittere librum *de confusione sectæ Mohammedicæ*, ex Italico a se Latine redditum. Non possumus non monere, nos aliquando apud *Gleditschium*, nostræ urbis Typographum, vidisse MStum Arabicum, *tribus Voluminibus* absolutum. Unum Corani textum Arabicum sistebat, alterum versionem Latinam cum amplo rerum Indice nescio cujus, tertium Juris Civilis & Canonici Muhammedani Systema, موافق الفتاوي dictum, omnia charta & charactere Europæo. Fuerat idem *Starckius* libellum Arabicum editurus de Sectis Muhammedanorum, nisi fata bonos conatus intercepissent. Edidit ille Catalogum MStorum *Hinkelmannianorum*, quem apud Amicum quen-

quendam, linguarum Orientalium peritiſſimum, Dreſdæ vidimus, ab eodem non uno in loco caſtigatum. Ex aliis ejuſdem S. R. *Wolfii* notamus, cum notarum Viri cujuſdam docti in *Dionem Chryſoſtomum* mentionem facit, earum Autorem ipſi ignotum dici. Prodiere notæ ipſæ, cura Viri S. R. expolitæ, *Tomo I* Anecdot. Græc. ubi iterum, earum Autorem, queritur, ſibi ignorari. Nos vero, etſi nihil hic definiri certo poſſit, ſi quid tamen liceat interponere conjecturæ noſtræ, *Seldenum* illarum Autorem agnoſcendum ſuaderemus, tum quia exemplar illud e Bibliotheca *Seldeniana* fuit deſumtum, tum quia in Bibliotheca Lugdunenſi inter legatum, ni fallimur, *Perizonianum* eadem, qua Cl. *Wolfius* uſus eſt, editio Pariſienſis anni 1632 (forte mendoſe ita ſcriptum pro 1623) exſtat notis *Seldeni* inſtructa. Sed in dubio hæc relinquentes, Appendicem *Reimariani* Operis inſpicimus, quæ epicedia in *Fabricium* lugubreſque nænias, ſtudio Cl. *Richey* collectas, comprehendit. Veremur, ut illa pari ſe præſtantia, ac reliqua libelli capita, omnibus ſe commendare poſſit. Non, quod nobis quidem videtur, eo conſilio Germanica Latinis literis excudi Cl. Editor curavit, ut exteris Autorem quaſi claſſicum linguæ Germanicæ in manus traderet, e quibus ſermonis noſtri flores & veneres decerperent. Sed pium tum Germanorum, tum Gymnaſiaſtarum præcipue Hamburgenſium, ſtudium, immortalis Viri memoriam conſervandi, luculento exhibere teſtimonio voluit. Plurima inſunt, fatemur, de quibus cur impenſe gaudeant, habent utique *Fabriciani* manes. Sunt tamen etiam, quæ ad famam Viri magni nobis afferre ne tantillum quidem videntur. *Fabricium* cum *Eugenio pag. 11 & 12* comparatum prudens quiſque & cordatus rideat, neceſſe eſt. Initium Carminis *pag. 27 ſeq.* plenum eſt fervoris poetici, & attonitos lectores tenet, ſed langueſcens paulatim, in ſacra quadam declamatione de vitæ æternæ præſtantia definit. Quid tandem illi in mentem venerit, qui *pag. ult.* manum mortis deſcripturus, nova & hercle lepida dictione *Mortens-Hand* in aures noſtras invadit, ipſe noverit.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXXVIII.

ΕΥΣΤΑΘΙΟΥ, ΔΙΑΚΟΝΟΥ, ΠΑΡΕΚΒΟΛΑΙ ΕΙΣ τὴν Ομήρου Ιλιάδα.

h. e.

EUSTATHII, DIACONI, A SUPPLICIBUS libellis, & Oratorum Magistri, postea Archiepiscopi Thessalonicensis, Commentarii in HOMERI Iliadem. ALEXANDER POLITUS, Florentinus, de Cl. Reg. Scholarum piarum, nunc primum Latine vertit, recensuit, Notis perpetuis illustravit. Accedunt Notæ ANTONII MAR. SALVINI, V. Cl.

Tomus III.

Florentiæ, apud Bern. Paperinium, 1735, fol. maj. Alph. 6 plag. 9½.

Pergit in laudabili conatu Vir doctissimus, & prioribus illis *Tomis*, quibus in his *Actis A. 1733 Mens. Octobr. pag. 433 seq.* locum concessimus, nunc *tertium* adjungit, eodem splendore, neque elegantia minori, commendabilem, in quo enarrando, cum antiquas hic Cl. Autor leges servaverit, eo nunc breviores nos esse decebit. Volumen inscriptum est Regi Christianissimo, in qua Dedicatione non solum Pontifici, sed ipsi etiam *Ludovico*, mirifice adulatur *Politus*, & Papæ sigillatim majestatem proxime ad divinam accedere jactitat. Dedicationem Præfatio sequitur Interpretis, ubi quatuor præcipue res agit. Primo, a *Ferrario* monitus, κερδίας, quod in priori aliquo *Tomo* legitur, in κερχιδᾶς commutan-

dum esse fatetur. Deinde exempla affert, ex sanctissimis literis ab *Eustathio* depromta, quorum tamen pleraque, si quid judicamus, non nisi conjectura nituntur. Porro aliquam *Petri Bembi* Epistolam, ex Etrusco in Latinum sermonem translatam, exhibet, atque observationibus suis illustrat, in qua, *αὐτόγραφον Eustathii* Venetis esse vindicandum, docemur. Denique, Græcæ linguæ studia commendaturus, *Jacobi Mariæ Ayroli*, quem Græcarum literarum præceptorem habuit Noster, Epistolam, Græce scriptam, repetit. Quem etiam in finem, statim post Præfationem, Orationem subjunxit, in Pisano Gymnasio A. 1733 recitatam, *de Literarum Græcarum necessitate*, separatim jam in 4 excusam. Hanc alia excipit, anno sequenti habita, *de liberalium omnium artium ac doctrinarum ad eloquentiam necessitate.* Post Carmina, *Politi* laudibus consecrata, reperiuntur *Ausonii Burdigalensis* Periochæ in quatuor priores Libros Iliados. Volumen ipsum Commentarios exhibet in *quartum* & *quintum Iliados Librum.* Utriusque conversionem adornans Autor, quemadmodum in virtutibus, omni laude dignissimis, strenue perrexit, ita etiam, quae vituperationem jam antea meruerunt, nondum emendavit. Quamvis enim Latine plerumque atque eleganter scripserit, verbosior tamen interdum, imo nonnunquam plane barbarus, esse videbitur. Isthuc pertinet, quando initio statim *ἔμμετρον ἐπιγραφὴν adstrictam metricis legibus inscriptionem* appellavit, quam *metricam* dicere potuisset, vel etiam quando *pag. 1059* ita scribit: *ἡ λακέρυζα, clamatoria, garrula, loquax, stridula, a verbo κελαρύζειν, strepere, murmurare, stridere, resonare*; huc vero, quando e. g. *μινυρίζειν minurizare* interpretatur *pag. 1308*, &c. In Animadversionibus non pauca sicco, quod ajunt, pede transiit fortassis, ne nimia Voluminis fieret magnitudo; alia vero copiose satis & admodum luculenter illustrat, e. g. quando *pag. 1090 seq.* de Ilio & Pergamo, arce Iliaca, commentatur. Pertinent vero annotationes vel ad Philologiam & Grammaticam, quando v. c. *pag. 1084 seq.* vocabulum ἰεὶς denso spiritu esse legendum, magno apparatu demonstrat; vel ad Historiam atque antiquitates. Ita *pag. 1011*, *ἕλληνας* Thessaliam inhabitasse,

taſſe, docet; *pag. 1085* præclare obſervat, ſcholia in *Homerum*, quae ſub *Didymi* nomine feruntur, ἀνωνύμῳ eſſe tribuenda, quod in prima editione, Romæ A. 1517 evulgata, jure meritoque ſit obſervatum; & *pag. 1302* differentiam inter zonam militarem & mitram, non ſine accuratione, oſtendit. Inprimis autem Critici virtutes laudabiliter oſtendit, quando non ſolum ipſum *Euſtathium* ſuum, non ſine cauſa, partim vituperat, dum *pag. 1003* Ilium novum cum antiquo, & *pag. 1047* regem *Homericum* cum ipſo Poeta, confundit, *pag. 1118* ἁμάρτημα μνημονικὸν committit, vel etiam *pag. 1310*, poſteriores Poetas cum verbo ἀνέχεσθαι accuſandi caſum conjunxiſſe, immerito negat; partim defendit, e. g. *pag. 1015*, ubi patrocinium illius contra *Henr. Stephanum* maſcule ſuſcepit; ſed *Salvinum* etiam ſuum diligenter emendat: imo vero aliorum quoque lapſus indicat, e. g. *Jac. Gronovii pag. 1280 num. 2*, qui in verbis *Herodoti Lib. IV num. 189* delet vel ἐκ τῶν αἰγίδων, vel αὐτῇσι, & ægidas Palladis intelligit, cum tamen de Africanarum mulierum ægidibus *Herodotus* loquatur. Ipſe tamen interdum cecidiſſe videtur Vir clariſſimus, ut *pag. 1200*, ubi monet, ex *Ariſtophanis* Scholiaſte ſua pleraque hauſiſſe *Suidam*, & alibi. Hiſce laboribus perfunctus Cl. *Politus*, duplicem, Græcum ſcilicet atque Latinum, ſed utrumque breviorem, Indicem ſubjecit, tandemque promiſſis etiam ſuis praeclare ſtetit, dum alteram *Siberiani* Indicis partem addidit, vocabula *Homeri* a littera Θ uſque ad Ω complexam, & peculiaribus ſuis paginis notatam. Ita vero, huic etiam *Tomo* finem imponens, cupiditatem noſtram, reliquis tam luculenti laboris partibus intentam, mirabiliter auxit atque confirmavit.

A PARAPHRASE AND CRITICAL COMMENTARY on the Prophecy of Joel, &c.

h. e.

PARAPHRASIS ET COMMENTARIUS CRITICUS in Prophetiam Joelis, Autore SAM. CHANDLERO.

Londini, apud J. Noon, R. Hett, & J. Gray, 1735, 4.
Plag. 21.

Theologi, qui Magnam illuſtrant Britanniam, non ſolum de Chriſtiana dogmatum morumque Theologia, verum etiam de erudita ſacras literas enodandi ratione, præclare mereri hodie conantur. Ex multis, qui hoc teſtantur, libris is unus eſt, cujus hic indicem oculis legentium ſubjecimus. Autor ejus Illuſtris eſt *Chandlerus*, Epiſcopus Bathonienſis & Wellenſis meritiſſimus, qui in divina *Joelis* vaticinatione explananda eximiam poſuit operam. Præmiſit *Præfationem generalem*, in qua notiores quaſdam indicat difficultates, quæ ſtudium Veteris Teſtamenti rectius interpretandi impediunt, ab ipſa lingua, a ſtili varietate, ab antiquis Orientis ritibus, a natura prophetiæ, & a ſacra, qua caremus hodie, hiſtoria,
Pag. 1. petitas. Tum vero ſequi jubet *Tabulam vocum Hebraicarum, in hoc Commentario illuſtratarum*, quam *Præfatio in Joelem*, illuc nimirum inprimis pertinens, nulla re interveniente alia, excipit. In hac varia æſtimat & ponderat Virorum doctorum, quæ de ætate ſanctiſſimi Vatis tulerunt, judi-
3. cia, ut *Lightfooti*, *Grotii*, *Vitringæ*, ac D. *Wellſii*. Ipſe vero, re bene putata, contendit, *Joelem Hoſea* pariter atque *Amoſo* poſteriorem eſſe. Rationem hanc reddit: *Joel* poſt deſtructionem regni Syriaci, quod *Tiglath Pilezer* funditus evertit, vixiſſe, & vatis officio functus eſſe, videtur. Hæc autem tertio *Ahazi*, Regis Judæ, anno contigit. Conf. *1 Reg. XVI, 9*, & *Jeſ. VIII, 4*. Namque *Joel* vicinas, quæ Judæis inimicæ ac infenſæ erant, nationes, Tyros ac Sidonios, Philiſtæos, Idumæos, & Ægyptios, identidem nominat, Syriorum contra omnem intermittit mentionem. His poſitis principiis, inclytus Autor dictam *Joelis* Prophetiam in ea collocat ætate, qua *Ahaz* regno præfuit, poſtquam Edomitæ maximam Judæ vim intulerant, *2 Chron. XXVIII, 17*, *Joel. IV, 19*, ac Philiſtæi civitates ipſorum invaſerant, & incolas in exilium ejecerant. Dividit autem hanc totam vaticinationem, ad regnum *Juda*
5. unice ſpectantem, in quatuor partes. *Joel* deſcribit 1) everſionem a locuſtis metuendam, *Cap. I* uſque ad *Cap. II, 12*; 2) hor-

2) hortatur Judæos ad pœnitentiam, adjuncta divina pœnæ de medio tollendæ promissione, *Cap. II, 12,* usque ad *Cap. III;* 3) prædicit plenam & abundantem Spiritus S. effusionem, ultimis diebus exspectandam, *Cap. III;* tandem 4) enuntiat divina vicinis populis judicia, qui Judæos adhuc vexarant, & in captivitatem duxerant, *Cap IV;* atque hic alicujus rei se præbet prænuntium, cui demum, ipso B. *Dav. Kimchio* autore, futuris tum Messiæ diebus eventus respondere debebat. Ad causam rei nos convertimus. Ubi quidem principio *Paraphrasin*, deinde *Commentarium* sigillatim, reperimus. In *Paraphrasi* unumquodvis *Caput* in singulares ac distinctas dividitur *sectiones*, cui *argumentum* semper præmissum est. In quavis pagina *textus* ex versione Britannica recitatur, cujus e regione statim *Paraphrasis* ponitur. Hæc sane ejusmodi est, ut optimi Commentarii loco haberi mereatur. Hinc ea tractandi ratio nulli non paulo intelligentiori vehementer probabitur, qua & *Jo. Lockius*, acutissimus Angliæ Philosophus, antehac usus est in Epistolarum quarundam S. *Pauli* enodatione, quam, dum in vita mansit, eruditæ ac sacræ tradidit civitati. Exstant alii, qui, hoc illustri excitati exemplo, eandem sanctiores libros enodandi rationem secuti sunt. Sed *Commentarius* nos jam ad se vocat, cui separatus tributus est locus. Omnis Illustris Scriptoris explicatio ex ipsis fontibus ducta est, cum quibus tamen melioris notæ, & veteres & recentiores, interpretes ac versionum autores conjungit & comparat. In horum vero non jurat verba, neque ea, ceu oracula e tripode fusa, recipit, sed cum iis facit, ubi vera sciscunt, ab iis recedit, si quid erroris opinione fingunt. Historiam item, ubi opus est, consulit, vetustatis nuntiam, & phrasin Hebraicam non solum ex usu sacro & puriori Judaico metitur, verum classicos etiam Græciæ Latiique Autores, & clariores eorum locos, una confert & contendit. Tum vero paucis verbis verum vatis a Deo acti declarat sensum, ut cum in brevi veluti tabula statim ante oculos positum perspicias. Exempli gratia quædam in medium proferemus, quibus *Capitis I & II* versus aliquot illustravit.

Pag. 5 seq.

27.

Verſus 1 hanc inſcriptionem exhibet: דבר יהוה אשר היה אל יואל *Verbum Domini, quod exiit ad Joelem* Deus, ut Commentator noſter obſervat, ipſe rex ac gubernator erat Judæorum. Is ergo ſingulares excitavit nuntios, quorum opera in mandatis ſuis Judaicæ nationi declarandis uteretur. Hi principio הראים, *viſores*, poſtea vero הנביאים, *Prophetæ*, dicti ſunt, *1 Sam. IX, 19.* Vox ראה, ſecundum *Maimonidem* in Mor. *Menoch. Part. I Cap. IV*, non modo *corporis oculis* res extra nos poſitas *videre*, verum etiam *animo ſecum* aliquid *conſiderare*, deſignat. Hoc modo Græci verbum ὁράω, & Latini *videre*, uſurpant. Sic *Cicero: idem exitus, quem ego video animo, Epiſt. Famil. Lib. VI Ep. III.* Hinc, qui futuros eventus prædicebant, aut qui voluntatem Dei per revelationem percipiebant, ראים *viſores* inter Judæos nominabantur. Modi, quibus Deus voluntatem ſuam cum his communicabat, varii erant. Via, qua *Joeli* eam inſpirabat, erat דבר יהוה, *verbum* aut mandatum Jehovæ ad Judæos perferendum. Ita דבר ſæpius adhibetur, ut *mandatum aliquod*, ſpeciatim *mandatum aliquod Dei*, denotet, ut *1 Sam. XV, 23. Verſ. 2, Audite hoc ſenes & auſculta-*
Pag. 28. *te!* Propheta ſic orditur, ut attentionem populi moveat, ſenes ejus appellans, qui uſu peritiores erant hoc in caſu judices, *Devt. XXXII, 7. Job. XXXII, 7.* Hujuſmodi allocutiones, ſingularibus oblatis occaſionibus adhibitæ, in optimis ſcriptoribus inveniuntur. *Ego hoc vociferor: ego omnes homines teſtor, Cic.* pro *Cæcin. Cap. 29. Jeſaias* liberiori dicendi ratione vaticinationem ſuam exorditur, his exclamans verbis: *Audite, o cœli! Attende, o terra! Cap. I, 2.*

Eſto nunc ſol teſtis, & hæc mihi terra precanti.
Fonteſque fluvioſque voco. — —

Virgil. Æn. XII v. 176. Ac deinceps *Æneam Latinus* ſic alloquitur:

Hæc eadem, Ænea, terram, mare, ſidera, juro.

Ecquid tale factum eſt in veſtris, aut majorum veſtrorum, diebus? id eſt, num Deus unquam antehac in terram noſtram tale

tale intulit judicium? & alia ejusdem generis. *Vers. 6* vox Pag. 31.
גוי de *locustis* dicitur. *Kimchi* ad *h. l.* observat, unamquamque rerum creatarum vita præditarum collectionem גוי *nationem* vocari posse, idque nominis hic loci propter multitudinem de locustis adhiberi, ut *Prov. XXX, 25, 26.* Ac re vera, verbis Ill. *Chandleri* utimur, magna turba locustarum, sub imagine potentis & numerosæ *gentis* ac *nationis* repræsentata, singularem spirat elegantiam ac poeticam venustatem. *Virgilius* eam de pecude ac apibus adhibet:

Ut binæ regum facies, ita corpora gentis.

Georg. IV. Et *Homerus* de anseribus, gruibus, cygnis, muscis,
& apibus. *Orpheus* de locustis: *ἀκρίδος ἄπλετον ἔθνος. Mo-* 32.
schus, per figuram non nimis concinnam, hanc vocem ad somnia transfert:

Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων. Idyl. ad Europ. In *Cap. II vers. 13: Lacerate corda vestra, non vestes.*
Ill. Autor ex historia docet, vestium scissionem apud anti- 55.
quas gentes usu receptam fuisse, ad interiorem dolorem externo quodam indicio declarandum. Vid. *Jud. XI, 35, Esth. IV, 1, Gen. XLIV, 13, Matth. XXVI, 65.* Sic in *Virgil. Æneid. XII:*

– – It scissa veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina.

Nec minus *Seneca* in *Octavia vers. 328:*

Scindit vestes Augusta suas,
Laceratque comas.

His explanatis, observat doctissimus Interpres, verba ista idem
designare ac: *lacerate corda vestra, non vestes solum.* In 56.
eodem versu Deus O. M. dicitur נחם על הרעה, *pœnitere mali.* Ubi quidem eleganter ac solide docetur, pœni-
tentiam hanc *κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν*, Deo tributam, denotare 57.
1) ejus interiorem misericordiam, qua in homines a se aversos ducatur, add. *Psalm. CVI, 45*; 2) dilationem aut ablationem pœnæ, ut *Jona III, 10*; 3) propositum ipsius fixum & immutabile pœnas infligendi decretas improbitati & constitutas. Quo itidem loco scriptorem libri, qui *Christianismus æque*

anti-

antiquus, *ac creatio*, inſcribitur, hoc eſt, *Matth. Tindalium*, *pag. 226* inficetas adverſus Dei pœnitentiam dubitationes moventem, accurate convellit & coercet. Hæc quidem ſpeciminis loco adduxiſſe ſatis habemus, eorum commodis ſervituri, qui ipſum hunc novum in uſus ſuus convertere Commentarium cupiunt. Opera enim nobis navanda eſt, ut officii noſtri regionibus nos contineamus. Unicum vero reliquum eſt, ſilentio a nobis haud ſane prætereundum. Abſoluto nimirum ac perfecto Commentario, ſeparata additur
Pag. 99 ſeq. Diſſertatio in *III Caput* Prophetiæ *Joelis*, eodem, quem ſupra indicavimus, anno formis deſcripta. Hæc confertur cum oratione S. *Petri*, qui *Act. II, 16 ſeq.* hæc prophetica ci-
102. tavit verba. Ill. *Chandlerus* explanat 1) naturam hujus prophetiæ, & *effuſionem Spiritus S.* de donis extraordinariis ac miraculoſis, nec immerito, interpretatur, quæ *omni carni*, id
123. eſt, multis cujuſcunque conditionis & ordinis hominibus, *magno & terribili ore Domini*, hoc eſt, poſt radicitus everſam
126. urbem ſanctam, donatum iri prædicitur. Hinc 2) planum facit, hanc prophetiam in ſolos Apoſtolos & primos Chriſtianæ civitatis ſanctos convenire. Maxima vis demonſtrandi ex clariſſimis & *Actorum Apoſtolicorum*, & *Epiſtolarum ſacroſanctarum*, locis ducitur. Inprimis illis vocabulis, quibus dona primorum Chriſti amicorum exprimuntur, egregia hic lux affunditur, ipſaque dona illa copioſe & erudite declarantur. Cujuſmodi divina munera leguntur *1 Cor. XII, 8, 9, 10,*
131 ſeq. *28, Rom. XII, 6, 7, 8, 1 Cor. XIV, 6, 26, Eph. IV, 11*, aliiſque in locis. Fatemur, ac præ nobis ferimus, non ſine utilitate ac fructu nos hanc totam perluſtraviſſe Commentationem. Cum alia plura, tum illud maxime, nobis probatur, quod Ill. Autor tam multa præclara & exquiſita, quæ ad rem pertinent propoſitam, paucis, iiſdemque perſpicuis, & in medio poſitis, verbis proponere ſcivit. In alia hic abeunt omnia, qui multis verbis nihil dicunt, Interpretes. Nos vero, occaſione ab inſtituta hactenus recenſione ſumta, Commentarios in poſterum non verboſos, ſed accurate cogitateque ſcriptos, & illuſtri quadam brevitate conſpicuos, ex animo ſacræ optamus civitati.

THEO-

THEOLOGIA NATURALIS, METHODO ſcientifica pertractata. Pars poſterior, quâ exiſtentia & attributa Dei ex notione entis perfectiſſimi & natura animæ demonſtrantur, & Atheiſmi, Deiſmi, Fataliſmi, Naturaliſmi, Spinoſiſmi, aliorumque de Deo errorum, fundamenta ſubvertuntur. Autore CHRISTIANO WOLFIO, Pot. Suecor. Regis, Haſſiæ Landgravii, Conſiliario Regiminis, Math. ac Phil. Prof. Prim. in Academia Marburgenſi, Prof. Petropolit. honorario, Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſinæ, Societatumque Reg. Britannicæ & Boruſſicæ, Membro.

Francofurti & Lipſiæ, in officina libraria Rengeriana, 1737, 4. Alph. 4 plag. 5.

In *Tomo* hoc *altero* Theologiæ naturalis, quem Eminentiſſimo Cardinali *de Fleury* inſcripſit Autor, non modo in *Parte prima*, quæ integrum Syſtema Theologiæ naturalis comprehendit, & de qua nuper diximus, tradita aliter demonſtrat, verum etiam multa ſuperaddit, quæ in illa non continentur, ſcitu tamen apprime utilia ſunt. Dividit autem *Partem alteram* in *duas Sectiones*, quarum *prima thetica*, *altera polemica*, eſt. In *Sectione prima* exiſtentiam & attributa divina a priori demonſtrat, ex notione ſcilicet entis perfectiſſimi, in ſubſidium vocata natura humana. Quamobrem *Cap. I* notionem entis perfectiſſimi evolvit,& ejus exiſtentiam ſtabilit.Sumit primo, ens perfectiſſimum continere omnes realitates compoſſibiles in gradu abſolute ſummo, ne in ejus poſſibilitate evincenda præter neceſſitatem nectantur difficultates; ſuo autem deinde loco demonſtrat, competere eidem ſimpliciter omnes. Demonſtrat nimirum poſſibilitatem entis perfectiſſimi, ut exinde firmiter concludatur, non vero tantummodo hypothetice inferatur, exiſtentia Dei, quemadmodum vulgo faciunt *Carteſiani*. Ex eo autem, quod Deus ens ſit perfectiſſimum abſolute tale, deducit, Deum eſſe omnis

limitis expertem, immutabilem, infinitum, ens necessarium & a se, independentem, æternum, oriri ac interire nescium, primum & ultimum omnium entium, sempiternum, minime compositum, sed simplicem, inextensum, immaterialem, organis corporeis destitutum, invisibilem, figuræ & magnitudinis expertem, illocaliter præsentem, a corporibus prorsus diversum, adeoque substantiam per eminentiam. Cum, in Deo nullam dari statuum successionem, ostendit, differentiam inter tempus infinitum & æternitatem Dei, mundo, animæ humanæ, imo omni enti finito, incommunicabilem, exponit. Postquam ea evicit, quæ ex notione entis perfectissimi deducta modo commemoravimus; demonstrat, cur mundus adspectabilis Deus esse nequeat, nec quidquam eorum, quæ in eodem observantur, nec non cur corpus ullum terminatum, vel anima, qualis est hominum, Deus esse non possit, imo cur elementa rerum materialium non possint esse Deus. Unde tandem concludit, Deum diversum esse a mundo adspectabili & omni, quod in eo datur, nec ipsi posse tribui vim motricem probat, qualis in corporibus observatur, atque adeo naturam rerum Deum esse non posse. Ut igitur tandem constet, quodnam ens sit Deus; duo evincit principia heuristica, quæ ex notione entis perfectissimi fluant, nimirum quod Deo tribui nequeant, quæ ullo modo defectum aliquem involvunt, & quod realitates, quæ insunt animæ nostræ, Deo tribuendæ sint in gradu absolute summo. Hinc statim infertur, Deo competere vim repræsentativam omnium mundorum possibilium illimitatam, eamque esse unicum & immutabilem actum: inesse autem Deo vim per eminentiam, quemadmodum & actiones, Deoque non posse tribui nisi per modum actus, quæ animæ insunt per modum facultatum. *Cap. II* agit de intellectu Dei. Non repetemus ea, quæ in *Tomo primo* jam continentur, hic vero alia ratione demonstrantur; sed de iis tantummodo dicemus, quæ in *Tomo primo* non habentur. Pertinet huc inprimis origo idearum in intellectu divino, prorsus a priori demonstrata. Ostendit nimirum Ill. Autor, realitates, quæ Deo insunt, esse prima possi-

possibilia, hæcque ab eo quam distinctissime cognosci. Horum diversa limitatione prodire possibilia secunda primitiva, non minus Deo quam distinctissime perspecta. Quodsi jam hæc secundum principium contradictionis combinentur, essentias entium finitorum resultare: unde vi principii rationis sufficientis attributa eorundem una cum modis quoad potentiam & modorum ordine atque dependentia entis finiti unius quoad modificationem ab aliis consequantur. Et hoc modo intellectui divino insunt ideæ animarum omnium tam hominum, quam brutorum, & singulorum elementorum rerum materialium. Quodsi ergo elementa omnia juxta principium rationis sufficientis combinentur, omnia non modo corpora, verum etiam omnes mundos possibiles, prodire. Quodsi ergo corporibus hominum atque brutorum in unaquaque serie suæ jungantur animæ, hoc ipso prodire omnes homines & bruta omnia, quæ in eadem rerum serie naturaliter existere possunt. Unde liquet, quomodo omnia Deus cognoscat intuitive, & singula videat in se ipso, quæ in mundo quolibet locum habere possunt. Ex hac de origine idearum doctrina deducit, Deo competere acumen, rationem, ingenium, (quatenus sumitur pro facilitate cognoscendi similitudines rerum,) in gradu absolute summo, simulque ostendit, quale Deo sit criterium veritatis, & quænam sint principia heuristica, & cur cognitio omnis veritatis pendeat a principio contradictionis, & principio rationis sufficientis. Inprimis etiam demonstrat, substantias omnes primarias esse entia simplicia, adeoque compositas non oriri nisi harum aggregatione, docetque, quomodo Deo sensus singuli & memoria per eminentiam tribuantur. *Cap. III* de voluntate Dei agit. Ex summa voluntatis divinæ perfectione infert, eam semper ferri in optimum, fieri autem non posse, ut unquam feratur in malum, vel ut bonum apparens bono vero, vel bonum minus majori, præferat, ut adeo voluntatis divinæ motivum sit repræsentatio optimi, motivum autem noluntatis repræsentatio mali. Inprimis autem ostenditur, Deo ne quidem per eminentiam appetitum sensitivum &

 aver-

averſationem ſenſitivam tribui poſſe. Quamobrem, cum affectus jucundi in illo, moleſti in hac, reſideant, prolixe admodum docet, quo ſenſu Deo affectus quidam per eminentiam tribuantur, & quinam ſint illi, qui ne quidem per eminentiam ei competere poſſunt. Atque hæc doctrina in eorum numero eſt, quæ in *Parte prima* deſiderantur. Demonſtrat vero, Deum liberrime velle, quod optimum eſt, ex ipſa libertatis notione, nec libertatem voluntatis divinæ in ideas rerum ac veritates univerſales influere. Progreditur hinc ad originem mali explicandam, ubi inter alia evincit, malum metaphyſicum ideis rerum & mala phyſica atque moralia ideæ mundi in intellectu divino independenter a voluntate ejus libera inhærere. Malum metaphyſicum abſolute neceſſarium eſſe, a rebus atque mundo ſeparabile; aſt phyſica & moralia eſſe contingentia, nec niſi hypothetice neceſſaria. Mittimus, quæ de ſapientia Dei ſumma a priori demonſtrat. *Cap. IV* de creatione & potentia Dei agit. Hic prorſus a priori ex ipſa idearum in intellectu divino origine deducit ſubſtantiarum finitarum primariarum omnium ſimplicitatem, quodque elementa corporum non poſſint eſſe niſi ſubſtantiæ ſimplices. Hæc elementa aliter combinari non poſſe, ut prodeat idea mundi, niſi per principium rationis ſufficientis: unde porro a priori deducit definitionem mundi, quam a poſteriori ſtabiliverat in *Coſmologia*, quod mundus ſit ſeries rerum finitarum, tam ſimultanearum, quam ſucceſſivarum, inter ſe connexarum. Demonſtrat etiam, quomodo ex eadem elementorum combinatione tam mundi, quam naturæ, ordo reſultet, alio mundo, & alio naturæ ac mundi ordine, alia elementa exigente; ſimulque declarat, quomodo poſſibilia, cum in ſe ſpectata, tum ut in ſyſtemata redacta, inſint intellectui divino. Nec minus demonſtrat, elementa cuncta & animas tam hominum, quam brutorum, ac in genere ſubſtantias omnes ſimplices finitas, imo entia finita quælibet, & quæcunque præter Deum poſſibilia ſunt, entia contingentia eſſe, ſolo Deo ente neceſſario exiſtente. Inprimis etiam mundi totius contingentiam evincit tam dependen-

pendenter, quam independenter a Deo, eumque non nisi per creationem oriri posse, ex nihilo producendum. Ut vero ostendat, eum a Deo esse creatum, primo loco demonstrat, animas nostras a Deo creatas esse, & hinc concludit, eidem competere creandi potentiam, quam esse absolute summam, mundo omni possibili producendo sufficientem, probat. Mundum a Deo creari, dum elementa rerum materialium juxta principium rationis sufficientis combinata, & animas tam brutorum, quam hominum, juxta idem principium singulis hominum atque brutorum corporibus jungendas, producit, & eodem actu, quo mundus creatur, mundi quoque ac naturæ constitui ordinem. Actum vero creationis in eo consistere, quod Deus actualitatem superaddat nudæ possibilitati. Demonstrat autem, non nisi intellectum, voluntatem, & potentiam Dei simul esse rationem sufficientem creationis & existentiæ entis cujuscunque finiti. Unde deducit, etsi decretum creationis æternum sit, non tamen ideo necesse esse, ut mundus cœperit ab æterno, cum, posito decreto, nondum ponatur ipsa creatio. Docet porro, Deum libere creasse mundum, ita, ut non modo eum, qui existit, libere elegerit, verum etiam prorsus nullum producere potuerit. Elegisse autem Deum mundum optimum, fini omnium optimo, quem per creationem intendere poterat, convenientissimum, hoc est, talem, ut finem, quem intendit, per eum ex asse consequatur. Mundum hunc esse omnium possibilium perfectissimum, nec præter eum, qui existit, dari alium, ex quo perfectionem Dei absolute summam eodem, quo ex ipso, modo cognoscere daretur; optimum enim mundum in relatione ad Deum esse, ex quo summam Dei perfectionem magis, quam ex quocunque alio, cognoscere datur. Hinc tandem deducit, finem creationis esse manifestationem gloriæ divinæ, ac ideo omnia, quæ ex nexu rerum in mundo consequuntur, manifestationi gloriæ divinæ per modum medii a Deo subordinari. Deum hunc, qui existit, mundum non potuisse facere aliter, quam fecit, nec voluisse facere aliter, quam fecit. Reddit etiam rationem, cur contingentia

in mundo habere nequeant rationem ſufficientem actualitatis ſuæ in ſerie ſucceſſionum, ſed exiſtentiæ hujus univerſi ratio ſufficiens contineatur in Deo, qui ideo ſit creator mundi, quia rationem ſufficientem actualitatis ejus continet. Imo addit, rationem ſufficientem creationis non contineri niſi in ente, cui competit intellectus, voluntas, & potentia, omnem prorſus limitationem reſpuens: ut adeo prorſus a priori demonſtraverit definitionem Dei nominalem, quam ſumſerat in *Parte prima*, quod Deus ſit ens, in quo contineatur ratio ſufficiens exiſtentiæ contingentis hujus univerſi. Denique ſtabilire nititur, Deum, ſi hunc mundum facere voluit, malis etiam phyſicis & moralibus in eodem locum facere debuiſſe, & ſapienter ac bonitate divina ſalva iiſdem locum feciſſe. Denique *Cap. V* de providentia, & aliis nonnullis attributis divinis, agit. Demonſtrat, creaturam nullam ſe ipſam conſervare poſſe, ſed omnes a Deo conſervari, earum actualitate continuo a potentia & voluntate Dei dependente. Conſervari autem mundum ac ejus & naturæ ordinem, dum elementa juxta principium rationis ſufficientis combinata, & animæ corporibus humanis & brutorum junctæ, conſervantur. Deum, creaturas conſervando, ad ſingulas earum actiones concurrere, & in conſervatione ordinaria rem conſervare cum limitationibus naturalibus, in extraordinaria vero ſupernaturales iisdem inducere. Deum mundum annihilare poſſe, nec niſi per annihilationem eundem deſinere poſſe: non tamen redigi poſſe in chaos, nec ex eodem productum eſſe. Ipſum gubernare hoc univerſum, atque gubernando, conſervando, & ad actiones creaturarum concurrendo, providere rebus. Unum tantum eſſe mundi creatorem, conſervatorem, & gubernatorem, nec Deum dari niſi unum, ita, ut vocabulum Deus ſit nomen proprium. Tantam vero creaturas omnes cum Deo habere ſimilitudinem, quantam admittat differentia realitatum limitatarum & illimitatarum. Concludit autem *Sectionem dogmaticam* monito hoc generali, quod plura in præſenti non addat, non quod ex notione entis perfectiſſimi demonſtrari non poſſint, ſed quod ex Syſtemate, retentis iiſ-

dem

dem demonſtrationibus, huc transferri poſſint, niſi quod principia eadem ex anterioribus petantur. Etſi enim, alia definitione nominali ſumta, quædam immutandæ ſint demonſtrationes, non tamen ideo immutandas eſſe omnes, quoniam non omnes demonſtrationes immediate in definitionem Dei reſolvantur, ſed mediantibus principiis communibus, ex diverſis definitionibus deductis. Tantum de *Sectione prima*; jam ad *alteram* convertimur.

Hæc, quamvis *polemica*, methodo tamen demonſtrativa pertractata eſt, ita, ut errores de Deo ex notionibus falſis, quas fovent errantes, deducantur, & veritas ipſis oppoſita demonſtretur. Agitur hic de Atheiſmo, Fataliſmo, Deiſmo, Naturaliſmo, Anthropomorphiſmo, tam craſſiori, quam ſubtiliori, Materialiſmo, Idealiſmo, Paganiſmo, Manichæiſmo, Spinoſiſmo, & Epicureiſmo. Per atheos Autor intelligit eos, qui Deum dari negant, adeoque ab iis diſtinguit, qui vel ſimplici Numinis ignorantia tenentur, vel de ejus exiſtentia dubitant. Qui Deum eſſe negat, notionem aliquam ejus habere debet, ſed eam pro impoſſibili ſeu deceptrice habet. Qui de Deo dubitat, utrum exiſtat, nec ne, ei itidem aliqua Numinis ſupremi notio eſſe debet, ſed hæſitat idem, num poſſibilis ſit, an vero in numerum deceptricium referenda. Qui vero Deum ſimpliciter ignorat, ei nulla eſt diſtincta Numinis notio, conſequenter nec de ejus exiſtentia ulla animum ipſius ſubit cogitatio. Dubitantes omnes non eodem loco cenſentur; ſed pro diverſis dubitationum ſpeciebus ab Ill. Autore a ſe invicem diſtinguuntur. Contra atheos demonſtrat, notionem Dei eſſe realem, minime deceptricem, nec a Politicis, plebis indomitæ coercendæ gratia, confictam. Ut vero atheiſmum funditus evertat, ſyſtema atheiſticum demonſtrat; errores enim non minus neceſſario nexu inter ſe cohærent, quam veritates. Deinde vero errorum iſtorum abſurditatem evincit. Ita atheus habet mundum pro ente a ſe, eumque independentem facit ab omni ente alio, ita, ut omnia, quæ in eodem fiunt, rationem ſufficientem in eodem agnoſcant. Mundus in hypotheſi athei ens neceſſarium atque æter-

ternum eſt, ordo naturæ neceſſarius, adeoque miracula impoſſibilia ſunt, eventus omnes abſolute neceſſarii, rerumque nexus in univerſo abſolute neceſſarius. Nulli dantur rerum naturalium fines, & caſui tribuuntur, quæ providentiæ divinæ tribuenda ſunt. Admittitur vel progreſſus rectilineus, vel circularis in infinitum, nunquam terminanda revolutionum ſerie, iſque independens. Horum itaque & hiſce cognatorum omnium contrarium evincitur, ſimulque oſtenditur, quomodo ſit procedendum, ut erroris ſui convincatur atheus. Atque ex hiſce apparet, Syſtema Cel. Autoris hypotheſi impiæ e diametro eſſe oppoſitum, & per ipſius principia eandem demonſtrativa methodo convelli. Hac data occaſione notiones, caſus, & progreſſus in infinitum, tam rectilinei, quam circularis, cum dependentis, tum independentis, itemque revolutionum, ſatis intricatas atque perplexas, diſtincte evolvit. Agit etiam de Irreligionariis & Antiſcripturariis, cum athei omnes ſint irreligionarii & antiſcripturarii, etſi propoſitio converti non poſſit. Fataliſtæ abſolutam rerum omnium in mundo neceſſitatem defendunt. Fataliſmum Ill. Autor diſtinguit in univerſalem & particularem. Univerſali fataliſmo abſoluta rerum omnium neceſſitas ad ipſas actiones humanas extenditur, negata libertate voluntatis humanæ; particulari autem ea ultra mundum materialem non extenditur, conceſſa voluntatis humanæ libertate. Deiſta, Deum exiſtere, concedit, ſed, eum res humanas curare, negat, rejecta providentia divina. Naturaliſta religionem naturalem ſolam agnoſcit neceſſariam, revelatam autem vel rejicit tanquam falſam, vel ſaltem non neceſſariam agnoſcit. Anthropomorphitæ Deo tribuunt corpus humanum, atque hi anthropomorphiſmum craſſum fovent. Ab his Ill. Autor diſtinguit Anthropomorphitas, qui Deo, per modum animæ humanæ repræſentato, tacite tribuunt limitationes, atque hi anthropomorphiſmum ſubtilem fovent. Materialiſtæ non admittunt niſi corporum ſeu rerum materialium ſubſtantiam, Deumque ipſum, niſi athei fuerint, corporeum faciunt, facultatem intelligendi & volendi materiæ conveni-

venire posse, contendentes. Idealistæ realem corporum existentiam negant, nec nisi idealem mundi in animabus existentiam tuentur, phænomena tamen mundi materialis, & mutuam eorum a se invicem dependentiam, admittunt. Paganus pro vera habet hypothesin de dependentia mundi a pluribus diis, saltem quoad gubernationem. Manichæus mundum dependentem facit a duobus principiis, altero nimirum bono, ad quod referenda origo eorum omnium, quæ bona censentur in hoc universo, altero autem malo, a quo derivanda omnia mala, tam physica, quam moralia, in eodem. In Spinosismo non admittitur nisi unica substantia, infinitis attributis prædita, quorum duo sunt cogitatio & extensio infinita, & quorum unumquodque æternam & infinitam essentiam exprimit, entia vero finita oriri supponitur necessaria modificatione infinitæ cogitationis, & corpora modificatione extensionis infinitæ. Epicurei denique negant intrinsecam actionum honestatem ac turpitudinem, & obligationem divinam ad alias actiones committendas, alias vero omittendas. Quemadmodum vero erroneas hasce hypotheses determinatis notionibus a se invicem separat Ill. Autor; ita quoque demonstrat, quinam errores alii ex istis primitivis necessario consequantur, ne eas defendentibus tribuas a mente eorundem alienos, quemadmodum haud raro fieri solet, & hypotheses ipsæ demonstrationum vi evertantur. Quoniam, quæ indivulso nexu inter se cohærent, & servatis demonstrationum legibus demonstrantur, recenseri breviter non possunt, ut eorum appareat veritas; ideo ad ipsum potius Autorem remittimus Lectorem, quam ut insufficientia in medium proferamus. Ceterum ex demonstrationibus Cel. Autoris liquet, vi Systematis sui corruere omnes istas hypotheses, ita, ut, qui idem animo comprehendit, omnes istos scopulos felicissime evitare possit. Monet autem Ill. Autor in Præfatione, absoluto jam Opere metaphysico, quod Veronæ cum censura, singulis Partibus præfixa, nitide recusum propediem integrum prostabit, se universæ Philosophiæ practicæ tam theoriam, quam praxin, eadem methodo traditurum, quarum illa Juris

Naturæ & Gentium Systema comprehendet, hæc prudentiæ moralis atque civilis præcepta suppeditabit. Cœpit stare promissis: etenim haud ita pridem in lucem exiit *Pars prima* Philosophiæ practicæ universalis, quæ theoriam generalem demonstrat, & de qua proxime dicemus.

MEDICAL ESSAYS AND OBSERVATIONS, &c. h. e.

EXPERIMENTA MEDICA ET OBSERVATIONES, revisæ & publicatæ a Societate Edimburgensi.

Volumen IV.

Edimburgi, typis T. & W. Ruddimans, 1737, 8 maj. Alph. 1 plag. 8.

Industrii ac Celeberrimi Collectores, ut instituto & legibus inter se sancitis satisfacerent, Annorum 1734 & 1735 barometricas de aeris conditione observationes præmittunt; hinc morbos istorum annorum epidemicos recensent, tusses convulsivas, infantibus potissimum funestas æstate, dysenterias, adultis autumno & hyeme graves. Recensentur post celebrium in arte virorum res egregie & cum laude gestæ; tumor scirrhosus, & in cancrum exulceratum vergens, in testiculo causticis curatus; legitima purgantibus & vomitoriis utendi methodus, cum norma, qua purgantia, resinosa, & gummosa, debeant seligi. Allegantur sinistri eventus opii, quo vomitoriorum nimium effectum corrigere susceperant quidam; siquidem, cessante vomitu, dispnœa & cardialgiis emortuus est æger. Styptica commendantur contra hæmorrhagiam uteri, exemplo *Scribonii Largi*, qui alumine in ejusmodi erroribus usus est. Lues venerea curata fuit suffumigio cinnabaris factitiæ, succedentibus salivatione, alvina evacuatione, & sudoribus frequentibus. Plura proferuntur exempla de virtutibus corticis peruviani in cura gangrænæ, clareque docetur, nihil a laudabili ista medicina extimescendum esse, quin certissime sisti gangrænam, quam consueta externa

na remedia coercere haud potuerant, ex quo corticis drachmæ semissis aliquot per diem vicibus propinari cœpta est. Recruduit malum, cum aliquanto citius, quam par erat, usum negligeret ægra, quæ sua hinc culpa interiit. De intestino duodeno eleganter admodum commentatus est Vir egregie doctus, *Alexander Monro*, quandoquidem descriptionem situs, directionis, adhæsionis, neglectam a pluribus, aut male depictam, intellexerat. Oblique dextrorsum inclinatum, mediante omento parvo, hepati adhæret, a majoris omenti lamina sustinetur, & in ejus duplicatura unciæ unius & semissis latitudine prorsus delitescit; inde mesocoli duplicaturæ immergitur, colo ipsi accumbens; hinc peculiari quadam tunica cellulari conclusum videtur, quam, dum curvaturam suam sinistrorsum perficit, mesenterii & mesocoli membranæ ulterius perficiunt. In hujus curvaturæ concava parte adhæret pancreas latiore sua parte. Intelligimus autem, duplex ipsi haberi pancreas, parvum, & majori contiguum, *the larger and lesser Pancreas;* quod quo jure dici possit, videant Anatomici. Jejunum autem appellari meretur, quamprimum, sua vagina egressum, de mesenterio participat. Difficile est, de duodeno rite cogitare vel eloqui, nisi illud in situ suo nexuque cum vicinis partibus demonstretur, & tunc quidem, nisi disturbato ejus nexu naturali, visui exponi difficulter potest. Icon addita fuit, quæ duodeni situm in corpore embryonis delineat, quo tempore incidenter monetur, venam umbilicalem ramos cum ipso hepate communicare, & venæ portam accedere, quam, mediante canali venoso, ad cavam dirigi, omnes uno affirmant ore. Aliquando eam indipiscitur amplitudinem duodenum, ut haud male ventriculus succenturiatus dici possit. Adduntur variorum animantium comparativæ intestini duodeni declarationes, quo appareat, omnium staturæ & modo, quo incedunt, intestinorum situm accommodatum esse. Accedunt miscellaneæ de intestinorum reliquorum momentis observationes lectu jucundæ & perutiles. *Thomas Simson*, Professor Medicinæ, de placenta, duplici uteri cavitate, musculo *Ruyschiano*, observationes

Mm mm 2 com-

communicat. Placentam, arbitratur, esse ovi materni corticem externum, cujus radiculæ, prout casus ovum tulerit, utero immerguntur, vasis sanguineis magis magisque auctis, donec fiat placenta, quæ nihil aliud est, quam chorion, incrementis sanguifluorum vasorum adauctum. Inde, si gemelli uterum impleverint ovulo duplici, prope se invicem collocato, duæ sub uno volumine secundinæ reperiuntur, media linea distinctæ, utriusque oculi chorio sua vasa committente; duas enim in diverso uteri loco positas placentas vix invenias. Id quod etiam de trimellis & quadrimellis valet. Musculi sui defensorem novum obtinuit *Ruyschius:* de duplici autem cavitate uteri idem sic pronuntiat. Uterus plenus distincta habet cava, unum fundus, impletur placenta, alterum cervix, embryonem & membranaceas secundinarum partes complectitur. Inde in secundinarum adhæsione deprehenditur illa peculiari cavo inclusa, quam tamen fallaciam paulo post ab uteri contractura dependere indicat. *Guilielmi Porterfield*, Med. D. amplissima est, & eruditionis plena, de motibus oculi Dissertatio. Inquiritur in motum lentis crystallinæ, quem illa pro objectorum distantia varium habere perhibetur, &, quo jure *de la Hire* Actorum Parisiensium Anno 1685 contradixerit, inquiritur. De objectorum effectibus, si vel propius, vel remotius, ab oculo collocata fuerint, proponuntur axiomata. Totus oculi bulbus ex mente quorundam figuram mutat; oblongus fit, si propiora fuerint objecta, depressior, si remotiora. Hanc mutationem attribuit *Keilius* duobus musculis obliquis, & ligamento ciliari, *Boerhaavius* quatuor rectis. Objicit Autor, figuram oculi mutari haud posse, quia, oculo leviter compresso admotis digitis, omnia videantur confusa, quia avium quarundam, struthionis, pisciumque, e. g. thynni, seu vulpeculæ maris, cornea sit mere ossea, sed hoc ipso non minus pellucida, vel ad motum inepta, annotante *Sanctorino* in Observationibus Anatomicis. An ligamentum ciliare, quod circumquaque humorem crystallinum ambit, motum aliquem crystallinæ lenti conciliare valeat, inquiritur, quod negatur, utut verum sit, post exstirpatum

tum lentem in depositione cataractæ, nisi auxilio vitri convexi, nihil distincte cognosci visu posse, quamvis vitreus in ejus locum successerit, quod phænomenon motum aliquem ad visum necessarium supponere videtur. Tota hæc Dissertatio, ad mentem Opticorum & Physicorum composita, sententiis industrie conquisitis, & acute dijudicatis, abundat. Succedit Observatio de vulnere pelvis, ferro candente facto. Faber ferrarius juvenem ferro præacuto candente, prope anum immisso, ita vulneraverat, ut mucro per lineam albam emineret. Atrocissima hinc oborta symptomata mitigata fuerunt venæsectione, clysmatibus cum terebinthina, &, licet urina & excrementa per vulnus effluerent, æger tamen aliquo post tempore convaluit, & nunc recte valet. Curiosa huic proxima est Observatio, de acu in calculo vesicæ inventa, quem maximis cum doloribus puella quatuor annorum sponte per urethram edidit. De anevrismate commentatus est Cl. *Monro*. Arteria brachialis infelici venæsectione vulnerata fuerat, applicata fascia tortili, vel torculari forte alio, incisione facta in tumore, materia polyposa & sanguinolenta evacuabatur; hinc acus anevrismatica eo facilius adigebatur, quod nervus magno ab arteria intervallo distaret. Ligatura injecta, & cavitate tumoris rite impleta debitis vulnerariis, intumuit equidem manus, calore tamen vitali superstite, id quod in ejusmodi statu anastomosi reliquarum arteriarum debetur unice. Hinc, suppuratione facta, & reseratis ligaturis, pulsus utriusque arteriæ radiææ & cubitalis denuo elevari cœpit, totaque cura peracta fuit feliciter. Accedunt aliæ Observationes Chirurgicæ, de tumore apostematode in junctura femoris cum tibia, cartilagine istius juncturæ offesacta, de ulcere quodam cruris singulari, quo ad amputationis necessitatem deductus fuit æger, quam, supra genu institutam, feliciter absolutam dederunt medicantes, qua facta, os ipsum cariosum fuisse, manifeste constitit. Additur icon, qua fulcrum, pedi amputato substitutum, perquam commodum, describitur. Accedunt de amputatione legitime instituenda Commentarii. Laudatur *Petiti* torcular, & præfertur laqueo tortili; at nec illud suis difficultati-

tatibus caret. Correctius illud fecerunt nostri, & ita comparatum, ut interea circulus per arterias collaterales succedere possit, nec totum nimis stranguletur brachium. Rejiciuntur pro sistenda hæmorrhagia caustica & styptica, unicus commendatur acuum usus, cetera omnia consueto more sese habent. De febribus nervosis differitur, quo termino declarantur motus humorum lenti cum deliriis, subsultationibus tendinum, nausea, siti, cephalalgia, pulsu parvo. Qui vel morbus fuerunt primarius, vel morborum symptoma: siquidem pleurisi & peripnevmoniæ plerumque comites esse sueverunt. Malignas appellare nihil impedit, quamvis sui generis esse perhibeantur morbi, quos vel lentor humorum solus, vel lentor & inflammatio, vel lentor cum acrimonia, in primo, secundo, tertio gradu, & sic porro, perficiat; res ingenio magis, quam probabilium argumentorum numero, comprobata. Modum nescimus quandoque, remedia non ignoramus, quæ & hic efficacissima afferuntur. Reliquas *Voluminis* paginas Observationes de febrium cura, de iis, quæ post febrium curam accidere solent, de mania a piæ matris callo, de ulcere pulmonum, de materia purulenta hepatis ano rejecta, de valvulæ coli obstructione, de utero sanguine suffuso a partu laborioso, quo interierat parturiens. Accedit rerum post Annum 1734 noviter in Medicina detectarum recensio. Laudantur Cel. *Neumanni*, Berolinensis, de Ambra grisea Commentationes, quas dedit in Transactionibus philosophicis, itidemque de Sale crystallino in oleis thymi, aliarumque plantarum cephalicarum, reperto, quod camphoræ analogon esse perhibuit. Commemorantur Academicorum Parisiensium clare gesta, *Taylorii*, *Chirurgi*, prout appellatur, *errantis*, diversæ de oculorum morbis sententiæ examinantur, tandem, prout moris est, recentium librorum, qui proximis retro annis comparuerunt, mentio injicitur. Commendatore non indiget institutum, quod jam sua utilitate satis superque constat.

CIRCA NOVUM S. PHILIPPI ÆDIFICIUM Observationes Mathematicæ P. P. Ord. Minim. THOMÆ

LE

LE SEUR, Philos. Lectoris in Conventu SS. Trin. & FRANCISCI JACQUIER, in Collegio urbano de propaganda fide Profess.

Romæ, fol. min.

Pagg. 7, cum Tab. æn. 1.

RAGIONI, &c.

h. e.

RATIONES, ALLATÆ A D. FRANCISCO SAVERIO BRUNETTI, circa incommoda vel commoda, quæ exspectanda sunt Monialibus Turchinis a novo S. Philippi ædificio.

Romæ, 1736, fol. min.

Pagg. 10, cum Tab. æn. 1.

PARERE, &c.

h. e.

JUDICIUM, AB ABBATE D. DIEGO REVILLAS, Publ. Lectore Mathem. in Sap. Rom. Regiæ Soc. Angl. & Instit. Bonon. Socio, expositum, circa incommoda, quæ a novo S. Philippi ædificio afferri possunt Monasterio Turchinarum.

Romæ, fol. min.

Pagg. 15, cum Tab. æn. 1.

Hæc sunt Schediasmata quatuor Mathematicorum, quos Romæ de incommodis a novo quodam ædificio timendis consultos fuisse, in *Actis* nostris *Mense Octobr. A. 1737 pag. 458* significavimus. Exhibitæ ibi Epistolæ *Celidonii Nenferi*, Mathematicis illis oppositæ, atque hæc sub finem adjecta a nobis verba sunt, *cum nihil eorum, quæ ab altera parte scripta fuerunt, ad manus nostras pervenerit, a ferendo judicio abstinendum videri.* Nec sane hanc controversiam denuo in scenam protulissemus, nisi Vir quidam doctus, qui locum in *Actis* nostris legisset, mittenda ad nos ex Italia Schediasmata commemorata, literisque humanissimis nos rogandos, censuisset, ut eorum faceremus mentionem. Faciamus igitur paucis, & sine omni partium studio. *Le Seur & Jacquier* ita

ita rem tractant, ut, tribus propositis dubiis, 1) an Turchinarum monasterio solis illuminationem detrahere novum ædificium possit; 2) an aliquod ventis impedimentum afferat; 3) an liberum permittat aeris motum, ad primum aliquanto curatius, ad duo reliqua breviter, respondeant. Novum S. *Philippi* ædificium, ex eorum sententia, circa solstitium æstivum nihil illuminationis detrahere monasterio Turchinarum potest; tempore æquinoctii detraheret 1 hor. 16′. 12″; & sub solstitium hybernum, primæ & infimæ fenestræ detraheret 1 hor. 25′, si nulla circumjecta essent alia ædificia. Hæc deinceps per decem Propositiones demonstrantur; in quibus id agunt Viri doctissimi, ut ex cognita elevatione poli Romani, & declinatione planorum verticalium utriusque ædificii, & inclinatione plani, per culmen novi ædificii & infimam Turchinarum fenestram transeuntis, tum poli altitudinem supra illa plana, tum differentias meridianorum plani horizontalis & planorum commemoratorum, dimidiosque dies maximos & minimos in iisdem planis, per accuratum calculum trigonometricum definiant. Ceterum, quicquid illuminationis (adde etiam, quicquid prospectus,) detrahi Turchinis a novo ædificio possit, id jam antea ab aliis circumpositis ædibus maximam partem detractum esse, contendunt. Jam, quod ad reliqua duo dubia attinet, ea nullo plane niti fundamento ostenduntur. Nam, cum australis, quem vulgo Scirocum vocant, insalubris venti impetum, novum ædificium reprimat, id pro beneficio æstimandum videtur. Ceteris autem ventis, & orientalibus maxime, etiam alia circumjacentia ædificia obstant. Denique venti vel ex superioribus cœli partibus proficiscuntur, vel sunt depressiores, & terræ viciniores. Si prius, agitationi aeris liberum aperit aditum viæ latitudo, cœlique amplitudo; & ventus, in superiorem monasterii partem oblique impulsus, eadem vi repellitur, angulumque reflexionis angulo incidentiæ æqualem describens, undarum instar propagatur. Sin posterius, venti illi sunt utplurimum insalubres, multosque secum vehunt vapores, qui, laxatis corporum meatibus, ad interiora deferuntur, & sæpissime morbos procreant.

Venia-

Veniamus nunc ad Schediasma *Brunetti*. Is XIV Problematibus docet, quomodo invenire possis longitudinem umbræ gnomonis, cum sol versatur in principio cancri, vel capricorni, & meridiano loci dati; itemque longitudinem umbræ plani verticalis illuminati, quam projicit in aliud; & tempus, quo sol ab horizonte ad datum Almicantarat, sive ad datam altitudinem, quotidie pervenit; & quantitatem cœli & atmosphæræ, quæ ab obice quovis occultatur: atque inde concludit, novum ædificium, etiamsi nullæ aliæ adessent ædes, nunquam tamen plus, quam sesqui horam illuminationis solaris, cœli vero non ultra 16° 23′, & atmosphæræ vix 5° 30′, ipsi infimæ Turchinarum fenestræ eripere posse. Addit de vento Sciroco, sive Euronoto, cum rebus aliis, tum ipsis corporibus humanis, pernicioso, quem novum ædificium reprimit: exemplumque hac de re unum e multis maxime luculentum affert. Palatium Albanum, quod Romæ est, gravissime infestabant venti meridionales, quorum afflatu omnia humescebant, ipsa marmora fatiscebant, & media pars palatii ad habitandum plane inepta reddebatur. Itaque, cum Patres *di S. Carlino* ædificium quoddam exstruere e regione palatii vellent, quamvis id multa afferre incommoda videretur, consilio tamen Celeb. *Lancisii*, permissum fuit. Quod in quantam palatii utilitatem cesserit, cuivis observare hodieque licet. Denique nec illud negligendum censet Vir nobilissimus, quod non modo fervores æstatis temperari aliquo modo per umbram ædificii *Philippini*, sed etiam propter aeris partim umbrosi, partim a sole illustrati, rarefactique, sublatum æquilibrium, nova quædam in nova platea ventilatio & peroportuna aura existere debeat. Restat, ut de tertio Schediasmate nonnulla dicamus.

In eo doctissimus *Revillas*, postquam primo generatim docuisset, quæ sint præcipua habitationis urbanæ commoda & incommoda, quod, qui commodis uti velit, etiam incommoda, quæ potissimum ex aliarum ædium vicinia oriuntur, detrectare nequeat, & quod publica & magnifica ædificia ad ornamentum & splendorem urbis faciant, nec prohibenda, nisi

propter ſingularia privilegia, vel magna aliorum detrimenta, videantur; hæc igitur poſtquam docuiſſet, ad præſentem controverſiam accedit, ſituque & dimenſionibus cum monaſterii Turchinarum, tum novi S. *Philippi* ædificii, accurate expoſitis, quid detrimenti capere monaſterium ex novo ædificio poſſit, & quale quantumque ſit impedimentum 1) ſolis ac lucis, 2) proſpectus, 3) ventilationis aeris & motus ventorum, ordine diſquirit. In *primo Capite* ita verſatur, ut ſeparatim de tempore & horis diei, quibus umbra novi ædificii tactura monaſterii aliquam partem ſit, ac deinde de magnitudine illius umbræ, agat. Majoris autem perſpicuitatis cauſa arcum verticalem concipit, cujus planum monaſterio normale ſit, diviſoque die in varias partes, primo quidem umbram conſiderat, qualis tum futura ſit, cum ſol ad illum arcum, deinde cum ad meridianum, ulteriuſque verſus occaſum, proceſſerit, ac poſtremo etiam tum, cum ab ortu ad arcum, de quo diximus, adſcendat. Et, quoniam æſtate, & horis pomeridianis, facile apparet, quam nulla a novo ædificio timenda umbra ſit, idcirco hæc duo potiſſimum perpendit Autor, quantum temporis, circa æquinoctia & ſolſtitium hybernum, ſol conſumat, antequam ab ortu ad circulum verticalem, atque inde ad meridianum, perveniat; & ad quam altitudinem, illis temporibus, umbra pertingere in monaſterio Turchinarum queat. Sub ſolſtitium hybernum amplitudo ſolis ortiva Romæ eſt 32°. 27′: ex quo, ſubducto calculo, ſequitur, horam unam cum triente requiri, ut ſol ab ortu ad circulum verticalem, & horas 3 cum parte ſexta, ut inde ad meridianum perveniat: ſub æquinoctia vero horas 3 cum duabus tertiis requiri, ut ſol ab ortu ad arcum verticalem, & horas 2 cum parte tertia, ut inde ad meridianum pervenire poſſit. Porro demonſtratur, ſolſtitii hyberni tempore, exiſtente ſole in circulo verticali, altitudinem umbræ in muro Turchinarum eſſe palmorum 51, atque adeo ad ſolam primam & infimam feneſtram pertingere: die 21 Jan. altitudinem umbræ non excedere palmos 43 cum ſemiſſe, die 8 Febr. palmos 30, die 22 Febr. palmos 19 cum ſemiſſe. Quibus explicatis, oſtenditur, quam altitudinem & extenſionem umbra ædificii *Philippi-*

lippini, in muro Turchinarum, paulo poſt ſolis exortum, variis anni temporibus, habere debeat: tandemque etiam de ſitu & umbra ædium quarundam circumjectarum agitur. Ex quibus omnibus perſpicere licet, quam parum luminis ſolaris novum ædificium detrahere Monialibus Turchinis poſſit. Jam, quod ad illam lucem attinet, quam atmoſphæra & corpora illuminata ſpargunt, itemque ad proſpectum & aeris ventilationem, non certe multo minus luminis (judice Autore noſtro) ipſum ædificium S. *Philippi* reddet, quam intercipiet; & proſpectum vix curare Moniales Turchinæ videntur, quarum pleræque feneſtræ ita ſunt obſeptæ, ut oculis curioſis acceſſum non concedant; & de ſufficiente aeris motu haudquaquam dubitandum eſt. Quæ quidem ſingula capita cum Viro Clariſſimo perſequi, inſtitutum noſtrum non permittit. Interim, quanquam negare nolimus, aerem in nova platea aliquanto minus libere, quam antea in loco patentiore, moveri poſſe, & pulchri proſpectus privationem non ſine cauſa allegari, tamen, cum ad amplitudinem plateæ, & ſitum extenſionemque ædium, de quibus quæritur, itemque ad ea, quæ de Sciroco vento, & de feneſtris Turchinorum obſeptis, dicta ſunt, reſpicimus, non ſane magna incommoda Turchinis a novo ædificio allatum, nec lucis quidem & caloris notabilem partem ereptum iri, opinamur.

JO. PETRI DE LUDEWIG, JCTI, ET FRIDERICIANÆ Cancellarii, Reliquiæ Manuſcriptorum omnis ævi Diplomatum ac Monumentorum, ineditorum adhuc.

Tomus XI.

Halæ Salicæ, impenſis Orphanotrophei, 1737, 8 maj. Alph. 1 plag. 19.

Quanquam Illuſtris Cancellarius, cum *Reliquiarum* ſuarum *Tomum X* ederet, peregiſſe curſum, & monumenta, quæ editionis honorem merebantur, omnia ex Muſeo ſuo protuliſſe videbatur, idemque ipſe non obſcure in illius *Voluminis* Præfatione ſignificabat; tamen, ut perfectiorem quodammodo

 do

do numerum duodenarium impleret, producit nunc ex copiis, quibus circumfluit ejus Bibliotheca, diplomaticis & historicis *Tomum XI*, prioribus illis tam ipsa mole ac specie, quam scriptorum, quæ continet, utilitate, simillimum. Præfatio, quam monumentis ipsis more suo præmisit, querelas continet de Italo, qui belli diplomatici historiam Mediolani A. 1729 edidit, & in illa *Ludewigianam*, quæ in limine *Tomi I Reliquiarum* exstat, sugillavit, & simul exscripsit. Ita & quædam peracerbe de Rev. Abbate Gottwicensi conqueritur, nonnemini vero, a quo Diplomatum confictorum accusatus erat, stigma minatur. In ipsis, quæ hoc *Volumine* exponuntur, monumentis primum est *Joannis Germani* vita *Philippi Boni*, Burgundiæ Ducis, A. 1452 scripta, & ipsius *Philippi* filio, *Carolo Audaci*, dedicata. Fuit ille *Joannes Germanus* primum Nivernensis, postea Cabilonensis, Episcopus, & Burgundiæ Ducis in Concilio Constantiensi Orator, Ordinis etiam aurei velleris primus Cancellarius, ac, præter hoc Opusculum, aliis philosophici, & præsertim theologici, argumenti clarus. Dicendi genere utitur parum comto, & est in ipsius quoque tractationis ordine, quod displiceat. Post Epistolam ad *Carolum Audacem* primum de religione *Philippi* patris, postea de ipsius prudentia, inde de ejus justitia, denique de temperantia & fortitudine, quædam in medium affert, & sic ad ipsam rerum a *Philippo* gestarum commemorationem se convertit, quæ præsertim res bellicas, & non minus civiles tumultus, quam bella cum exteris, continet. Inprimis vero lectu digna sunt, quæ de pace Attrebatensi, A. 1435 icta, *Capite XXV - XXXV* copiose narrantur. De Ordine aurei velleris parum hoc libello *Joannes Germanus* attulit; quod mirum est, cum ipse, ut modo diximus, primus ejus fuerit Cancellarius. Ipsum Opusculum ad hunc usque diem latuit, &, ut Ill. Editor notat, vix a quoquam allegatum est, forte quod *Carolus Audax*, quem satis severe officii admonet Autor, & præsertim ad castitatem graviter cohortatur, hanc patris imaginem, cujus erat ipse *Carolus* dissimillimus, suppresserit. Codex MStus per Bibliothecas *Andreæ du Chesne*, *Julii*

lii Chiffletii, *Fouquetii*, & *Foucaulti*, demum in *Ludewigianam* migravit, & offert eum Ill. Editor in Præfatione sua Bibliothecæ Cæsareæ, quoniam, ut ait, nihil exstare Burgundici debet, quo careat Austria, fortunarum Burgundicarum hæres. *Joannem Germanum* excipit Chronicon Bohemiæ, cui quidem inter inedita locum non fuisse concedendum, ii agnoscent, qui, jam olim id editum a B. *Menckenio* inter *Scriptores rerum Germanicarum*, meminerint. Hujus Autor, quamvis ignotus sit, laudatur tamen ab Ill. Cancellario, quod a partium studiis, in historia Bohemiæ nimis frequentibus, alienissimus esse videatur. Stili sordes quodammodo eluit argumentorum, quæ in hoc Chronico tanguntur, præstantia. Nam & de juribus Regis Bohemiæ comitialibus, & de defectione Silesiæ Ducatuum a Polonia, nec non de ipsorum nexu cum S. R. I. quædam non proletaria in hoc libello continentur, tanto quidem jucundiora Lectoribus futura, quanto frequentius interseruntur Diplomata. *Tertia* hujus *Tomi Reliquiarum* & postrema pars est Diplomatarium miscellum LXXXIII chartarum, quales plurimas in ceteris *Reliquiarum* Partibus Ill. Cancellarius edidit, & in MStis suis voluminibus, quorum ultra ter mille possidet, secum adhuc servat innumeras. Pertinent Diplomata hujus *Tomi* præsertim ad civitatem & templa Halensia, nec non ad Cœnobium *de gratia Dei*, & ad opificum Berolinensium privilegia. Eminent tamen *Ottonis II*, Marchionis Brandenburgensis, chartæ, quibus plura Ducatus Transalbini loca S. *Mauritio*, vel Ecclesiæ Magdeburgensi, offert in feudum, *Henrico VI* Imperatore oblationem approbante.

FRID. CHRISTIANI LESSERI, PASTORIS Nordhusani, breves Observationes de Sigillis quibusdam Nordhusanis.

Exhibemus tibi, amice Lector, Sigilla quædam Nordhusana, ea magnitudine & figurarum ruditate, qua constant, æri incisa, ne ectypa ab archetypis excidant. Omnia, si eorum spectes *materiam*, ex cera constant, quæ tamen ratione coloris differt.

Omnium Sigillorum, quæ a *N. 1* usque ad *N. 14* comprehenduntur, cera naturalem suum colorem flavum habuit, quæ tamen, antiquitatis vitio depravata, jam ad brunnum vergit colorem. Ex quo apparet, medio ævo non imperantes solum, sed etiam monasteria, Sigilla sua luteæ ceræ impressisse, quia tum ob vile pretium, tum ob mollitiem, huic usui aptissima videbatur. Postquam autem Imperatores & Reges orientales, & post hos occidentales, ceram rubram dignam censuerunt, qua uterentur, quoniam hic color ad regalem purpuram propius accederet, etiam alii Status Imperii hunc morem in exemplum traxerunt, &, spreto colore viridi, quo post missum naturalem ceræ colorem usi erant, rubrum, conniventibus imperantibus summis, usurparunt, sibique reservarunt, ceram autem viridem collegiis, ipsorum jurisdictioni subjectis, reliquerunt. Certe Senatus Nordhusanus a tempore *Sigismundi* Imp. cera rubra suas signare literas solitus est, contra autem & Consistorio & Orphanotropheo ceram adhibere viridem concessit. Dispescimus autem Sigilla Nordhusana in *civilia*, quale *N. 1.* exhibetur, & *ecclesiastica*, quæ *N. 2 seq.* conspiciuntur, cumque ecclesia hospitetur in republica, primo de civilium, deinde de ecclesiasticorum, Sigillorum figuris, forma, & circumscriptionibus, ac literis, agemus. Quod igitur attinet Sigillum civile Nordhusanum, sub *N. 1* in ære exhibitum, in eo oculis intuentium se conspiciendos præbent duo homines, super murum, porta ornatum, medias inter turres sellis insidentes, quorum primus dextra sceptrum liliatum, sinistra vero erecta globum imperialem, cui crux insidet, tenet, altera autem persona dextram ad globum imperialem porrigit, sinistra in gremium posita. Quænam hæ personæ sint, difficile est indagare. Non tamen assensum præbere possumus cuidam erudito Viro, qui putavit, has imagines Christum & Mariam significare. Quanquam enim optimus Servator sæpius cum globo, cruce ornato, ac sceptro, a pictoribus pingatur, nullibi tamen cum sceptro liliato pictus conspicitur. Taceo, capita harum personarum nimbis destitui, quibus tamen olim capita Sanctorum,

TAB. VI Fig. 1.

ctorum.

TAB. VI ad Nov. Act. Erud. A

Fig. I.




Fig. XIII.
de a. 1331.



Fig. XIV.
de a. 1339.





ctorum, inprimis autem *Christi* & *Mariæ*, ornabantur, qua de re *Jo. Nicolai* de Nimbis adeundus. Quodsi conjecturam facere licet, potius sub his imaginibus *Henricum Aucupem*, ejusque uxorem, intelligi posse arbitramur, idque partim ex Historiæ Nordhusanæ monumentis, partim ex ipsis hujus Sigilli iconibus, probabile sit. Si enim historiæ Nordhusanæ scrinia excutiamus, in *Nic. Hier. Gundlingii* Tract. *de Henrico Aucupe pag. 312, Jo. Mich. Heineccii Antiquitatibus Goslariensibus f 13, Frid. Ern. Kettneri Hist. Quedlinb. Addit. pag. 1, Jo. Ge. Leuckfeldi Antiquitatibus Poeldensibus Cap. IV pag. 15, Joach. Jo. Maderi Antiquitatibus Brunsuicensibus pag. 102*, donationem legimus, qua Rex *Henricus* dulcissimæ conjugi *Mathildæ*, prouti expressa verba Diplomatis sonant, potestativa manu tradidit non solum Quedlimburgum, Pœldam, Duderstadium, sed etiam Nordhusam, in jus proprium, quod A. 929 ipsis Cal. Octobris factum. Atque ad hanc rem reliquæ Sigilli figuræ respicere videntur. *Sceptrum* enim *liliatum* florentem imperatoriæ potestatis statum designare potest, quo etiam alii Imperatores usi sunt in Sigillis suis, observante *Heineccio in Syntagm. de Sigill. P. I Cap XXXIX f. 96.* Quod autem hic sinistra manu *globum imperialem*, cruce insignitum, fœminæ ad sinistram sedenti porrigere videtur, illud ipsum significare potest, *Henricum* Aug. *Mathildi* suæ concessisse judiciariam potestatem ac dominium, siquidem globus cruciger symbolum majestatis est, uti hoc demonstravit Celeb. *Gottlieb Samuel Treuerus* in *Historia globi crucigeri*, Brunsuigæ A. 1728 typis vulgata. Nec obstat, quod apud *Heineccium Tab. IV Num. 19* & *Gundlingium l. c.* in frontispicio Sigillum *Henrici Aucupis* ære expressum exhibetur, quo Rex hic conspicitur in dextra vexillum minimum, in sinistra umbellam, tenens. Ipse enim *Heineccius* fatetur *f. 89*, Diplomata *Henrici Aucupis* esse rarissima, consequenter etiam Sigilla. Quapropter esse poterit, ut *Henricus* noster, postquam ad imperatoriam evectus erat dignitatem, Sigillo alio, sceptro liliato, & globo crucigero, usus sit, quo etiam successores ejus usi sunt, quanquam aliter sentientibus obloqui, & meliora docentibus contradicere, nolimus. Quod autem hic

duæ

duæ perſonæ *ſedent*, eo ipſo eorum *poteſtas judiciaria* indicatur. Seſſio enim ſæpius tam in ſacro Codice, quam etiam in aliis Scriptoribus, judicium ſignificat. De illo evolvi poſſunt loca *Pſ. CX, 1*, & *1 Cor. XV, 15*; de hoc adeundus *Cicero*, qui his utitur phraſibus: *ſedere ad gubernacula reipublicæ, pro Roſc. Cap. XVIII*, & *pro Cluent. Cap. XXXVIII*, *ſediſtine judex in* C. Fabricium? *Murus* cum *porta*, qui ſub pedibus amborum conſpicitur, *locum judicii* ſignificat. Solebant enim olim publica judicia ſub portis exerceri, uti liquet ex locis Scripturæ S. *Devt. XXV, 7, Prov. XXII, 22, Amos V, 15, Zach. VIII, 16. Ædificia* vero vel ipſam urbem Nordhuſam, *Mathildi* dono datam, vel caſtrum regale, ſignificant. Notandum autem eſt, Senatum Nordhuſanum hodie eo Sigillo amplius non uti. Poſtquam enim mos invaluerat, ut plurimæ civitates ad imitationem aquilæ bicipitis imperialis inciperent Sigillis ſuis *aquilam* imprimere, quam tamen ad imperialis aquilæ differentiam *monocephalon* excudebant, etiam Conſules Nordhuſani, *Henricus de Gotha*, ſenior, *Henricus de Schola*, & *Hartmannus de Kœnigeroda*, veteri Sigillo abrogato, novum cum aquila monocephalo introduxerunt. Accedimus nunc ad *Sigilla eccleſiaſtica*, inter quæ princeps eſt, quod ſub

TAB. VI Fig. 2. *N. 2* ære expreſſum patet. Habet illud altera ſui parte *Contraſigillum*, de quo Sigillorum genere doctam Commentationem erudito orbi reliquit *Polyc. Leyſerus*, Prof. quondam Academiæ Juliæ clariſſimus. Ex hoc apparet, Seculo XIII Contraſigilla etiam cleris fuiſſe in uſu. Uſus enim eſt hoc Sigillo *Elgerus VII*, ex Comitibus Hoheſteinenſibus quidem oriundus, quippe *Henrici V* filius, attamen hic ut Præpoſitus S. Crucis ſpectandus, teſtante *Eckſtormio* in *Chron. Walckenred. pag. 22.* Conſpiciuntur in facie averſa hujus Sigilli *duo angeli*, talaribus amicti, in humeris alis, & circa capita nimbis, ornati, faciebus ſe invicem adſpicientes, & manibus contum gerentes, cujus ſuperiori parti *crux trifoliata* inſidet, uti a rei Heraldicæ peritis dicitur; ex quo palam fit, olim baculum cum cruce etiam Præpoſitis fuiſſe conceſſum, qui hodie tantum Archiepi-

ſcopis

ſcopis, Primatibus, & Legatis, a Papa conceditur. Quod autem *Eiligerus* Sigillo ſuo *crucis* figuram imprimi curavit, illud procul dubio ideo fecit, quia domus baſilica, fidei ſuæ commiſſa, in honorem S. Crucis a fundatrice *Mechtildi* exſtructa eſt. Ex eo autem, quod *angeli* eam tenent, elucet, jam tum temporis ſuperſtitioſum ſigni crucis cultum invaluiſſe. Id autem in hoc Sigillo ſingulare eſt, quod Contraſigillo gaudet, in cujus medio *facies S. Mauritii*, qui forſitan *Eiligeri* patronus fuit, conſpicitur. Ordo nos ducit ad Sigillum ſub *N. 3*. Videtur in ejus inferiori parte perſona, genua flectens, & manus furſum ad fœminam tendens. Hæc autem ſuper murum inter duas turres medio corpore ſedet, capite nimbo cincta, in dextro brachio librum, in ſiniſtra manu crucem, ut videtur, vel ſceptrum, habens. Quia hoc Sigillum Decani S. Crucis fuit, ſuſpicor, *perſonam*, genubus innixam, ipſum eſſe *Decanum*, elatis manibus preces ad *Divam tutelarem* fundentem, quæ, ex mea conjectura, *Mathildis*, fundatrix S. Crucis Eccleſiæ, fuit, & a Pontificibus Romanis numero Sanctorum adſcripta eſt. Quod autem illa *ſuper pontem inter turres ſedet*, illud quidem hujus patronæ præſidium Eccleſiæ S. Crucis, per has turres denotatæ, & ab ipſa fundatæ, ſignificare poterit. *Nimbus* autem, quo ejus caput cingitur, indicium præbet, hanc perſonam inter Sanctos referri, ſicuti id peculiari de Nimbis antiquis ſpecimine demonſtravit *Jo. Nicolai*. *Liber*, quem brachio dextro habet, non tam S. Biblia, quæ medio ævo hominibus plurimis plane incognita erant, quam potius Pſalterium, denotat, cujus uſus ſolus fœminis concedebatur. Prius quod attinet, id ex *Lunigii Spicileg. Eccleſ. Tom. II pag. 143* elucet; ibi enim *Ahytho*, Epiſcopus Baſileenſis, in ſuis Statutis Capitulo VI Bibliothecam recenſet, qua clericus carere nequeat, & ad eam refert Sacramentarium, Lectionarium, Antiphonarium, Baptiſterium, Computum, Canonem pœnitentialem, Pſalterium, Homilias, nulla Bibliorum facta mentione. Poſterius probari poterit ex *Chronico Wormatienſi* apud *Ludewigium Tom. II Reliquiarum pag. 57*, ubi ſoror Epiſco-

TAB. VI Fig. 3.

pi Wormatienſis dicit: *Nam tantum Pſalterio excepto libros penitus ignoro.* *Crux*, vel ſceptrum cruciatum, quod ſiniſtra manu tenet, confirmat eorum temporum ſuperſtitionem, quibus non tam Chriſtum crucifixum, quam ſignum crucis, tanquam proprium Chriſtianæ religionis trophæum, magno proſequebantur ſtudio. Vid. *Tertullianum de Coron. milit. Cap. III p. 653.*

TAB. VI Fig. 4. *Quartum* Sigillum ectypon capitis cervini exhibet, intér cujus cornua Salvator in cruce pendens ſiſtitur. Duo a Pontificiæ religionis aſſeclis commemorantur Sancti, de quibus Acta Sanctorum perhibent, Chriſtum cruci affixum iis apparuiſſe, *capiti cervi* inter cornua inſidentem, S. *Hubertus* & S. *Mauritius.* Quæritur igitur hoc loco, qua de cauſa caput cervi prædicti huic Sigillo impreſſum ſit. Cum autem hoc Sigillum uſui ſcholaſtico Eccleſiæ S. Crucis inſervierit, uti ex circumſcriptione ejus patet, reſponſio ex hiſtoria ejuſdem baſilicæ domus petenda erit. Legi in MSto quodam, hanc ædem cathedralem a fundatrice *Mathildi* non S. Cruci ſolum, ſed etiam S. *Mauritio*, ſacratam fuiſſe. Hinc etiam

Fig. 16. adhuc Capitulum ejuſdem hunc Divum in Sigillo ſuo fert, (vide *N. 16*) imo in vexillis ſuis ſacris, quæ in feſto corporis Chriſti circumferri jubet, S. *Mauritii* hiſtoriam pictam exhibet, ejuſque ſtatuam, caput cervi ſupra memorati in manu habentem, ſummo altari impoſuit. Facilis hinc emergit conjectura, ideo Decanum caput cervi ſuo inſeruiſſe Sigillo, quia hic S. *Mauritio*, S. Crucis patrono, apparuit. Sigillum *N. 5*

Fig. 5. conſpiciendum præbet virum, habitu monachali indutum, & crucem præ ſe ferentem, coram quo in genua provolutus homo conſpicitur, librum ei offerens. *Homo, manibus crucem ferens*, procul dubio perſonam quandam eccleſiaſticam, cujus imperio Cuſtos S. Crucis ſubjectus erat, ſignificat. *Crucis* autem *figura* hic alia, nempe ſimplicior, eſt, quam ea, quæ ſub *N 2* videtur, manifeſto indicio, varias S. Crucis excogitatas fuiſſe imagines, de quibus adeundi artis Heraldicæ doctores, iique ſcriptores, qui ſigillatim de Cruce ſcripſerunt, e. g. *Curtius*, *Gretſerus*, *Lipſius.* Hoc tamen notandum, hanc noſtri Sigilli figuram propius accedere ad eam Crucem,

quæ

quæ adhuc Nordhusæ lapidi insculpta conspicitur in muro Cœmeterii templi S. Crucis. *Homo* autem, *genibus innixus*, & *librum porrigens*, videtur esse stantis personæ minister in sacris, Domino suo non tam Biblia, quam Evangelii Codicem, offerens; hæc enim populo tum temporis prælegebant, & in hæc jurare tenebantur Clerici. Si nos ad *N. 6* convertimus, conspicimus personam, stola indutam, dextra palmæ ramum, sinistra librum, tenentem, & insistentem homini, pedibus ejus subjectam. *Persona* hæc Clericum quendam significare videtur, & forsitan fratrem minorem. De *libro*, quem sinistra portat, sub *N. 5* jam dictum est. *Palma* vero symbolum est triumphati diaboli & mundi, quos Clerus se oppugnare precibus & meritis suis gloriabatur. Atque hinc etiam facilis datur conjectura, *personam, sub pedibus jacentem*, vel diabolum, vel potius mundum, hic significare. Sigillum sub *N. 7* proponit intuentium oculis effigies duorum Sanctorum, capitibus nimbis ornatorum, & *baculum liliatum* manibus tenentium, quod hic eorum *puritatem* indicare poterit. Quæ ad dextram sedet *fæmina*, crinibus in humeros defluentibus, & capite coronato, procul dubio S. *Mariæ* iconismus est, cujus effigies plerumque ita corona pingitur, quia papicolæ eam tanquam reginam cœli salutant. *Vir*, ad sinistram sedens, & *brachio sinistro agnum portans*, S. *Joannem* significat, quo habitu etiam tam in bracteatis, quam in solidis, Lubecensibus sistitur, expresso nomine S. *Joannis* addito. Ea autem de causa *agnus* ei additur, quia digitis Jesum monstrans dixit: Ecce! agnus Dei, qui portat peccata mundi, *Jo. I, 36.* Quid figura Sigilli sub *N. 8* sibi velit, me nescire, ingenue fateor. Si quis sub ea intelligere velit *Cherubinum*, aut sub capite humano, nimbi circulo clauso, intelligere velit *caput S. Joannis*, Evangelistæ, sub corpore avis autem aquilam, huic Sancto appingi solitam, me nec habebit consentientem, nec contradicentem, sed potius rem in medio reliquentem. Dolendum interea, dentem vetustatis additam in schedula epigraphen exedisse, ex qua forsitan explicationi lux potuisset addi. Sigillum sub *N. 9* exhibet hominem, simplici sellæ insi-

TAB. VI Fig. 6.

Fig. 7.

Fig. 8.

Fig. 9.

dentem, & utramque manum ad benedictionem duobus Monachis impertiendam extendentem, quorum quisque ad unum latus in genua provolutus cernitur. Procul dubio *persona benedicens* superiorem quendam horum Monachorum significat. *Stellæ* vero, ad utramque capitis partem lucentes, ornatus causa additæ sunt, more ejus temporis solito, id quod ex pluribus Sigillis & nummis ostendi posset, si actum agere vellemus. Superior Sigilli pars ostendit duos angelos, se invicem adspicientes, quorum unus annulum, alter baculum, habere videtur; inferior pars autem aquilam imperialem bicipitem habet. Progredimur ad Sigillum sub *N. 10.*

TAB. VI Fig. 10. Sedet hic *Maria* Virgo, coronata, in sella, capitibus caninis ornata, cujus dextra sceptrum liliatum præbet, sinistra autem Jesulum nudum genni impositum continet, qui dextram ad pectus matris expandit, sinistra autem globum mundi cum imposita cruce tenet. Plurima hujus iconis ex antecedentibus perspicua sunt. Hoc tamen attendendum, neque *Mariæ*, neque Jesuli infantis, caput nimbo cingi, ex quo patet, *nimbum non semper Sanctis additum fuisse.* Quod autem optimus Servator *globum crucigerum* gestat, eo procul dubio significatur, Christum totum *mundum* brachio potentiæ suæ gestare, *crucem* vero ejus, vel, si mavis, mortem crucis, omni mundo prodesse.

Fig. 11. Si Sigillum sub *N. 11* adspicimus, præsto ibi est homo sedens in sella, capitibus avium ab utroque latere exornatus, dextra palmæ ramum, sinistra librum, gerens. Cum de palma & libro in antecedentibus dictum sit; hic tantum addimus, *sessionem* beatorum, eorum quietem & gloriam, imperantium, eorum regimen, clericorum, eorum docendi officium, significare. Vid. *Matth. XXIII, 2.* Quod vero sella *capitibus avium* ornata hic apparet, id non tam clericorum, Cæsarum sellas imitantium, fastui, tribuerim, quam potius ornatus causa factum fuisse putaverim. Videmus enim sæpius Imperatorum & Clericorum sellas sine ejusmodi ornatibus, ut in *N. 1 & 9.* Deinde ejusmodi ornamenta etiam conspiciuntur in sellis Divorum, e. g. *N. 10*, quibus arrogantia imputari non potest.

Fig. 12. Sigilli *N. 12* figuræ

hæ

hæ ſunt: Sedet S. *Maria* coronata ſuper murum, & gremio inſidentem Jeſum infantem tenet, ad cujus latus ſiniſtrum vir ſtat, ſtola indutus, capite mitra epiſcopali tectus, & manu dextra pedum epiſcopale ferens. Singulare in hoc Sigillo eſt, quod B *Maria* hic *coronam* geſtat, non foliis ornatam, uti plerumque, & hic *N.* 7, *10*, & *13*, pingitur, ſed *cuſpidibus armatam*, qualem olim Imperatores habuerunt, quod, an ex conſilio, an ex phantaſia, factum ſit, in medio relinquo. *Mitra* autem Epiſcopi hic bicornis ſe offert intuentium adſpectui, quæ olim ſimplex erat, & a vulgaribus mitris nihil fere differebat. *Pedum* autem hic non breve eſt, uti antiquioribus temporibus erat, quibus ſuſtentationis cauſa Epiſcopi eo utebantur, ſed longum potius, flexum, & ſupra in gyrum curvatum; deſunt tamen illi flores, & rami, in quos recentioribus temporibus hi baculi deſinunt, de quibus adeundus *Jo. Andr. Schmidius* in Diſſertatione de Baculo Epiſcopali. Sigillum *N.* *13* videndam præbet Virginem Deiparam, quæ dextra lilium, ſiniſtra infantem, portat, ſub qua monachus, genua flectens, & pedum manu gerens. Patet ex hoc Mariolatria filiorum Romanæ Eccleſiæ, & uſus baculi, quo olim etiam Monachi gaudebant, donec ſolis Epiſcopis eundem geſtare permiſſum eſt. Sigilli *N.* *14* figuræ ſatis notæ ſunt. Recentius eſt Sigillum *N.* *15*, quo Conſiſtorium Nordhuſanum utitur. Conſpicitur hic in ſcuto Germanico aquila uniceps, capite galeato, cum duobus cornubus bovinis, ex quibus ad exteriora latera bacilli cum appendicibus foliatis exeunt, quod Magiſtratus Nordhuſani ſcutum dubio procul ideo huic Sigillo Conſiſtoriali inſertum eſt, ut eo ipſo Conſiſtorium confiteatur, poteſtatem ſuam a magiſtratu, tanquam territorii domino, dependere. Supra ſcutum apparet liber apertus, in quo legitur: RELIGIONI ET JUSTITIÆ SUUM. Ad dextram ejus manus, ex nube protenſa, indice ſuo librum monſtrat; ad ſiniſtram manus apparet, gladium geſtans, quibus ſymbolis verba libri explicantur. Supra ſymbolum Spiritus S. columba nempe, radios ſpargens, pendet. Quibus omnibus aſſeſſores hujus judicii profitentur, ſe Spiritus ſancti gratia illu-

TAB. VI Fig. 13.

Fig. 14.

Fig. 15.

illustratos ea velle peragere in caussis decidendis, quæ religio & justitia postulant. De *forma* Sigillorum notamus, quod Sigilla *orbicularia* olim maxime in usu fuerint, quæ etiam sequioribus temporibus a multis usurpata fuisse, atque adhuc maxime usurpari, *N. 1, 2, 8, 10, 12, 15,* & *16*, nos condocent. Nihilo minus aliis placuere Sigilla *ovalia*, ut patet ex *N. 6*, quæ tamen medio ævo sæpius supra & infra in acumen abierunt. Conf. *N. 3, 4, 5, 7, 9, 11, 13, 14.* Superest, ut de *circumscriptionibus & literis* paucis adhuc agamus. Ac primo quidem in iis observamus, Seculis XIII, XIV, & XV, nullos fuisse *Diphthongos* in usu. Sic *N. 2* legitur *prepositi* pro *præpositi*, *ecclesie* pro *ecclesiæ*, conf. *N. 4* & *10*: item *sancte* pro *sanctæ N. 4, 5,* & *12*; *celi* pro *cæli* vel *cœli N. 13* & *14*; *predicatorum* pro *prædicatorum N. 7.* Deinde videmus, literas C & E, quæ hodie ad latus sinistrum apertæ sunt, Sec. XIII & XIV linea quadam fuisse clausas, ut in *N. 2, 3, 4, 5, 8, 12, 13, 14.* Porro ex his Sigillis constat, literam *H* in vocibus omissam fuisse. Sic e. g. legitur *scolastici*, pro *scholastici*, *N. 4*; *orto* pro *horto*, *N. 13* & *14*; forsitan ob illud: *h non est litera*, quam tamen alibi superflue addiderunt, e. g. *N. 8* & *9 hem*, i. e. *heremitarum*, pro *eremitarum.* Animadvertimus etiam, literas M & N jam ductibus obtusioribus scriptas fuisse, *N. 6, 11, 12, 13, 14,* jam vero acutioribus & magis quadratis, *N. 8*, idque uno eodemque Sec[illegible]. Vid. *N. 2, 8,* & *9.* Nec non conspicimus, literam R sæpius immediate literæ O annexam fuisse, *N. 2, 5, 7, 8, 9.* Tandem etiam patet, literam T nunc ductu semirotundo, *N. 7* & *13*, nunc recto, in modum cruciformem, scriptam fuisse, *N. 4, 5, 10.* Apparent etiam varia scribendi compendia, quæ abbreviaturæ vocantur, e. g. *scte* significat *sanctæ*, *N. 4, 5, 12*; *frm*, significat *fratrum*, *N. 7, 8, 13, 14*; *ordis* significat *ordinis*, *N. 8*; *hem* significat *heremitarum*, *N. 8, 9*; *scti* signignificat *sancti N. 8*; *sce* significat *sancte*, *N. 2, 13, 14*; *poris* significat *prioris*, *N. 14.* Et hæc nobis, quibus brevitas præscripta est, sufficiant.

GEORG. MART. RAIDELII COMMENTA-

tio

tio Critico-literaria de Cl. Ptolemæi Geographia, ejusque Codicibus tam MStis, quam typis expressis.

Norimbergæ, apud Jonath. Felsseckeri hæredes, 1737, 4.
Plag. 12, cum Fig. æn. 3.

Sic tandem promissa olim hæc opella, autoritate Illustrissimorum hominum, Comitis *Pertusati*, & *Hier. Wilh. Ebneri*, quibus & inscripta est, in lucem prodit conspectumque eruditorum. A. 1729 ejus aliquando publicandæ spem fecerat Cl. Autor; sed tunc, instituto per Germaniam itinere literario, ab exequendo opere detentus, fidem nunc eo quidem melius liberat, quo præstantiora ad perficiendum institutum suum subsidia eodem in itinere consecutus est. *Cap. I Claudii Ptolemæi* vitam, fata, scripta omnia, & Geographiam præ ceteris, exponit, *Cellarium*que, hujus Scriptoris in Præfatione *Notitiæ orbis antiqui* censorem iniquiorem, castigat, quod, qua ratione *Ptolemæus* remotissimarum regionum res, situm, nomina, cognoverit, homo ad æterna Musæi claustra damnatus perspicere haud potuerit. Qua occasione alios recenset, qui mitius & præclarius de *Ptolemæo* senserunt. *Alterum Caput* Græcos Geographiæ Codices enumerat. Cl. *Wasse*, Rector Scholæ Ainhoensis, in Epistola Anglicana, inserta *Bibliothecæ literariæ*, Londini A. 1722, 4, editæ, *Parti II pag. 33*, notitiam Codicum MStorum brevem & succinctam dederat, &, quadraginta ferme Codices in Parisiensi, Cantabrigiensi, Vossiana, Anglicanis, Hibernicis, Viennensi, Medicæa, Bibliothecis adhuc exstare, affirmarat. Autor vero noster, tantum numerum Codicum MStorum fuisse, pernegat, cum fieri non possit, ut tot tantique Codices plurimis in Bibliothecis jam desiderentur. Itaque de omnibus potius libris *Ptolemæi* intelligendum id esse docet. Potissimos inde Codices ipse vel nominat, vel amplius describit. Primus est & præstantissimus Vindobonensis, quem verbis *Nesselii* describit. Venetus sequitur, in D *Marci* Bibliotheca asservatus, quem ex ore *J. B. Starckii*, Consil. Saxo-Hilburghusani, recenset, quippe qui, concedente præfecto *Madero*, inspiciendi illius copiam habuit. Membranaceus est,

effigie

effigie *Ptolemai* insignis, quæ regio habitu æri incisa hic apparet. Qua Autor occasione pictores aliosque rerum minus peritos arguit, qui *Ptolemæum*, Regem literarum amantissimum, cum nostro confuderunt. Epigramma pariter ejusdem Codicis in *Ptolemæum* vivo expressum ære hic apparet. Quo scriptus sit tempore, latet. Putat Autor, XII aut XIII Seculo, &, edituris non parum profuturum, credit. Alius in eadem *Marciana* est chartaceus Seculi XIV. Nec minus apud *Car. Grimanum* aliud Venetiis fuisse exemplar, ex *Montefalconii Diario Italico pag. 40* docet, qui & *pag. 368*, in Bibliothecis Monasterii B. *Mariæ* & Medicæa Florentiæ Codices exstare, asserit. Romæ Vaticana, & huic inserta Palatina, ac Barberiniana, nonnullos habent. *Coislinianus* in Gallia Codex satis ope *Montefalconii* innotuit in *Catal. Coisl. pag. 611 seq.* ubi cum impressis collatus invenitur. Lugdunensis Bibliotheca *Jos. Scaligeri* exemplar impressum variis annotationibus MStis illustratum, *Heinsius* aliud, *Petr. Francius Xylandri* & *Salmasii* collationes, possederunt. Anglia Codices plurimos habet, unum cum *Nicephori Gregoræ* Scholiis, sed mancum, *Seldenianum*, cum adscriptis nonnullis Arabicis, *Savilianum, Bernardinianum*, alios. Præterea Autor suspicatur, plures adhuc latere hinc & illinc illius Scriptoris MStos Codices, nemini non curiose indagandos. E Germania exemplar huc refert impressum, cum Vaticanis, Barberinis, Palatinis, collatum, editum scilicet Parisiis A. 1540, 4, apud *Wechelium*, quod e Bibliotheca B. *Gœzii* in Senatoriam Lipsiensem transiit. Ignoratur, quis collationis fuerit Autor, quale autem ejus sit pretium, specimen a Cl. Autore allatum satis declarat. *Cap. III* ad Codices Latinos progreditur, medioque ævo, licet in magna illa rerum omnium ignorantia, plurimi factum *Ptolemæum* ostendit, ideoque mirum non esse putat, quod Seculo XV, renascentibus literis, duo de vertenda Geographia uno tempore amice cogitarint, quorum alter, *Emanuel Chrysoloras*, incepit tantum laborem, alter autem, *Jacobus Angelus*, opus suum & inchoavit & perfecit felicissime, cujus archetypon in Floren-

tina

tina Abbatia exſtitiſſe, teſtatur *Pocciantius* in *Catalogo Script. Florent. pag. 83.* De *Jacobi Angeli*, non adeo in vulgus noti, genere, patria, vita, doctrinæ laude, ac præconibus, copioſe Autor diſſerit. *Geſnerus* malam indoctamque hanc verſionem pronuntiavit, ſed judex in eo paulo iniquior. *Pirckheymerus* vero Matheſeos omnis ignorantiam in Interprete notavit, ſed depravati Codicis mendis deceptus. Recenſitis iis, quæ Autorem, ejuſque verſionem, tangunt, Codices ipſos Autor enumerat, quorum nonnulli paſſim inveniuntur. Codicis, quem Norimbergæ exſtare *Saubertus*, & ex illo *Struvius*, dixerunt, *Trapezuntii* manu correcti, nec volam, nec veſtigium, ſupereſſe monet; alium vero haberi docet, Tabulis, ex editione Ulmenſi deſumtis, illuſtratum, unde de ejus ætate facillime exiſtimari poſſit. Sequitur *Trevirenſe* exemplum, quod *P. Montanus* in editione *Ptolemæi* Græco-Latina, A. 1618 vulgata, juſſu *Nicolai de Cuſa*, Cardinalis, ex *Angeli* avtographo deſcriptum dixit; ſed id Autor perperam, pro *Nicolai Donis*, poſitum ſibi perſuadet. In Italia *Jo. Fichetus*, civis Patavinus, teſte *Thomaſino*, Coſmographiam poſſedit *Ptolemæi* papyraceam, quod Lectorem dubium reddit, utrum Græcus Codex, an Latina verſio, notetur; ſed poſterius Autor e voce *Coſmographia* concludere ſibi poſſe videtur. Eandem *Mabillonius* Venetiis vidit; Anglia vero tria, Belgium bina, tenet exemplaria. Germania, & Norimberga præſertim, inſigni quodam & vere aureo Codice ſuperbit, cujus præſtantiæ deſcribendæ imparem cum ſe videret Autor, hunc *Capite IV* rudi ſaltem, quod ajunt, penicillo delineandum ſuſcepit. Codex eſt, quem purpureus fucus ornat, cujus titulus minio, & charta cedro, notatur, geminæque frontes fragili pumice nitent. Aureis ligatura ſtriis, aureoque ſcuto, fulget, quod tanti erat, ut æri inciſum Heraldicorum quoque ſtudiis inſerviret. Ætatis eſt recentiſſimæ; vix enim Seculum XV excedit. Sed, miram ejus eſſe præſtantiam, ſcito. *Innocentio V* inſcriptus eſt, librarii forte deſcribentis errore; alii e-

nim Scriptores omnes Opus hoc *Alexandro V* dicatum referunt. *Angeli* verſionem habet incorruptam, nævoſque omnes & errores *Angeli* ſancte ſervat. Tabulæ inſertæ *Nicolaum Germanum* autorem ſuum agnoſcunt; qui qualis fuerit, (eſt autem *Nic. Donis*,) & quando vixerit, curioſe ſatis & erudite docet Autor, hunc a *Nicolao Hahn*, quem Typographum *Maittairius* falſo putat, itemque a *Nic. Cuſa*, diſcernens. Ceterum in laudando minio auroque Codicis *Ebneriani* ita verſatur, ut aliis videri poſſit nimirum laudaſſe. *Quintum Caput* Græcas & Græco-Latinas editiones, perpaucas ſane & raras, recenſet. Primus in edendo Græco textu laboravit *Eraſmus Roterodamus*, quem e Codice *Theobaldi Fettichii*, Medici Ingolſtadienſis, A. 1533, 4, apud *Frobenium* produxit. Secutus eſt Pariſiis A. 1546 *Chriſt. Wechelius*, cujus prodiit editio in 4. Græce & Latine edidere Amſtelodamenſes librarii A. 1605 & 1618 in *folio*, ſed una eſt eademque editio, quæ, mutatis tantum titulis, non ſemel eruditis impoſuit. *Capite VI* editiones *Geographiæ Ptolemaicæ* Latinas, Seculo XV impreſſas, recenſet, & egregia multa de libris ſub initium Typographiæ excuſis tradit Autor, oculariique inſpectione meliora edoctus, errores quam maximos *Maittairii* aliorumque corrigit. Illa inde repetere, inſtituti noſtri non eſt; editiones tamen, quas ſub examen vocat Autor, nominatim indicabimus. Sunt vero hæ: Bononienſis anni 1462, pro quo legendum Autori 1482 videtur; Vicentina A. 1475, Romana A. 1478, item A. 1482, Ulmenſis A. 1482, & 1486, Romana denique A. 1490. *Capite VII* ſequuntur Latinæ editiones Seculi XVI, Romana A. 1507 vel 1508, Veneta A. 1511, Argentoratenſis A. 1513, Norimbergenſis A. 1514, Argentoratenſis A. 1520, & 1522, fictitia Norimbergenſis A. 1524, vera Norimbergenſis A. 1525, Lugdunenſis A. 1535, & 1541, Colonienſis A. 1540, Baſileenſis A. 1540, 1541, 1542, 1545, & 1552, Ingolſtadienſis A. 1553, Veneta A. 1562, Colonienſis A. 1584, Baſileenſis A. 1582, & 1584, Veneta A. 1596, Colonienſis A. 1597. *Capite VIII* editiones Latinas Seculi XVII, non adeo frequentes, enumerat,

rat, quarum una Arnhemii A. 1607, altera Bononiæ A. 1608, excusæ putantur, causasque paucitatis hujus detegit. *Cap. IX* Versiones Geographiæ *Ptolemaicæ* in linguas peregrinas nominat & expendit, Italicam quidem *Petri Matthioli*, & *Hier. Ruscelli*, (quam *Rosaccius* nonnihil emendavit,) Gallicam *Antonii Verdierii* ineditam, Lusitanicam, Ulyssipone A. 1537 editam, & Germanicam tandem, Persicamque, quarum ultima inter Codices MStos *Hinkelmannianos*, teste Catalogo, exstitisse creditur, sed, Catalogum illum, quem *Starckio* debemus, innumeris scatere erroribus, jam dudum compertum est. Multi etiam fuere *Ptolemai* Commentatores, *Nicolaus Donis*, *Jo. Regiomontanus*, *Jo. Wernerus*, *Jo. Stœflerus*, *Jac. Zieglerus*, *Mich. Servetus*, *Franc. Berlinghierius*, cujus postremi opus MStum in Bibliotheca Comitis *Pertusati* reperitur. Quæ *Paulus Decanalis*, *Menso Altingius*, *Rudolphus a Salicibus*, in *Ptolemæum* tentarint, ultimo loco *Cap. X* exponit. Sequente *XI* insignes variationes Tabularum Geographicarum, ad mentem *Ptolemai* delineatarum, indicat, &, qui *Agathodæmonis*, qui *Nicolai Donis*, labores fuerint, nos docet. Ultimum tandem *Caput XII* promissas *Geographiæ* editiones offert. *Petrus* enim *Apianus*, Græcum textum cum *Pirckheymeri* versione se editurum, promisit, eundemque laborem ipse *Pirckheymerus* in se brevi post recepit. Pari mente fuisse *Isaacum Vossium*, ex ejus *Melâ* apparet. *Eduardus* quoque *Bernardus* Corporis Scriptorum veterum Mathematicorum, 14 Voluminibus conflandi, Volumini 13 inserere destinaverat *Geographiam Ptolemaicam*. *Jacobus* tandem *Gronovius*, præcone *Fabricio*, editionem suam eruditis annuntiavit quidem, sed non exhibuit. Accedunt in fine eorum, quæ in ipso Opere dicta sunt, Supplementa.

JOANNIS VOGTII CATALOGUS HISTORICO-Criticus Librorum rariorum, accurante JANO LIBRARIO.

Hamburgi, ſumtibus Chriſtiani Heroldi, 1738. 8.
Alph. 1 plag. 18.

Varia de libris rarioribus jam exſtare ſcripta, vel nobis tacentibus, ſi non omnibus, ſaltem plurimis, cognitum eſſe cenſemus. Quis enim *Jacobi Frid. Reimanni*, *Richardi Simonii*, *Hieron. Aug. Groſchuſii*, *Jo. Chriſtoph. Wendleri*, *Georg. Serpilii*, *Joach. Ern. Bergeri*, *Andr. Weſtphali*, *Nicol. Franciſci Haymii*, *Theoph. Sinceri*, aut, ſi mavis, *Georg. Jac. Swindelii*, *Jo. Georg. Schelhornii*, *Aug. Beyeri*, *Mich. Maittairii*, aliorumque, labores haud contemnendos neſcit? Quæ ergo doctiſſimi Viri paſſim obſervarunt de libris rarioribus, ea Vener. Autor ante quinque jam annos in unum coegit librum, & hoc, quem indicavimus, titulo juris publici fecit, variaque ex diviti ſua penu adjecit notatu digna. Hic, utilis certe, labor adeo ſe probavit bibliophilis, ut brevi temporis ſpatio ejus exempla diſtraherentur, adeoque de nova paranda editione Autori eſſet cogitandum. Priore igitur editione melior & caſtigatior non ſolum, ſed etiam inſigni acceſſione locupletatus, in præſenti prodiit hic Catalogus, retento, quem antea ſibi propoſuerat Autor, ordine alphabetico. Magnus profecto numerus eorum librorum, qui raritate ſeſe commendant, hic exhibetur; qui vero omnes hic quærere vellet libros rariores, majorem diligentiam & notitiam ab uno requireret homine, quam ab eo poſſet exſpectari. Cui, quæſo, tam felici eſſe contigit, ut, non dicam omnes, ſed præcipuos, libros rariores inſpiciendi copiam haberet. Et ubi terrarum exſtat Bibliotheca, quæ illos in ſe contineat omnes, aut ſaltem plurimos? Facili adeoque negotio ſubinde quædam addi poſſe, quivis perſpiciet. Propterea vero Cl. Autori laus digna haud poterit denegari. Facilius eſt addere, quam invenire. Negare tamen nolumus, nonnulla in hoc Catalogo apparere ſcripta rariora, quæ forſitan ad hanc claſſem vix referenda fuiſſent. Nimiam iis fidem habere videtur Autor, qui Catalogos imprimendos curarunt vendendorum librorum gratia. Plerumque illud: *rariſſimus liber, liber raritate rarior*, &c. quas etiam formulas diligenter

ter

ter a *Vogtio* repetitas animadvertimus, adſcribunt illi homines, ut pretium majus his libris ſtatuatur, & imperiti decipiantur. Experientia ipſa, & inſpectio libri, hoc ſatis teſtatur. Forſan & paulo copioſiorem nonnunquam deſcriptionem librorum exoptarent nonnulli. Enimvero fines, quos ſibi præſcripſerat Autor, hoc ipſi haud permittebant. Non hiſtoriam, ſed Catalogum, librorum rariorum contexere decrevit. Fontes præterea indicavit, ex quibus ſitim harum rerum amatores reſtinguere facile poſſunt. Jubetur igitur, qui plura ſcire cupit, citatos Autores evolvere.

COMMERCIUM LITERARIUM CLARORUM Virorum, e Muſeo RUD. AUG. NOLTENII. *Tomus I & II.*

Brunſuigæ, ex officina libraria Rengeriana, 1737 & 1738, 8. Alph. 1 plag. 6.

Præclariſſimus Autor, qui *Jus & Conſuetudines Villicorum* nuperrime, & olim illuſtris *Velthemiæ* gentis hiſtoriam, *Diatriben epiſtolarem de Juribus Cleri in Ducatu Brunſuicenſi*, ac *Commentationem de Jure Funerum in Ducatu Brunſuicenſi*, nec non alia, concinnavit, ediditque, ſtudium ſuum ad colligendas eruditorum Epiſtolas appulit, e quibus vel Hiſtoria literaria, vel diſciplinæ ac ſcientiæ, lucem fœnerantur. In Præfatione, *Tomo I* præmiſſa, docet, eum duntaxat Epiſtolarum edendarum ſcopum eſſe debere, ut indicem & characterem animi hujus vel illius eruditi perſpiciamus, eorum inſtituta & labores pernoſcamus, detegamus Pſeudonymos & Anonymos, varia eruditorum fata & honorum acceſſiones intueamur, & judicia viventium de libris editis eruamus. Notat porro ingraveſcentem, qua Germani Germanice vel Gallice ſcribunt, conſuetudinem, quippe uſui publico, qui linguam univerſalem & communem poſtulat, adverſam, judicio *Petri Burmanni* approbato. Addit brevem Epiſtolicarum Collectionum recenſionem, prædicans gratiam Perilluſtris *Rudolphi Joannis* L. B. *de Wrisberg*, *Meibomii & Maertenſii* huma-

nitatem, nec non auſpicatum illud ſidus, quo afflante Epiſtolas *Baluzio-Conringianas* nactus fuerit. *Tomus I* complectitur Epiſtolas 84. Nos more noſtro potiſſima delibabimus.
Tom. I Primo in ſcenam prodit Epiſtola *Joannis Craigi*, Doct. Phil.
pag. 5. & Med. Edimburgo data ad *Tychonem Brahe. Craigius* auto-
10. ritatem *Ariſtotelis* obſervationibus *Tychonis*, ac ſcripto hujus de Cometis, opponere ſuſtinuit, qui Cometas pro corporibus duris ac durantibus haud habuit. Ipſi arriſit *Ariſtotelis* ſententia, ſtatuentis, Planetas orbium certorum eſſe partes, & abſque orbibus propriis moveri. Ad ſyſtema *Tychonicum*
11. monet, abſurdum ſibi id videri, *Martem acronythum* (lege: *acronychum*) terris propiorem fieri, quam ſolem: ſuadens, ut punctum, terræ vicinius, quam ſol, centrum ſtatuatur ſyſtematis cœleſtis. Utinam hujus generis Epiſtolas eruditi protraherent complures! Stili inelegantiam, quam adhibuit *Craigius*,
15 ſeq. emollit ac ſarcit ſubſequens Epiſtolarum *Joannis Caſelii* collectio. Sed, licet *Caſelii* Epiſtolæ ſint plano, puro, & compoſito, dicendi vel ſcribendi genere elaboratæ, deſideramus tamen in eis merito materiam, e diſciplinis, ſcientiis, vel hiſto-
23. ria memorabili, collectam. De juvenum itineribus, in extraneas provincias ſuſcipiendis, *Caſelius* prudenter judicavit, qui
28. conqueritur de factioſis collegis, inſcitiæ litantibus. *Muretus Julii Cæſaris Scaligeri* fuit obſervantiſſimus, ac *Joſephum Scaligerum* juvenem Romæ excepit bene, redeuntemque ad
30. ſuos ultra Senas in Sancaſſianum deduxit. Brunſuicenſes A.
41. 1606 Senatusconſultum feciſſe, ex *Caſelio* diſcimus, de fundi-
47. tus delendo Helmſtadio, tribus domibus exceptis. Ipſe de eruditione fœminarum ſic ſentit: *Mulierem a conditione muliebri non longius abire expedit, neque philoſopha ſit, ut neque*
57. *poetria, neque pſaltria, neque cithariſtria.* Idem admodum ſenex deſideravit aulæ gratiam, ac ex crebris Academiæ mu-
59. tationibus in magno fuit ære alieno. Ipſe de numero Aca-
106 ſeq. demiarum: *Academiarum eſt in Germania ſatis.* Omiſſis reliquis, progredimur ad ea, quæ ex *Conringii* literis ad Ducem Brunſuico-Luneburgenſem, *Auguſtum*, decerpta ſunt. De Supplementis Hiſtoriæ *Thuani*, ab Autore profectis, tunc MStis, de

de nova Bibliorum versione Germanica, de figura nivis sexangulari, de *Jo. Henr. Hotttingero*, de *Henrico Bangerto*, de præceptorum divinorum distinctione secundum Judæorum opinionem, de *Leone Allatio*, de *Wiero*, magiæ suspecto, de *Christophori Broweri* Annalibus Trevirensibus, de *Fortunio Liceto*, *Isaaci* Opere medico rarissimo, Menologio *Canisii*, de *Ant. Augustini* meritis in Jurisprudentiam, de *Hiddone Frisio*, & *Petro Lambecio*, aliisque momentis, doctissime *Conringius* exposuit. Binæ *Stephani Baluzii* literæ, ad *H. Conringium* datæ, scatent rebus, ad Historiam & literariam & ecclesiasticam spectantibus. Præstantiores sunt reliquis propemodum eæ, quæ ad *Henricum Meibomium*, ejusque filium, *Hermannum Dietericum*, a diversis sunt datæ. In Epistola *Jacobi Frid. Reimanni*, tum Rectoris Halberstadiensis scholæ, hæc leguntur: *Si* Annales Torquati *mecum communicare non dedignaveris*. *Tomus II* offert Lectori Epistolas *Philippi Melanchthonis*, *Pauli Eberi*, *Nicolai Selnecceri*, *Davidis Chytræi*, *Wilhelmi Bidenbachii*, ac *Joannis Caselii*, quas, verba apte compositurus, ipse in Italiam mittere destinaverat. *Muretum*, tradit, ad sese Rostochium scripsisse literas, quem constat ignorasse Rostochii situm. Prudenter egit *Caselius*, quod annum omisit literis illis in Italiam missis in fine adjungere. Succedunt *Hermanni Conringii* ad diversos literæ, e quibus patet, ipsum, inopia vitæ Academicæ adactum, artem medicam facere cœpisse, *Aristotelis* jugo perferendo fuisse addictissimum, ac ingenito ceteroquin excelluisse judicio. *Joachimus Hildebrandus* incurrit olim suspicionem fastus inepti. In nuptiis *Friderici Ulrici Calixti* fœcundi calices convivas fecerunt disertos. Odio Tubingenses Theologi, exeunte Seculo XVI, admodum exarserunt in Vitebergenses. *Nicolaus Selneccerus*, A. 1589 d. 15 Dec. Magdeburgi commoratus, egit vitam privatam, ad incitas fere redactus, adeo, ut evocationem ex miseriis, id est, mortem, expeteret. Spes, quas *Henricus Meibomius* de *Melchiore Schmidio*, posthæc in Academia Julia Græcæ Linguæ Professore, conceperat, maxima ex parte fuerunt in ipso eventu irritæ. Prodit hic etiam in lucem *Methodus reducendæ unionis ecclesiasticæ inter*

[Margin: Tom. I pag. 110. — 114. — 138. — 157 seq. — 176. — Tom. II — pag. 256. — 297. — 314. — 315. — 322 seq. — 321. — 324.]

inter Romanenses & Protestantes, jussu Serenissimi Episcopi
Tom. II Osnabrugensis ac Ducis Brunsuico-Luneburgensis, *Ernesti*
pag. 328 *Augusti*, a *Gerardo*, Abbate Luccensi, & *Hermanno Barkhaus*,
seq. A. 1683 conscripta, quæ laborat ea contradictione, ut desideret, nos manere Evangelicos & Protestantes, simul vero pendere a nutu & arbitrio Episcopi Romani largiatur, qui utique non nisi unos fidei articulos & decreta dudum sancita admittere pro veris potest. Egregia est *Caroli Gobieni* ad *Sparvenfeldium* de rebus Sinicis Epistola. S. Rev. *Jo. Georg. A-*
351. *bicht* unionem religiosam, Reformatos inter & Lutheranos, impossibilem haud judicat, si per vim res geratur, sed veretur, ne ex duobus quatuor nascantur proles, matribus suis multo pejores. Attentionem meretur *Frid. Bened. Carpzovii* ad *Frid. Ulric. Calixtum* Epistola, qua B. *Philippus Jacobus Spenerus* admodum defenditur, & hæretificandi studium
352 seq. Witebergensibus exprobratur, *Spenerum* vero esse orthodoxum, indicatur. De literis *Jo. Andr. Schmidii* & *Christiani Schlegelii* jam nihil memoramus. Succedunt literæ *Gothofr.*
368. *Guil. Leibnitii*, ad *Jo. Henr. Ritmeierum* datæ. Amœnum est commercium epistolicum, quod *Cornelius Dietericus Ko-*
373. *chius* cum *Jo. Georg. Eccardo*, *Optimio Oudino*, *C. S. Schurzfleischio*, *Jo. Franc. Buddeo*, *Adamo Rechenbergio*, *J. H. Gebhardio*, Rectore Gymnasii Brunsuicensis olim celeberrimo, *Gothofr. Oleario*, aliisque, exercuit. Ad arcana philosophiæ *Buddeanæ*
381. hoc est referendum: *Non qualibet sui ipsius cædes pro crimine reputanda, sed ea, quam, nulla nos urgente inevitabili necessitate, deliberato animo consiliove, suscipimus.* Ipse septem mo-
385. do *Observationum Halensium* Tomos curavit edendos. *Jo. Hermanni Schminckii* Epistola, ad *Jo. Georg. Eccardum* data,
404. est accurate & docte scripta. Agmen claudunt Epistolæ B. *Theodori Hasæi* ad Virum egregium, *Jo. Christoph. Harenbergium*, tum Rectorem Scholæ Gandershemensis, exaratæ, quibus de hujus scriptis ad Bibliothecam Bremensem, Museum Bremense, & Thesaurum Theologico-Philologicum Amstelodamensem, exornandum missis, inprimis de *Geographia sacra*, notitia suppeditatur. Gratulamur Autori institutum, ejusque continuationem serio exoptamus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXXVIII.

CODEX THEODOSIANUS, CUM PERPEtuis Commentariis JACOBI GOTHOFREDI, Viri Senatorii, & Jurisconsulti superioris Seculi eximii. Præmittuntur Chronologia accuratior, Chronicon historicum, & Prolegomena; subjiciuntur Notitia Dignitatum, Prosopographia, Topographia, Index rerum, & Glossarium nomicum. Opus posthumum, diu in foro & schola desideratum, recognitum, & ordinatum ad usum Codicis Justinianei, opera & studio ANTONII MARVILLII, Antecessoris primicerii in Universitate Valentina. Editio nova, in sex Tomos digesta, collata cum Codicibus MStis, antiquissimo Wurceburgensi, Gothano, & libris editis, iterum recognita, emendata, variorumque Observationibus aucta, quibus adjecit suas JOAN. DAN. RITTER, P. P.

Tomus III.

Lipsiæ, sumtibus Weidmanni, 1738, fol.
Alph. 6 plag. 5.

Prodit jam, quod vehementer gaudemus, elegantissimi Operis *Tomus tertius*, Libros Codicis Theodosiani duos continens, quibus *de Criminibus, de criminali Processu, de Jure Fisci, & de Rebus fiscalibus*, agitur. Notas & Commentarios *Jac. Gothofredi*, qui Principum Constitutiones, antiquumque Jus omne, diligentissima opera illustrare apud animum consti-

tuerat, laceros mutilosque hinc inde, Cl. Editor ea accuratione se restituisse profitetur, ut, quod morari lectores valeat, nihil fere supersit. Perlustravimus Titulos singulos, atque non tantum lacunas, quæ in priore apparent editione, suppletas multo studio animadvertimus, quod testatur inprimis Commentarius *ad Legem 6 ad Leg. Jul. de Adulter.* verum etiam Observationes haud paucas vidimus, in quibus partim veterum ac recentiorum Autorum, ad intimam Juris antiquitatumque cognitionem facientia, testimonia adducuntur, partim in conjecturas *Gothofredi* inquiritur. Exemplo erit famosa lex *Quisquis 3 ad Legem Cornel. de Sicar.* quæ, licet alias edita, novo tamen hic apparet habitu, & necessariis illustrata animadversionibus, & cum cura indicatis veterum Autorum, Græcorum pariter ac Latinorum, locis. Marmora quoque ad rerum antiquarum elucidationem majorem apparent integra, cum ex detruncatis quasi membris sæpenumero vix accurate de disputatis, iisdemque gravioribus, judicare liceat. Observavimus magnum lapidum veterum numerum variis in locis, & inprimis *pag. 151 seq.* ad Titulum *de Sepulcris violatis,* cujus Tituli *legem 6* Viri apud Italos non solum, sed & exteros omnes, famigeratissimi, *Lud. Ant. Muratorii, Dissertationes* binæ, *de Veterum Christianorum sepulcris,* dilucide & perspicue expediunt, quas ut integras apponeret Cl. Editor, fecerunt variæ variorum injuriosæ partim, partim invidiosæ, disputationes de sepultura sacris in ædibus Christianorum. Legimus etiam multa ab *Anton. Pagio* adversus *Gothofredum* disputata, e. g. *pag. 308* de tyrannide *Attali,* & *pag. 331, 369, 370, ad Leg. 13 de Pœn. & de bonis proscriptorum,* profligatas a Monacho doctissimo *Baronii* & *Gothofredi* conjecturas cernere licet. Et Ill. *Ez. Spanhemii* observata contra *Gothofredi* opinionem, quod sub *Constantio* demum appareat Arabiam Petream juris fuisse Romani, jure sibi locum *pag. 322* vindicarunt. Græca Constitutio ἀνεώχθωσαν, subdita *legi 4 de his, qui ad Eccles. confug.* diligenter collata cum Codicibus & MSto *Segui,* quo *Nicolaus Coletus* usus, & a multis etiam purgata mendis est. In Præfatione Doctiss. Editor perdifficilem atque perobscuram tractavit quæstionem, ab *Antonio Pagio* in *Critica ad Annal. Baron. ad*

A. 380

A. 830 propoſitam. Cum enim videre liceat in legibus utriusque Codicis, eo anno datis, *Præfectos Prætorio quatuor* in Orientis imperio, quod adminiſtrabat *Theodoſius M.* idque laudatus modo *Pagius* obſervaſſet, non dubitavit ſcribere *ad an. cit. num. 3: Mirum eodem anno, iisdem ſæpe menſibus leges a Theodoſio directas ad quatuor Præfectos Prætorio, ad Neotherium nempe, Eutropium, Florum, & Tatianum, ut videre eſt in Chronologia Codicis Theodoſiani anno 380, quod a Gothofredo non animadverſum, & cujus rei cauſa mihi incomperta.* Leges, ſcrupulum injicientes, in *Cod. Theodoſiano* ſunt *8* & *9 de Bon. proſcriptor. l. 2 ad Leg. Jul. repetundar. l. 6 de Sponſalib. l. un. Si provinciæ rector. l. un. Si quacunque prædit. poteſt. l. Quicunque, de iis, quæ adminiſtrant.* & in *Codice Juſtinianeo l. 3 de Litigios.* exque omnes *Theſſalonicæ*, anno allegato eodem die datæ. Verum, pervulgatum cum ſit, Romani imperii formam in Oriente quatuor Præfectos Prætorio non admittere, omnem navavit Cl. Editor operam, ut, emendatis legum inſcriptionibus, probaret, Præfectos duo, non quatuor, dicto anno 380 in Orientali fuiſſe imperio. Atque, quod attinet ad *Neotherium*, hunc memorato anno adminiſtraſſe Orientis Præfecturam Prætorio, ex *l. 9 Cod. Th. de Tiron.* & *l. 3 de Deſertorib. Cod. eod.* probatum dedit. Leges enim illæ A. 380 inſcriptæ ſunt huic *Neotherio P. P.* dicunturque *propoſitæ Antiochiæ;* qui locus, legibus additus, indubitatum præbet argumentum, eum *P. P. Orientis* fuiſſe, quandoquidem nemo ignorat, magiſtratus non niſi in iis, quibus erant præfecti, provinciis leges proponere potuiſſe. Quo ſtabilito, nemo non videt, male facere *Gothofredum*, quando in *Proſopographia Cod. Theodoſiani* ſtatuit, *Eutropium anno 380* Orienti præfuiſſe: neceſſum enim erat argumentari, Orientalis Illyrici eum P. P. fuiſſe, etiam ſi nulla lex id innueret. Verum enim vero innuunt id ſatis ſuperque leges *Theodoſiani Codicis*, in *Chronologia* apparentes, quæ datæ ſunt eo *anno 380* ad *Eutropium* in Illyrici Orientalis civitatibus, *Hadrianopoli* & *Theſſalonicæ*. Seductum autem fuiſſe *Gothofredum* a binis *Gregorii Nazianzeni Epiſtolis, 137 & 138*, monſtrat Cl. Editor; in quarum priore Εὐτρόπιος ὁ μέγας audit, & Ἄρχων,

in altera vero narratur, eundem ὑψηλόταΐον tenuiſſe θρόνον, eique *Gregorium* in Aſia obviam factum. Hoc enim viſo, *Gothofredus* audacter ſcribit: *clare hæc oſtendunt, Eutropium P. P. Orientis fuiſſe.* At, cum ſcribat *Gregorius*, ſe *Eutropio* in Aſia obvium factum, *cum ſublimiſſimum is teneret thronum*, id in *annum 380* nullo modo incidere potuit, quod eo anno toto *Nazianzenus* in Conſtantinopolitana civitate, ut electus, ſequentique anno in Concilio ibidem habito confirmatus, Epiſcopus ſedit. Hoc ergo tempore *Eutropio* in Aſia obvius fieri nequaquam potuit. Et, licet mox finito Concilio *anno 381* Epiſcopus abitum ex dicta urbe paraverit, locum nimirum *Nectario* faciens, *Eutropium* tamen eo *anno 381* in Aſia *ut privatum* convenire non potuit, quo ille toto dignitate P. P. uſus eſt, ut videre licet in *Chronolog. Cod. Theodoſ.* Utraque autem Epiſtola teſtatur Epiſcopus, *Eutropium* tum temporis, quando ſermones cum *Gregorio* habuit, *privatam vixiſſe vitam.* Recte itaque vidiſſe *Valeſium* ſcribit Cl. Editor, quando ad *Marcellinum Lib. XXIX Cap. 1* (quo loco Hiſtoricus de Proconſulari Aſiæ poteſtate, quam ſub *Valente Eutropius* obtinebat, differit,) notat, dictas *Gregorii* Epiſtolas Proconſulatus tantum honorem innuere. Poſteaquam vero Cl. Editor & Orienti & Illyrico Orientali Præfectos ſuos aſſignavit, ad *Florum* & *Tatianum* pergit, qui ſæpius memorato *anno 380* eodem menſe dieque in legum inſcriptionibus P.P. audiunt. Et ad *Florum* quidem quod attinet, is P. P. dicitur in *Leg. Quicunque, de iis, quæ adminiſtr.* cujus autem legis inſcriptionem manifeſte falſam pronuntiat Cl. Editor, idque jam olim *Gothofredum* ad dictam Legem *not. b.* ſubodoratum ſcribit, quæ nota ita concepta eſt: *mihi tamen hæc lex protinus inſcribenda videtur Eutropio P. P.* Qua tamen emendatione nil opus, ſed reſcribendum tantum *Floro M. O.* Occaſionem errori dedit ſequens lex *Numerarii Cod. Th. eod. Tit.* quæ *Floro* huic *Præf. Præt.* inſcribitur, *anno* tamen demum *382*, quo ille omnino in hac dignitate fuit conſtitutus. Sed, *anno 380* eundem *Magiſtrum Officiorum* fuiſſe, apertiſſime docet lex *3 Cod. Theod. de agent. in reb.* uno die ante dictam legem *Quicunque*, & in eadem Theſſalonicenſium civitate, data. Librariorum itaque fœda

fœda ignorantia confudit notas *mo* cum *po* aut *ppo*, uti sunt in MStis. Et, ne quid ad sententiæ prolatæ probationem desit, provocat Cl. Editor ad *leg. 6 Cod. Theod. de Curios.* quæ *anni 381 initio* data est, in cujus inscriptione *Florus* extensis literis audit *Magister Officiorum*. Inauditum vero & ἐκ τῶν ἀδυνάτων, illum, qui *anno 380 P. P.* fuit, fieri sequenti retrogrado ordine *M. O.* Et multæ præterea leges Codicis *Theodosiani*, quas in *Chronologia* videre licet, *Florum, anno 381* jam sub finem vergente, Præfectura Prætorio ornatum fuisse, abunde demonstrant. Tandem de *Tatiano* differit Cl. Editor, quem lex *3 Cod. Just. de Litigios.* nobis eodem *anno 380 Præfectum Prætorio* obtrudit: cum vero apertissimum adduxerit locum ex *Zosimi Histor. Lib. IV Cap. 45*, quo narratur, *Tatianum anno* demum *388 Præfectum Prætorio* factum esse, & successisse *Cynegio*, absque omni dubitatione rescribendum *d. l. 3 Cod. Just.* ad *Tatianum CSL.* quam dignitatem eum gessisse probant complures Codicis *Theodosiani* leges, quemque magistratum & verba dictæ legis, *Quicunque rem litigiosam, vel ambiguum chirographum, quodlibet denique mobile vel immobile, fisco nostro legaverit*, &c. requirunt, quandoquidem nemo ignorat, *Comitem SL.* de iis omnibus cognovisse, quæ ad fiscum pertinere poterant. In fine de affectis *Gothofredi* Operibus, quorum mentio facta in hoc *Tomo tertio*, dictum est. Inde intelligimus, meditatum esse magni nominis JCtum *Observationes in Observationes Cujacii, Francica, Statum imperii Romani, Orthographiam Codicis Theodosiani*, & *Animadversiones in Appendicem Cod. Theodos. Cl. Sirmondi.*

HISTOIRE DES PAPES DEPUIS S. PIERRE jusqu' à Benoît XIII inclusivement &c.

h. e.

HISTORIA DE PAPARUM, INDE A S. PETRO usque ad Benedictum XIII. Tomus quintus, à Pio V. ad Benedictum XIII, cum Indice alphabetico, ad materias totius Operis conformato.

Hagæ Comitum, apud Henricum Scheurleer, 1734, 4 maj.
Alph. 3 plag. 19.

Coronidem Operi dudum addidit Autor longe diligentiſſimus. Obliti fueramus propemodum recenſionis, quam afferre debemus, præ librorum aliorum in dies editorum multitudine. Serio autem, licet ſerius, ad Operis tanti finem & ipſi properabimus. *Tomi* hujus initia deducuntur ab anno 1566, quo *Maximilianus II* Germaniæ, & *Carolus IX* Galliis, præerat, Cardinalis vero Alexandriæ per taciturnam *Caroli Borromæi* prudentiam ſub nomine *Pii V* habenas ſedis Apoſtolicæ capeſſebat, qui antea vocatus fuerat *Michael Gislieri*, ortus ex familia admodum obſcura. Ex *Onuphrio* pleraque Noſter, de *Pio V* acturus, deſumſit, in ſubſidium vocatis *Hiſtoria conclavium*, *Thuano*, *Famiano Strada*, *Buchanano*, *Varillaſio*, *Aonio Paleario*, *Gregorio Leti*, &, quod mireris rurſum, *Heideggeri Hiſtoria Papatus*. Laudanda erant in *Pio V* animi excellitas ſingularis, vitæ integritas, & emolumenti proprii neglectus;
Pag. 5. notanda e contrario inflexibilis animi pervicacia, ad ſeveritatem progrediens, libertasque loquendi, diſſimulationes excludens, quæ ad artes politicas non potuit referri. Actiones ejus
6. ambitionem, judice Noſtro, loquuntur immoderatam, ac crudelitatem, ex ſeveritate eminentem. Vivos enim comburi juſſit hæreſium ulla ratione ſuſpectos, *Julium Zoanneti*, *Petrum Carneſecchi*, elogio digniſſimum, *Aonium*que *Palearium*, virum ſane honeſtum, & ſcriptorem ſeculi ſui eximium, eo quod in *Oratione III* monuerat, Lutheranos doctores in rebus nonnullis eſſe laudandos, ac tribunal inquiſitionis deſtinatum eſſe viris doctis e medio tollendis. De *Paleario* in hiſce *Actis* complura fuerunt allata, quæ recoquenda non ſunt. Vide *A. 1696 Menſ. Jan. p. 43 ſeq.* Graviſſimas edixit pœnas *Pius* in hæreticos, in fœminas corpus vulgantes, & in vniverſum fere genus mortalium. Habebant eum Itali pro paſtore ſevero & integro, ſed Princi-
8. pe ſatis imprudente ac immoderato. Ipſum tamen exſtitiſſe benignum in pauperes, in equites Melitæ, & in ipſum Imperatorem, adverſus Turcos bella gerentem, inficiari non licet. Ad res in Germania gerendas *Commendonius* Cardinalis ipſo Pon-
10. tifice erat cautior & aptior. In Belgio motus religionis gliſcebant, quos ſeveritate irritabat & augebat Pontifex, accendens *Philippum*

lippum II exhortationibus perpetuis ad tentanda in Belgas cru-
deliora. Quod *Maria*, Scotiæ Regina, maritum neci dederit, cru-
deliterque luce privandum opera *Bothvellii* curaverit, id ple- Pag. 12.
rumque irritamentis *Pii* solet attribui, suspicantis, Regem Pro-
testantibus favere. *Pius* in Gallia jussit premi torquerique Hu-
genottas seu Reformatos, auxiliis Regi eo fini submissis. Asy- 14.
lo Calvinianorum Genevæ obsidionem inopinatam desti-
naverat. *Cosmum* Mediceum creavit Ducem Magnum,
ac in eo erat, ut Romæ ei, inconsulto Imperatore, regi-
um diadema esset impositurus. Conjuratio, quam in *Elisabe-
tham*, Angliæ Reginam, & Protestantes, ibi commorantes, sua-
serat, pecuniaque sustentaverat, A. 1569 innotuit, ac noxæ con- 17.
victos absumsere supplicia. Hinc *Pius* fulmen sacrum evibra-
vit in Reginam, eique subjectos ab obedientiæ vinculo absolvit.
Sed hoc quoque consilium male successit. Victoria, qua Tur-
ci ad Naupactum prosternebantur, *Pio* videbatur dedisse ansam
solicitandi & concitandi literis Reges Persidis, Arabiæ felicis,
& Abassiniæ, adversus Turcos. Obiit tandem vir ille, avari- 20.
tiæ expers, a ditandis consanguineis alienus, ac justo severior,
experientia minus præmunitus, ac negligenter domestica tractans,
A. 1572, lætante Roma magnam partem, aliis sanctitatem ejus 21.
desiderantibus. Ex hac vitæ adumbratione, qualis sit scripto-
ris nostri indoles methodusque characteristica, satis patescit.
Addemus vitæ vnius & alterius compendium, adjuncturi dein-
ceps judicia & facta, quæ Autor expromsit, singularia, post-
quam monuerimus, jussu *Pii V* Catechismum Romanum ex de-
creto Concilii Tridentini fuisse editum, de qua historiæ *Pii* par-
te scriptor nihil significavit; Breviarium etiam Romanum
ab eo restitutum, jussuque ejus editum. *Gregorius XIII*, *Pii V*
successor, erat admodum doctus, & pietatem mansuetudini jun-
ctam præferebat. Cardinalis *Montaltinus*, postea *Sixtus V*, 25.
hypocrisi suæ sese involvens, ei erat gratiosissimus, ac dissuade-
bat gaudia publica de laniena Parisiensi, quamvis tormentis ex
mole *Hadriani* publice exoneratis ac ignibus artificialibus actio
illa, quam Ven. *Perefixius* execrabilem appellavit, fuerit Ro-
mæ concelebrata. *Gregorius XIII*, in locupletanda sua familia
assi-

Pag. 33. aſſiduus, exſtirpandis hæreticis, præcipue in Anglia, non niſi
preces, miſſas, orationes, in Conſiſtorio recitatas, & Jeſuita-
rum miſſiones, impendit, magnitudinis ſuæ in eo non obli-
tus, quod dirimere controverſias de regno Portugalliæ proxime
vacaturo ſuarum ducebat eſſe partium, quas nemo felicius deci-
debat famoſiſſimo Albæ Duce, juſſu *Philippi II* exercitibus Lu-
ſitaniam obſidente ac pervadente. Papa ſexum ſequiorem non
35. neglexerat, ſpurium nactus *Jacobum Bon-Compagno*, quem
Principibus reddebat parem. Calendarii novi Bullam, & *Geb-*
39. *hardi*, Archiepiſcopi Colonienſis, nuptias, tumultusque inde ex-
ortos varios, omittimus, una cum Japonenſium tribus Legatis,
A. 1584 Romam ingreſſis. *Gregorii* actiones deſignabant in-
dolem lenem, beneficam, prudentia & moderatione inſignem,
tardam vero & negotiorum civilium admodum negligentem.
44. Miramur, Autorem de controverſia calendaria ac inſtituto ipſo,
per quod emendatio Calendarii fuit perfecta, nihil fere attu-
liſſe, cum lector, rerum mathematicarum haud expers, cau-
45 ſeq. ſam ipſam curatius noſſe ſtudeat. Vita *Sixti V* maximam par-
tem ex *Gregorio Leti* deſumta eſt. Juvat admirari ſagacitatem
& prudentiam Reginæ *Eliſabethæ*, quæ per ipſum *Sixtum V*
Pontificem religionem reformatam in Anglia texit, Hiſpano-
rumque potentiæ excreſcenti frenos impoſuit. Egit enim *Six-*
tus cum ea non tanquam eccleſiæ ſuæ paſtor, ſed ceu Princeps,
deſtinationibus politicis, ac inprimis acquirendo Neapolitano
85. regno, intentus, quare *Eliſabetha* eum vocavit *Papam Princi-*
pem, qui non ſit *Papa Sacerdos*. Ipſum interiiſſe veneno ab
ab aliis propinato vel ingeſto, nonnullis argumentis in medium
86 ſq. allatis negat Noſter, qui paullo poſt, ſui oblitus, vitam *Ur-*
bani VII ita concludit: *Conſtituerat veſtigiis Sixti V inſiſte-*
re, quare ſatis apparet, ipſum ab eisdem veneno fuiſſe enectum,
94. *qui Sixtum interemerant.* Nec alibi negamus ſimilia depro-
peratæ elaborationis exſtare documenta. *Gregorius XIV* ad
alendam Ligam per Gallias nummis, quos *Sixtus V* comparcen-
100. do paraverat, effundendis ac conſumendis par fuit intra 10 men-
ſes totidemque dies. *Gabriele de Eſtrais*, concubina *Henrici*
IV, Regis Galliarum, periit arcanis Papæ *Clementis VIII* arti-
bus.

bus. *Bellarminus* A. 1600 in Jubilæo fuit in Purpuratum curiæ Pag. 125.
Romanæ evectus. Congregatio de Auxiliis A. 1598 d. 2 Jan. 132.
Romæ cœpit eo fine, ut controversia, quæ de scientia media
Molinæ exorta erat, examini subjiceretur. *Clemens VIII*, cum
Jesuitis non faveret, id ignominiæ tulit, ut hi Romæ defenderent,
non esse de fide, quod *Clemens VIII* sit Papa. Ipse
literas bullatas in *Molinam*, & affectatores ejus, Jesuitas, editurus, 133.
a morte interceptus fuit. Illud etiam memoratu dignum est,
quod Jesuitæ paulo ante a Papa petierint, ut *Ignatius de Lojola* 134.
cælitibus adorandis adscriberetur, eventu plane irrito. Nec
id satis repeti potest, maximum exstitisse Papæ hujus erga
doctos omnes favorem, adeo, ut *Scipionem Gentilem* expeteret
Professorem Bononiensem, promissa libertate conscientiæ
ac religionis, quam hic profitebatur, Protestantium. *Clementi
VIII* successurus fuisset *Baronius*, ni Hispanis displicuisset.
Leone XI diebus 25 post electionem defuncto, spes *Baronii* cœ- 137.
pit revirescere, confestim destituta. *Paulus* enim *V* in solium 141.
fuit receptus, quem initia controversiæ cum Republica Venetorum
nobilitarunt, exitus obscuravit. Ipso rebus summis præ- 144 seq.
sidente, Chaldæi Nestoriani cum ecclesia Romana denuo concor- 154.
diam sanxerunt, ac sese ad ejus contulerunt sinum late patentem.
In *Burghesium*, e *Paulo V* genitum, exstant 55 Epigram- 155.
mata, multum spirantia salis. Spurius ille etiam *Pauli V* fœ- 162 seq.
tus videbatur Legato Galliarum Regis, quem hic proferebat, ratus,
Papæ soli reservatam esse potestatem deponendi Reges, posteaquam
ipse judicasset, Reges degenerasse in tyrannos: dari
casus, in quibus inviolata conscientia Reges a sibi subjectis occidi
possint: multum debere Papæ Reges, quippe qui vetuerit,
ne hæc doctrina publice disseminaretur. Hæc doctrina *Pauli V*
videbatur Legato prorsus inhumana, ac in ipsum Papam qua
Principem admodum periculosa. Ipse edixit, ne quid de sci- 166.
entia media & singularibus *Molinæ* sententiis scriberetur, donec
controversiam ipse per Congregationem de Auxiliis definiverit
Bullæ interventu, quam huc usque nondum vidimus publice
emissam. *Gregorius XV*, A. 1623 d. 8 Julii defunctus, perhibe- 190. seq.
tur per fœminam, instar viri vestitam, res suas feliciter gessisse.

Zelus ejus in hæreticos excedebat modum ac pietatem Christianam. *Urbanus VIII* Poeta fuit eximius, doctrinæ & eruditorum patronus, scientiarum defensor & vindex, licet libros, quos Autores scribunt stantes pede in uno, non approbaret. Archiepiscopi Rothomagensis, qui vocabatur *Rusticus*, ac gra-
Pag. 208. vissimum distentumque Volumen Pontifici inscripserat, pruritum polygraphicum hoc *Despauterii* versu excepit:

Supprimit Urbanus, quæ Rusticus edit inepte.

Circa annum 1623 in Hispania recruduit secta *Illuminatorum*
210. fanatica, quos Hispani vocabant *Alombrados*, in finibus Gadium virus consecuta, ac errores disseminans de usu matrimonii, de obedientia erga superiores, de mystica sacras literas interpretandi ratione. Errores ipsorum ad 76 excrevisse existimabantur. Plurimi reducebantur ad commune ecclesiæ septum, reliqui inde in Gallias progrediebantur, ubi, judice Anonymo nostro, innotuerunt sub nomine *fratrum invisibilium*, & *fraternitatis Roseæ Crucis*. Sunt, qui, quisquilias hasce e Protestantibus ortas fuisse, credunt. Verum jam *Ignatii Lojolæ*, teste *Melchiore Cano*, tempore Hispania abundavit illuminatis. De controversiis Valtenensibus, de libro Jesuitæ *Santarelli*,
223. A. 1626 Romæ editi, quem Gallia ferre non poterat, de retractatione *Richerii*, qui in gratiam Regis Galliarum scripserat li-
227. brum *de ecclesiastica & politica potestate*, de libro Jesuitæ Hi-
230. spani, potestatem Papæ mœnibus Romæ coercentis, aliisque rebus, ipsum audire Autorem commentantem, e re utique
234. Lectoris erit. Ipse, an P. *Gerhardus*, Jesuita, cum *Catharina Cadieria* re vera actiones illas vulgo notas & famosissimas susceperit, relinquit ambiguum. Sententiam *Ludovici Molinæ de concordia gratiæ cum libero arbitrio* idem vocat *Pelagianam*.
243. Cum A. 1626 *Corn. Jansenius* Jesuitæ *Garassi* librum refelleret in scripto Parisiis edito, Lovanii tum agens, semina *Jansenismi* jacta sunt. Cum *Jansenii*, A. 1638 d. 6 Maj. defuncti, liber, cui inscriptio: *Augustinus*, A. 1641 Lovanii in lucem prodiit, Jesui-
244. tæ in odium Autoris controversias excitarunt, quæ *Jansenismum* & *Molinismum* in hunc diem distinent. Hic inprimis aciem inge-

ingenii judiciique in id intendimus, ut exploraremus, an Autor hic Anonymus ex animo, quem nobis olim fingere videbatur, *Jansenismo* & *Jansenistis* studeat, vel addictus sit. Sed is ita frigide neutram in partem inclinat, ut non multum absit, quin & *Jansenistas* & *Molinistas* damnet. Libris inter Pag. 245.
utrosque de gratia Dei scriptis hoc impertit judicium: *Fecistis probe; incertior sum multo, quam dudum.* Doctrinam de gratia comparat cum mari, cui desit fundus, repetens *Balii* judicium, de *Jansenio* olim in *Dictionario* commentati. Utrumque controversiæ systema impeditum putat inextricabili diffi- 246.
cultatum compage. Quare nobis non inique dubitandum fuit jam olim de genuino Autoris *Jansenismo*. Quantopere is cu- 251.
riæ Romanæ faveat, ex eo intelligitur, quod illi *barbaros actionum modos (barbares maximes)* tribuit. Scripsit enim ita, sicut hominem veritatis ac probitatis studiosum scribere & ratiocinari decet, siquidem multi fuere in ecclesia Romana scriptores clarissimi, qui non minore libertate nævos publicos notarunt. Et quid nobis restat, nisi ut Autori Opus tam diffusum, feliciter fini admotum, publice gratulemur, jure profitentes, nil suavius nobis potuisse contingere vel videri lectione illius, quod publice & cum laude exegit, monumenti.

E. A. PAGENSTECHER, JCTI, JURIS Tractatuum, sparsim huc usque editorum, nonnulli sequentes: Naturalis Juris principia. Quidam. Observationum Liber singularis. Novum Justitiæ templum. Disputatio ad Leg. 10 C. de Jur. & facti ignor. Observationes criticæ. Griphorum magister, Paulus, injuria vapulans. Cui accedit disputatio cum HEINECCIO. In theoria non minus, quam foro, non observata vulgo, ex Jure Naturæ, Latino sermone, stiloque veterum, &c. continentes. Editio altera, aucta & emendata.

Herbornæ Nassaviorum, typis & impensis B. Jo. Nic. Andreæ viduæ, 1734, 4.
Alph. 2 plag. 15.

Quod JCtus, qui scripta sua reipublicæ literariæ offert, non admodum studere debeat stili elegantiæ, neque vitio illi queat verti, si, neglecta omni fere perspicuitate, merces expromat suas, variis modis implicitas, id suo luculenter comprobare videtur exemplo Clarissimus horum Opusculorum Autor. Disserit ille in Præfatione de Juris civilis necessitate in foro, deinceps præcepta naturalia, & antiquitates, nec non literas, quæ ad humanitatem pertinent, in Jurisprudentia Romana commendat. Qui jus vitæ & necis in leges civiles sibi vindicant, &, ubi necesse non est, has corrigunt, eos Cretenses vocare mavult, quam Criticos. Tria sibi JCtorum genera olim finxit, scilicet non JCtum, & ad deformitatem insignem, quem haud uncia licitans, ne quidem JCti nomine dignum judicat; JCtum credentem, quem ex semisse, & præputiatum Philistæum, atque ex JCtorum Romanorum *Macrorum* familia, & nomine, non omine, Macrum JCtum, solenni voce proclamat; ac postremo certum pulchrumque JCtum, quem factum & ex asse JCtum, more suo, id est, acute & lepide, appellat. Operam se dedisse diu, & adhuc dare, scribit, ut numerari inter illos JCtos posset, qui prima JCtorum ante dictorum subsellia occupant. Tantus est ejus amor in Jurisprudentiam, ut neque tibiarum sonus amœnior, neque avium cantus dulcior, ipsi unquam fuerit. Quid in arte Juris profecerit Autor, hoc Opusculorum Volumen commonstrat, & judicium erit penes Lectorem, quid humeri ejus valeant, quid ferre recusent. Si displiceant forte uni alterive plurima, id ut negotiorum, quibus obrutus est, multitudini ac varietati tribuatur, rogat pariter & in votis habet. Nunquam ei, ut ipse dicit, *Agonum* gens placuit, aut *Lentulorum* familia. Et, si placeret etiam, non, ut faceret cum illis, permitterent negotia, quorum iterum mentionem injicit. Tanta hæc esse solent, ut sæpius, quæ in mentem veniunt, ne calamo quidem notare, sed bonæ fidei memoriæ committere, cogatur. Quod sane, nisi vani sumus augures, non

potest

poteſt non moleſte accidere iis, qui ex boni Viri ſcriptis voluptatem capiunt, & nova ingenii monumenta quotidie ab eo exſpectant. Ad ipſas, quas in unum redegit volumen, Diſſertationes quod attinet, agmen inter has ducit illa, quæ de naturalis Juris principiis agit. Abuteremur ſine dubio Lectoris patientia, ſi in recenſendis hiſce Opuſculis multum operæ conſumeremus; qua de cauſa nonnulla tantum indicabimus, ex quibus unusquisque Autoris ingenium facili negotio perſpicere poterit. Exhibet primo brevibus theſibus *Puſendorfii* doctrinas, licet nonnunquam ab eo ſeceſſerit. Deinceps & ſuas meditationes invidere noluit
eruditis. A natura juris repetendam originem eſſe, affirmat. Pag. 12.
Concludit exinde, ſine notitia naturalis Juris factum aliquem 13.
JCtum, id eſt, egregium, eſſe non poſſe. Explicat ſubinde *l. 9 C. de Patr. poteſt.* qua matri injunctum legimus, ut per triennium natum filium alat. Ex qua lege cum nonnulli ſequi contendant, ut pater per id tempus ab alendi onere immunis ſit, rejicit eorum ſententiam, &, verba legis de alimentis tantum naturalibus, non vero civilibus, eſſe intelligenda,
commonſtrare ſtudet. Neceſſitas Juris Naturæ etiam in Theo- 16.
logia aſſeritur. Jus a jubendo dictum eſſe, conjicit Autor, 35.
ſcilicet a jubendo juſa, & hinc per apocopen jus. Altera Diſſertatio *Quidam* inſcribitur. Dignas Autor meditatione ſua judicavit leges, in quibus verba: *quidam putant, ajunt,* &c. occurrere ſo-
lent. Hinc illuſtrat *§. 34 J. de R. D.* &, tabulam picturæ ce- 89.
dere debere, exiſtimat. Lex *4 §. 1 & 2 de in jus vocat.* il- 92.
larum numero eſt adſcribenda, quæ de rebus raris non tantum, ſed & rariſſimis, loquuntur. Quin caſum ferme impoſſibilem continet. *Quis enim*, inquit, *unquam tritavum ſuum, imo NB. ultra tritavum parentes ſuos, NB. in infinitum viderit, &, quod profecto plus eſt, NB. in jus vocaverit?* Bene igi-
tur notet Lector, quæ tantopere Clariſſ. Autor inculcat. Suc- 97. 98.
cedit lex *pen. C. de Teſtam. milit.* qua conſtitutum, ut ſoli illi milites, qui occupati ſunt in expeditionibus, teſtamenta, quocunque modo voluerint, componant. Uberius hæc interpretatur, & a *Finckelthauſio* ac *Hanedæſio*, qui hanc quoque legem ad ſtationarios milites extendunt, recedit, eorumque argu-

menta contraria refutat. Primum illorum e. c. eſt: Ubi par eſt ratio, ibi par eſſe jus debet, *l. 9 ad L. Aquil.* In militibus autem ſtationariis eadem imperitiæ, quam Imperator *pr. J. de Milit. teſtam.* affert, ratio eſſe poterit, cum, ut hi, ſic & illi, milites literas facile ignorent. Verum enim vero opponit Autor, milites in expeditione occupatos ita teſtari ex privilegio *pr. J. de Mil. teſtam.* In materia autem privilegiorum argumentum a paritate rationis non valere, quoniam hoc Princeps non vult. Opponit porro, & negat, eandem rationem eſſe. Præcipua potius hujus conceſſi privilegii ratio ipſi videtur periculorum gravitas & varietas, *l. un. D. de Bonor. poſſ. ex teſtam. milit.* Sed quæ periculorum varietas ſtationario militi, qui in ædibus ſuis degere, ad focum
Pag. 102. ſedere, poteſt? His confectis, commentatur ad *l. 101 D. de V. S.* Mentem ſuam hac de lege enarrat ſequentibus: *Scripſerint, quid velint, quidam. Ita ego teneo: 1) Adulterium eſſe non tantum, ſi maritus cum nupta; aut 2) cum nupta ſolutus; ſed & 3) ſi maritus cum ſoluta, congreditur; idque iterum non tantum ratione ſuæ uxoris; ſed & 4) ratione ſolutæ hactenus, ut & ipſa tantum adulterii rea conveniri poſſit; non autem 5) ut & ipſe maritus, ratione ſolutæ hujus, ut adulter animadvertatur. Poſteriorem quæſtionem a noſtris factam non memini. Puto tamen, quemadmodum dixi, obtinere.* Hæc ille. Inter *Obſervationes LL. Juſtinianearum*, in foro adhuc hodie obtinentium, primo loco conſpicitur Obſervatio *ad*
107. *Tit. de Nuptiis.* Diſplicet Autori vulgata Doctorum methodus, qua regulis quatuor, & limitatione una, quid juris ſit circa nuptias prohibitas, docere ſolent. En! hæc omnia in pauca redegit: *Quoties unus vel uterque contrahentium ſtipiti, vel generanti communi proximo, immediate ſubeſt, toties prohibitum*
112. *matrimonium erit.* *Cujacium* tres ante oculos digitos habuiſſe, quibus criſin ſcribendo paravit, & in *l. 12 §. 2 de Accuſat.* loco *duobus*, *tribus* ſubſtituit, ſuſpicatur Autor. *§. 1*
117. *J. de Jure perſonar.* medicinam affert, in quo nullum eſſe videtur diſcrimen inter libertatis & ſervitutis diviſionem. Scilicet, vocem *quid* cum emphaſi quadam animadverti debere,
&

& sensum esse, asserit, homini libero aliquid tantum, sive pauca, prohibita esse, servo e contrario multa, imo regulariter omnia. *Duareni* improbatur sententia ad *l. 22 D. de Testibus*, Pag. 121.
quasi ibidem tam de testamentis, quam de testibus, sermo sit *Venulejo*. Nec placet ea in re *Gothofredus*, qui, hanc tantum legem ad testamenta referendam esse, arbitratur. Probare Autor annititur, legem de solis testibus agere. Provocat hanc ob causam ad *Ciceronem* & *Maronem*, qui Duumviri præstantissimi voce *testari* testes productos significant. Verba JCti in *l. 3 D. ad Sylan. SCtum: in gravi valetudine affectus*, minus eleganter scripta putat, & proinde criticam artem in subsidium vocat Autor. Putat, vocem *in* hoc loco adhibitam esse pro adverbio *valde*. Ita enim *inlustris* pro *valde lustris*; *infractus* pro *valde fractus*; *invalidus*, pro *valde validus*; *impotens*, pro *valde potens*. Parum tamen, ni fallimur, sibi constat, & ab ea emendatione modo recedit, modo probat eandem. Lectorum applausum hujus criseos causa Clar. 194.
Autori non promittimus. Paulo forte melior nonnullis videbitur altera conjectura, quam ipsis ejusdem verbis proponendam esse censemus. Ita autem ille: *Vel ex solo* Floro *constat, voculam* in, *pro* ex, *apud Latine loquentes haud raro sumi solitam*. Bibebant, *ait flos ille linguæ latinitatis vere floridus, bibebant* (prosit *Ulpiane!*) *in ossibus veterum*. Miratur vero simul Autor, neminem transtulisse verba textus, & *invalitudinem* legisse, qua voce *Cicero* in *Epist. ad Attic.* utatur. In *novo*, quod exstruxit, *Justitiæ Templo*, (ita enim alia Autoris Dissertatio nominatur,) inter plures, *l. 40 §. 4 de Fidejussor.* expendit, & his verbis notat *Haloandrum: Vel furi-* 252.
bundus fuit JCtus, Haloander; titulo Pandectarum cerebrum ejus operam dedit de termino moto; certe non capite bene valuerit eo tempore oportet, quo ipse in hac lege loco: pro furioso jure obligato, *ita*, pro reo furiosi jure obligato, *reponendum esse, secum studuit*. Distinguentem potius *Cajum* videt *Pagenstecherus* noster inter furiosum illum, qui furiosus jam est, interpositæ stipulationis tempore, atque illum, qui furiosus postea factus, ante furoris autem tempus jure jam obligatus fuerat. Has duas ergo propositio-

nes

nes a *Cajo* prolatas arbitratur: 1) pro negotio, a furioso gesto, tempore furoris, fidejussorem acceptum non obligari; 2) pro negotio, a furioso gesto, ante ejus furorem, assumi recte posse
Pag. 286. fidejussorem. In *Disp. ad l. 10 C. de Jur. & facti ignor.* mirabilis Doctorum dissensus, de hac lege, meminit, &, condictionem soluti indebiti etiam ob errorem juris, non facti tantum, locum habere, existimat. Inductus fuit in hanc sententiam vel sola illa naturali ratione, quæ non patitur, ut aliquis locupletior fiat cum damno alterius. Nec sanguine, & arctissimo cognationis vinculo, adduci potest, ut fratri, *Jurisprudentia polemica*, aliisque, clarissimo, assentiatur, utpote qui solo tantum argumento ab eo differt, & evincere vult, eandem æquitatis esse rationem in errore juris, quæ in errore facti obtinet. Vir iste doctissimus legem hanc, quam illustrat Autor, dissentientium *Goliathum* appellat, cui loquendi formulæ addit Noster sequentia: *Præputiatum fortean. Atque triplicem ei* Davidem *peperit.* Davidem, *natu maximum filium, significat responsionem vulgatam; alterum* Davidem, *patris nostri responsionem novam dicit; tertium vero* Davidem, *agmen claudentem,*
287. *creavit se ipsummet. Salve nate! hodie salve. Tribus responsionibus addam aliam adhuc, quæ est mea, citra attamen animum captandi dulce* Davidis *nomen. Ita vero vulgo, qui nobiscum in dicta quæstione affirmant, ad dictam* l. 10 *respondent, debere eam scilicet de casu excepto intelligi, ubi obligatio naturalis subest, supplendam ita ex* l. 9 C. ad Leg. Falcid. *Et quod sufficit, dicit, pro* Davide *hoc primo stans frater meus, arg.* l. 26 de LL. *Paulo post autem, eo ipso ab illo iterum desertionem faciens, dum citra mutationes multas intelligi legem haud posse statuit,* David *ipse tertius. Sentio cum fratre* Davide *tertio, non cum fratre* Davide *primo. - - Debemus legem unam ex alia supplere, - - & præstat decantare nihil, quam ut ita modulatur Psalmista Senior. Sic autem, in statu adhuc stans (suscipe Galeam) Goliath, prostratus prior.*

Hic jacet Magister David &c.

Hactenus Dissertationis hujus Autor, cujus verba ipsa adjicere volui-

voluimus, ut Lector, quam eleganter, quam perspicue, omnia scripserit ille, cognoscat. In *Observationibus criticis* sub limam vocat leges nonnullas, iisque lucem affundere studet, v. g. *l. 8 ad l. Jul. Majest. l. 7 §. 1 de Captiv. l. 7 D. de Testam. milit. l. 2 §. 4 de Jure fisci, l. 43 Sol. matrim.* & quæ sunt reliquæ. *Julium Paulum*, Griphorum Magistrum, injuria vapulare, ut ostenderet Autor, præcipuas ejus leges, in quibus enodandis desudarunt interpretes, in scenam produxit, suisque instructas animadversionibus, integritati suæ restituere allaboravit. Ultimo loco comparet disputatio cum Ill. *Heineccio*, quæ primum Franequeræ, deinde Halæ A. 1726, cum rubro: *Epistolæ amœbeæ* &c. prodiit. Ideo tamen postponendæ sunt editiones illæ priores novæ huic, quod responsio *Pagenstecheri* ad *Heineccii* Epistolam, quæ, ni prorsus fallimur, nondum typis mandata fuerat, huic sit adjecta. Nos dicendi de his Opusculis finem facimus, &, cum plurimis se Cl. Autor implicitum negotiis supra conquestus sit, non paucos Lectorum fore conjicimus, qui optent nobiscum, eumque rogent, ut abstineat in posterum a libris & opusculis conscribendis, hisque laboribus valetudinis curam præponat.

TRAITE' DE CHIMIE, CONTENANT LA maniere de preparer les remedes &c.

TRACTATUS DE CHYMIA, CONTINENS modum præparandi medicamenta maxime usitata in praxi medica; Autore M. MALOUINO, Doctore regente Collegii medici Parisiensis.

Parisiis, apud Guilielmum Cavelier, 1734, 8.
Plag. 14.

Cl. Autor, ne quid neglexisse videretur eorum, quæ aliqua ratione ad Chemiam pertinerent, ortum & progressum artis ab ineunte orbis ætate copiose exponit, sacram & profanam Historiam sic apte con-

 ciliáns,

cilians, ut, *Tubalcainum*, ferramentorum artificem, *Vulcanum* paganorum esse, certo affirmet, indubitato hoc argumento, quod *Tubalcaini* vox, ablata priore syllaba, in *Vulcani* nomen transierit. Parum tamen certi haberi posse largitur, qualis hujus artis antiquitus fuerit facies, imo, ad tempora usque Græcorum, si fusoriam aut metallariam artem excipias, nullam eam fuisse, concedit. Inde de signis chymicis commentationem instituit, singulorum rationes reddens, cur sic excogitata sint. Exempli loco sit signum ☉ Auri, cui, quod sibi semper simile sit, & constans, circulus cum puncto centrali suo character factus est, in quo ingenii sui sagacitatem satis superque Autor demonstravit. Elegans est, & Philosopho vere digna, de principiis corporum sententia: nullus spiritus per totum expansus, nec *Democritea* quædam materia, præoptari debet, sed plura possunt esse rerum principia, quorum alia intellectualia tantum, in praxi nullius prorsus usus futura, alia sensibilia, existunt, demonstrationibus certam & securam viam facientia, quibus firmiter inhærendum, in quantum nobis eorundem, quod vere adsint, experimenta rite instituta fidem faciunt. Esse autem in corporibus, & ex iisdem prolici, quinque principia, spiritum, oleum, sal, aquam, terram, res ipsa docet. Spiritum definit, quod sit liquidum, frigoris patiens, & quod ab eodem in glaciem mutari non possit, quia scilicet aut alcalinæ, aut acidæ, naturæ esse observetur. Oleum ab eo, quod sese cum aqua miscere non possit, sal a solubilitate & ad fusionem facilitate, aquam a transparentia & fluore, terram a fixitate & quiete, definit, definitionibus hisce, uti in chymicis vix esse aliter possunt, negativis existentibus, aut a signo desumtis. Principia ista diversis separandi modis a corporibus suis obtinentur ministerio ignis actualis aut potentialis, qui corporis partes, suo imperio obsequentes, dissociat, alias fluidas & minus cohærentes, aquam, oleum, spiritum, quæ destillari, alias cohærentes quidem, sed ignis impatientes, quæ sublimari dicuntur, salia & sulphura. Hactenus suo ordine progressus, videbatur nunc reliquas operationum Chymicarum classes justa methodo pertractaturus.

Exspecta-

Exſpectabatur enim ſigillatim de præcipitatione, de ſalificatione, de calcinatione, de vitrificatione, & quomodo corpora ab hiſce ignis torturis alterari ſoleant, ſermo. Verum paulo poſt intellectum fuit, cum plurima etiam in prioribus *Capitibus* eorum deſint, quæ poterant eleganter de magni momenti materiis, præſertim de ſpiritibus oleisque deſtillatitiis, dici, non tam chymicam, quam pharmacevticam & hiſtoricam, tractationem fore. Inde præcipiti ſaltu Autor ad hiſtoriam regni mineralis evolvendam tranſit, vegetabiliumque & animalium pauciora ſaltem præparata chymica attingit, nihil eorum prætermittens, quæ ad ſingulorum capitum accuratam analyſin pertinere videbantur, multa acute & ingenioſe proponens, omnium in arte verſatiſſimorum Virorum judicia ſedulo expendens, & uniuscujusque merita explicans. Quodſi adeoque materiæ medicæ in tres partes diviſæ titulum gereret elegans libellus, bene convenirent omnia; jam exſpectationi, quam primus libri conſpectus fecerat, parum reſponſura ſunt reliqua, ſi Chymiam in artis formam redactam quis habiturum ſe confidat. Sed dignitati Operis, ob methodum cuique liberam, hinc nihil derogatur, & inſunt ei, de quibus Autor merito gloriari poſſit. Generatim metallorum fixitatem, & in igne durationem, a parte eorundem inflammabili, aut oleo, flammam plus vel minus patienter ferente, deducit, in quo *Becherianam* doctrinam profitetur. Inde auri ſumma eſt fixitas & nobilitas, quamvis virtus medica, magna quibusdam viſa, obſcurior fere ſit inferiorum metallorum efficacia, cujus pori, aerem ſubtiliſſimum capientes, ubi menſtruo conveniente ſolutum fuerit, ſale hunc motum conciliante, fulminantem effectum producunt, viribus illius auri fulminantis ſali potius, quam ſubſtantiæ auri, tribuendis. Solent enim metalla, acidis ſpiritibus ſoluta, corroſivam qualitatem inducere; quo ipſo efficitur, ut cryſtalli argenti cauſticum ſint remedium, poſtquam ſpiritu acido ſolutum illud fuit. Majores in Medicina uſus promittunt metalla minus fixa, quorum inflammabilis pars igni magis obſequens eſt, & quorum compages a menſtruis facilius recluditur, & in calces mutatur. Inde præparata Saturnina nobiliora ſunt perfectiorum metallo-

rum medicinis, ſive de Sacharo Saturni, ſive de ceruſſa, minio, aut lithargyrio, ſermo fuerit. Interim, cum corroſivæ naturæ eſſe non deſinat plumbum, quo fit, ut, intacto ſolum relicto auro & argento, reliqua metalla abſorbeat, nondum ſic omni ſuſpicione carent ejus præparata, ut ſine metu aſſumi poſſint, externe tamen magnam ſui fiduciam faciunt. Tutiſſimus autem eſt ferri & efficaciſſimus uſus, ſive in ſubſtantia, ſive in præparatis, uſurpetur. Proteus ille mineralis, Mercurius, Phyſicos, ejus naturæ ſtudioſos, mire vexat, partim quod definiri nequeat, metallumne ſit, an metalli ſemen, an metallorum deſtructorum portio, an ſulphur, partim quod ejus elementa non cognita ſatis ſint. Terram eſſe cum inflammabili quadam parte in metalli naturam mutatam, experimento conſtat, quo Mercurius ſola calcinatione in pulverem rubrum præcipitatur, iterumque vivus redditur, ſi oleoſa quædam pars addita de novo eidem fuerit. Interim, in quaſcunque præcipitatorum ſublimatorumve formas mutetur, ſemper ſibi conſtat, priſtinæque ſuæ formæ reddi poteſt Nec erraret aliquis, ſi Antimonium appellare Mercurium ſulphure arſenicali ligatum vellet, partim quod arte fieri ex eodem Mercurius vivus poſſit, partim quod ſpiritus ſalis Antimonii regulum, prout Mercurium, ſibi adoptet. Infinita fere ſunt Antimonialium præparata per deſtillationem, ſublimationem, præcipitationem, calcinationem, & vitrificationem, facta. Vix tamen, niſi ad uſum coſmeticum, quamvis mechanica utilitas ejus major eſſe poſſit, adhibetur Biſmuthum, id quod ſuam cum plumbo affinitatem, dulcedine ex affuſo aceto deſtillato contracta, manifeſte prodit. Præſtantiſſimum ſalutis præſidium ſunt ſalia mineralia, tum ea, quæ de metallo participant, tum quæ ab eodem remota ſunt. *Vitriola*, ſive quæ cupri, ſive quæ ferri, feracia ſunt, variis deſtinantur uſibus, quæ facile dignoſcuntur colore. *Viredo* enim ferri, *cæruleſcentia* cupri latentis, certiſſimum ſunt indicium. Sapore quoque cognoſcuntur; dulcedini enim proxima ſunt ferri, amaritudini, cupri vitriola. Utrique conjunctiſſimum eſt ſulphur acidumque potentiſſimum, cum mediæ potius naturæ ſit nitrum, de quo, num inflammabili aliqua parte gaudeat, decerni vix

poteſt,

potest, cum sibi relictum non ardeat, neque nisi sulphurum commercio usum deflagret, qua fixa sui parte simillima sibi habet salia, fossile, marinum, aut quod gemmæ dicitur, quæ, ubi spiritum acidum dimiserunt, alcalinæ sunt naturæ & amaricantia, paria facientia cum salibus Epsoniensibus, aliisque sic dictis amaris. Sulphura, quæ succi minerales inflammabiles sunt, acida & inflammabili parte prægnantes, similia sibi concreta etiam in regno vegetabili inveniunt, exemplo benzoinæ atque opii, quod regnum de cetero, cum salibus, acidis & alcalinis, volatilibus æque ac fixis, oleis etiam fixis, aut æthereis spiritibus ardentibus, resinis gummatibus, feracissimum sit, tam parum Autori placuit, ut paucioribus paginis tam vastum rerum apparatum complexus sit. Eodem modo brevitatis studiosior fuit in animalium virtutibus declarandis, ut Ammoniaci Salis Cornu Cervini destillatione, olei volatilis oleosi, &, quod ejus species est, Salis Anglici, ex bombyce destillati, præparatione contentus acquiescat. Cetera secundum leges Chymiæ pharmacevticæ apte & ingeniose dicta sunt.

LA QUANTITA' DEL MOTO, O SIA LA FORza dell' acque correnti &c.

h. e.

QUANTITAS MOTUS, AUT VIS AQUArum fluentium, demonstrata in diversis earum statibus, per THOMASIUM NARDUCCI, Patricium Lucensem; cum quibusdam considerationibus circa aquarum superficies & pressiones, tam in fundum, quam in ripas, fluminum.

Lucæ, apud Franciscum Marescandoli a Pozzotorelli, 1733, 4. Alph. 1 plag. 2, Tabb. æn. 4.

Post præclara Virorum suæ gentis insignium specimina, ad scientiam motus aquarum, quæ *Hydraulica* vulgo audit, spectantia, utiliter se operam collocasse suam censuit Clarissimus Autor, suas quoque hanc in rem meditationes in lucem publi-

cam emittendo, quantumque ipſe profecerit in argumento æque utili ac difficili, demonſtrando. Poſtquam enim didiciſſet, quantitatem motus æſtimari in genere debere per factum ex maſſa corporis moti in ejus velocitatem, perſpexiſſetque, momenta aut vires motrices (rectius impetus) aquarum fluentium eſſe in ratione compoſita ex ſimplici ſectionum & duplicata velocitatum; mox in animum induxit, uſum harum propoſitionum in demonſtranda vi aquarum oſtendere. Hinc natus eſt Tractatus præſens, quem antea, quam prelo ſubjiceretur, cum Cel. *Grando* communicavit, &, de eo quid ſentiret, ex Viro doctiſſimo ſciſcitatus eſt. Qui, cum approbaſſet laborem, autor Noſtro fuit, ut publici eum juris faceret. Monuit tamen, non absque probatione aſſumi poſſe, quantitatem motus aquæ unum idemque eſſe cum vi (viva ſcilicet) aquæ, uti fecerat ſtatim in definitione ſecunda, quæ ita habet: *Quantitas motus aquæ currentis idem eſt, ac vis ejusdem.* Se enim ipſum olim cum Cel. *Hermanno*, cum Patavii verſaretur, ea de re diſceptaſſe refert, qui defenderit, vires non eſſe in ſimplici, ſed in duplicata, velocitatum ratione, ſi maſſæ ſint æquales. Quo facto, *Grandum* rogavit *Narduccius*, contentionis hujus eruditæ hiſtoriam & momenta ſecum uti communicaret. Is, morem petitioni amicæ gerens, non ſuæ ſolum diſceptationis cum B. *Hermanno*, ſed plenam fere totius controverſiæ hiſtoriam pertexuit, a Noſtro Præfationis inſtar Opuſculo ſuo præfixam, lectuque omnino dignam. Non autem eſt, cur ea de re copioſius dicamus, qui hoc unicum annotamus, Noſtrum, penſitatis utriusque partis argumentis, tandem deflexiſſe ad ſententiam antiquam, quæ vires vivas confundit cum mortuis, ceu præ ſe quoque fert ipſe libri titulus. Igitur omnia, quæ hic proponuntur, bona licet, vera, & utilia, ad *vim* tamen aquarum proprie dictam, ſenſu nimirum *Leibnitiano*, referri non poſſunt, ſed ad *impetus* ſolum. Ne vero ſolis autoritatibus acquieſcere videatur Autor, ſub finem Præfationis demonſtrationem aliquam ſententiæ communis exhibere conatur, ſed talem, quæ includit conſiderationem temporis,

poris, adeoque eodem paralogismo laborat, quo pleræque, hactenus allatæ, & a Viris doctissimis refutatæ. Sed satis prælusimus; nostrum itaque est, rationem ipsius Opusculi, quantum licebit, breviter exhibere. Ubi statim notandum, Autorem sæpissime in usus suos convertere Propositiones, demonstratas a *Guilielmino* & *Grando*, quorum vestigia sese premere, lubens fatetur. Omnia autem *Partibus decem* distinxit. *Prima* inscribitur de quantitate motus aquarum fluentium, quæ definitur per factum ex quantitate aquæ transeuntis dato tempore per unam pluresve sectiones, in velocitatem mediam sectionum. Hæc igitur motus quantitas Cl. Autori idem est, quod *vis* aquarum. Definitionem autem deduxit ex *Defin. 2 Principiorum* Newtoni. Exinde generaliter confecit *Prop. 4 Theor. 4*, quantitates motus aquarum, dato tempore per sectiones quascunque transeuntium, esse in ratione composita ex simplici sectionum, & duplicata velocitatum mediarum. Notari adhuc potest, quod habetur in *Collor. 2 Prop. 1*, si plures sint fluvii, in unum quendam truncum coeuntes, esse quantitatem motus omnium simul sumtorum ad quantitatem motus trunci, uti velocitas media summæ omnium sectionum ad velocitatem mediam trunci communis. Ut paucis dicamus, in hac *Parte* sequentium fundamenta ponuntur, quæ mera sunt Corollaria, ex definitione quantitatis motus, & propositionibus quibusdam *Guilielminianis*, fluentia. *Pars* itaque *secunda* in eo versatur, ut augmentum quantitatis motus exponat, exinde natum, quando aquæ ab aliis torrentibus in flumen aliquod ingeruntur. Itaque *Prop. 14 Theor. 14* asserit, si flumen aliquod intumescat, aquis aliunde ei advectis, quantitatem motus esse ad eam, quæ erat in statu ordinario, ut factum ex altitudine & quadrato velocitatis mediæ in statu intumescentiæ ad factum ex altitudine & quadrato velocitatis mediæ ante statum intumescentiæ; unde derivat modum metiendi impetum aquarum in diversis fluvii statibus. Sequuntur *Propositiones* quædam non inutiles, licet non omnes novæ, sed propriis tamen demonstrationibus (analyticis plerumque) ab Autore munitæ. *Pars tertia* agit de quantitate motus aquarum in canalibus inclinatis solitariis. Tota inmi-

innititur *Propositioni 2 Libri II* Guilielmini *de mensura aquarum fluentium*, quod scilicet velocitas aquæ per sectionem aliquam canalis inclinati fluentis eadem sit, ac si fluxerit per lumen simile & æquale sectioni, tantundem a superficie aquæ remotum, quantum sectio ab horizontali per initium alvei. Exinde enim ultro sequitur, velocitatem sectionis cujuscunque exprimi posse per radicem quadratam distantiæ ejus ab ista horizontali. Cumque in statu fluvii manenti per singulas sectiones eodem tempore æqualis aquæ quantitas transeat; patet, quantitates motus aquarum per diversas sectiones in canalibus inclinatis fluentium esse ut radices quadratas ex distantiis sectionum ab horizontali, quæ per initium alvei ducitur, seu, quod idem est, in ratione subduplicata longitudinum canalium inde ab initio alvei. Hisce principiis utitur Cl. Autor ad investigandam rationem celeritatis aquæ in fundo & in superficie canalis, aliaque interspergit, scitu utilia. Quo facto, in *Parte quarta* agit de mensura quantitatis motus aquarum fluentium per canales horizontales aut solos, aut unitos cum aliis paritur *horizontalibus*. Itaque *Prop. 32 Theor. 28* probat, quantitatem motus aquarum dato tempore per duas sectiones canalium horizontalium, latitudine & altitudine inæquales, esse in ratione composita ex quadruplicata velocitatum mediarum, & simplici latitudinum sectionum. Altitudines enim sunt in ratione velocitatum mediarum duplicata, uti docuit *Guilielminus*. Hisce & aliis præstructis, sequuntur Problemata quædam satis curiosa, de quibus vero copiosius dicere hic loci prohibemur. *Parte quinta* agitur de quantitate motus, quæ generaliter obtinet in concursibus fluviorum, vel divisione etiam unius ejusdemque fluvii in plures minores. In hisce casibus Cl. Autor vocat velocitatem æquatam *(velocità ragguagliata)* eam, quæ nascitur, dividendo summam quantitatum aquarum, quas vehunt duo fluvii, per summam sectionum respectivarum. Igitur quantitas motus æquata erit summa quantitatum aquæ ducta in velocitatem æquatam. Ostenditur ergo *Prop. 47 Theor. 32*, quantitatem motus post concursum duorum fluminum esse ad æquatam, ut velocitas media recipientis fluvii post concursum ad veloci-

tatem

tatem æquatam. Pariter *Prop. 49* habetur, quantitatem motus æquatam esse in ratione composita ex summa sectionum canalium confluentium, & quadrato velocitatis æquatæ. Quæcunque sequuntur *Propositiones*, superstructæ sunt hisce principiis. Transitus itaque fit ad *Partem sextam*, quæ versatur circa quantitatem motus aquarum, ex vasis effluentium, juxta hypothesin ordinariam, quæ velocitates aquæ per lumen vasis erumpentis statuit in subduplicata altitudinum ratione. Hisce autem copiosius recensendis supersedendum arbitramur, cum satis nota jam sint & intellectu facilia. Itaque *Partium* reliquarum argumenta indicasse sufficiet, cum ad motum fluminum non pertineant omnia, quæ iis continentur. *Parte* ergo *septima* tractatio instituitur de figura superficiei aquæ, in canalibus fluentis. *Octava* de quantitate motus aquæ in vasis aut receptaculis, & de temporibus depletionis vasorum per foramina tam horizontalia, quam verticalia, docemur. *Nona* instituitur applicatio hujus doctrinæ ad motum aquarum in alveis fluviorum, ad horizontem inclinatis. *Decima* denique traditur theoria utilissima pressionum, quas fundi canalium ab aqua fluente sustinent, & percussionum, contra ripas a torrente factarum. Observavimus per totum Opusculum perspicuitatem in proponendo, & soliditatem in demonstrando, idque lectu utique dignissimum judicamus, nec ejus utilitati officere credimus, quod vires vivas a quantitate motus non satis distinxerit Cl. Autor. In rebus enim practicis, v. g. aggeribus excitandis, & similibus, qui impetum aquarum sustinere debent, non de eo anquiritur, qualem *vim vivam*, aut *facultatem agendi*, habeat torrens, sed quo *impetu* in molem objectam irruat, ita, ut perinde sit, an eo impetu vim suam vivam exhauserit, an secus. Ceterum utilior adhuc futurus erat elegans libellus, si ad praxin quandoque descendere, & theoriæ applicationem ad exempla realia, qualia frequentissima in Italia existunt, demonstrare, Cl. *Narduccio* placuisset.

SIGISM. FRIDER. DRESIGII, A. M. ET Schol. Thom. Conrectoris, Animadversiones in FABRI Thesaurum Latinæ linguæ.

Notum est, quantum *Fabri Thesaurus* debeat Celeberrimi *Gesneri* curis secundis, qui vero quoniam in Praefatione novissima ipse non dissimulavit, plus sibi negotii in emendando, quam augendo, *Fabro* fuisse, fieri non potest, quin hac etiam in parte dies diem doceat. Documento esse huic rei poterunt, quae per otium annotata fuerunt; quae ea de causa cum eruditis communicanda duximus, ut occasio ipsis suppeditaretur, librum sane utilissimum tandem aliquando suis numeris absolvendi. Ceterum data opera omisimus ea, quae ex Geographia cumprimis & Historia addi potuissent, nomina, quorum largissimam segetem praebebit unicuique *Cellarii* Geographia, iis breviter repetitis, quae jam in hanc rem dicta fuerunt in *Actis Eruditorum A. 1735 Mens. Octobr. p. 433 seq.*

EMENDANDA.

ACIES. *Acies, n. 9* inquit *Faber, pro bello & expeditione ipsa bellica interdum ponitur, der Feldzug*, atque ad hunc significatum probandum primo loco affertur *Cicero Fam. VI, 3, 4*, cujus haec sunt verba: *Nam, etsi, quem exitum acies habitura sit, divinare nemo potest, tamen & belli exitum video.* Sed quis credet, apud *Ciceronem aciem* notare *bellum*, cum *bellum* & *acies* sibi opponantur? Rectiora docuit *Cellarius* ad *h. l.* qui *aciem* interpretatur *praelium Hispaniense, quod brevi post ad Mundam commissum fuit.*

ADVOCO. *N. 3* hoc verbum notare dicitur *causas agere in foro*, & testis hujus notionis laudatur *Plinius Lib. V Epist. 8: interim veniam, ne a forensibus verbis recedam, advocandi peto*, ad quem locum *Cellarius* jubetur conferri. At, *Cellario* interprete, *advocandi* est *moram nectendi*, & *advocatio mora*, prout ista jam exposuimus in *Actis Erud.*

AGASO. *N. 2* apud *Horat. Lib. II Sat. 8, 72*, communiter pro *servo* poni dicitur; sed perperam, docente id Scholiaste: *Agaso is proprie est, qui iumenta tractat, hic autem satyrice*

rice significat escarum ministrum, quem vulgo nominant infertorem, apud *Cruquium*.

BENEDICO. De hoc verbo præcipit *Faber*, *construitur cum dativo. Sacri scriptores & cum accusativo junxere.* At non spernendæ Latinitatis Autores quoque cum accusativo verbum hoc posuerunt. *Tibullus II, 1, 31:*

Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat.

Ubi *Broukhusius* rectiora *Fabro* ita instillat: *Scaliger malebat, bene Messalæ. Parum refert. Nam utroque modo dicebant.* Et deinde affert *Ovidium Fast. II, 637:*

Et bene vos, patriæ, bene te, pater optime, Cæsar,
Dicite suffuso, sint rata verba mero,

Addantur *Jensii Collectanea puræ & impuræ Latinitatis Sect. II p. 39*, & *Heinsius* ad *Ovidium de Arte amandi I, 601.* In utraque constructione subintelligendus videtur infinitivus, vel *esse* vel *valere*.

BENEFACTUM. Minus accurate verba *Marii* apud *Sallustium Jugurth. Cap. 85: benefacta mea reip. procedunt*, ad illam nominis hujus notionem referuntur, qua est *Gutthat, Wohlthat.* Nam *Marius*, ut ipsa loci docebit inspectio, non liberalitatem suam, sed virtutem maxime bellicam, contra nobiles suæ laudis obtrectatores prædicat. Ergo *benefacta Marii* sunt præclara facta, *tapfere und Helden-Thaten.* Testem, qui explicationi meæ suffragatur, omni exceptione majorem habeo *Propertium II, 1, 24:*

Cimbrorumque minas & benefacta Mari,
Bellaque, resque tui memorarem Cæsaris.

Nam Poetæ de rebus in bello præclare gestis, non æque vero de beneficiis & liberalitate, sermonem esse, versus, qui antecedit, *18* perspicue demonstrat:

Ut possem heroas ducere in arma manus.

Quæ quidem notio, qua *benefacta* sunt res bene gestæ, ac præclara facinora, ex his satis, opinor, cognoscitur, licet ejus in *Fabro* mentio plane facta sit nulla. Eodem sensu

hanc vocem usurpavit ipse *Sallustius Catil. 8: Sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare, malebat.*

BRACHIUM. *N. 7, translate etiam*, inquit *Thesaurus, notat facultatem & auxilium, ut praebere sceleri alicujus brachia sua, maechtiglich beystehen. Ovid. Heroid. VII, 126.* Audiamus vero ipsum Poetam, apud quem *Dido* inter alia ad *Aeneam* scribit:

Quid dubitas vinctam Gaetulo tradere Jarbae?
Praebuerim sceleri brachia nostra tuo.

Nunquam, credo, lectori *Heroidum* attento persuadebitur, hoc in loco *praebere brachia alicujus sceleri* sonare *maechtiglich beystehen.* Scelus hoc describitur in Hexametro, quod in eo erat positum, ut *Dido* vincta ab *Aenea* traderetur hosti, quare Germanice haec formula ita est reddenda: *Ich hatte dir meine Hende, selbige zu binden, freywillig und von selbst darreichen wollen.* Cumque nullus sit praeterea adductus scriptor Latinus, qui *brachium* pro *facultate & auxilio* usurpaverit, praeter rem ultima haec significatio videtur tradita, nisi melius probetur, penitus proscribenda.

CAUSA. *N. 9: Causa & morbum significat, quemadmodum & apud Graecos αἰτία, νόσος, seu morbus, est.* Tibullus I, 9, 51: *non est illi sontica causa, id est, sonticus morbus.* His plane aliena habentur voce *Sonticus*, ubi ita: *Sontica causa apud* Tibull. I, 9,51, *eine rechtmaessige Ursache.* Quibus positis, duplicem hujus formulae in uno eodemque loco significatum statuamus, oportet. At, si ipsum locum inspiciamus, prior, non posterior, est *Tibulli* sententia, canentis:

Neu Marathrum torque. Puero quae gloria victo?
In veteres esto dura, puella, senes.
Parce, precor, tenero. Non illi sontica causa est,
Sed nimius luto corpora tangit amor.

DIA. *Insula Cretae adjacens, alias Naxos.* Duae hic confunduntur Insulae, quae vocatae fuerunt *Dia.* Quarum altera,

Cretae

Cretæ adjacens, omnium consensu nunc est Standia, ut scribit *Cellarius Geograph. antiq. Lib. II Cap. 14 p. 1039*, ubi addatur annotatiuncula Cel. *Schwarzii.* Altera vero est una ex Cycladibus, quæ Naxos etiam appellata fuit. Vid. *Cellarius* & *Schwarzius d. l. p. 1050 seq.* Itaque *Dia*, quando eadem, quæ Naxos, non Cretæ adjacet, sed in mari Ægæo inter Cyclades sita est.

FELIX. *N. 3: pro eo, qui alios felices facit.* Huc trahitur *Juvenalis XIV, 312:*

Quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem.

Male. Nam opponit Satyricus *Diogenem* in dolio *Alexandro M.* & illum hoc judicat feliciorem, quia nihil cuperet. Ceterum hoc sensu *felix* habet *Virgilius Æneid. I, 334, Propertius III, 11, 15, & IV, 4, 67.*

HABEO. *N. 9: rem habere cum aliquo est negotiari*, Terent. *Eun. I, 2, 39.* Contra voc. *Res n. 6: ita pro Venere autem sumitur, cum dicimus, rem cum aliqua vel aliquo habere, quod notum.* Vid. *Terent. Eun. I, 2, 39.* Qui Comicum perlustraverit, facile mecum posteriorem sensum præferet, cum sint verba meretricis *Thaidis.*

HALCYONIUS. *Halcyonii dies* Colum. XI, 2, *a tranquillitate maris Atlantici ita dicti, qui incipiebant 8 Calend. Mart.* Et sane ita legitur in *Columella: VIII Cal. Martii Sagitta crepusculo incipit oriri, variæ tempestates. Halcyonii dies vocantur, in Atlantico quidem mari summa tranquillitas notata est.* Sed, quoniam *Plinius X, 32 s. 47*, a bruma non nisi septem diebus removet partum halcyonum & halcyonia, itaque Cel. *Gesnerus* in nitidissima *Columellæ* editione verba, *halcyonii dies vocantur*, uncis inclusit, putatque in subjecta annotatione glossam verborum *summa tranquillitas.* Quo præeunte, nemo *Fabrum* ex *Plinio* emendandum non existimabit.

HERCULES. *Qui, licet esset robustissimus, adversus hydram tamen & contra Cancrum simul nequivit pugnare, sed nepotis*

potis sui Iolai imploravit auxilium. Ubi quidem vero non respondet, *Iolaum Herculis* nepotem fuisse. Filius fuit *Iphicli*, fratris *Herculis*, ut in voc. *Iphiclus* commemoratur. Hinc a Græcis vocatur *ἀδηλφιδοῦς Herculis*. Vid. *Palæphatus Cap. 39.*

IMPERO. *Imperare sibi* Terent. *Eun. II, 2, 21, sein maechtig seyn*, explicatur in *Fabro.* Comici verba sunt:

postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari. Is quastus nunc est multo uberrimus.

Ubi sane *imperare sibi* non id, quod *Faber* vult, sed *sibi proponere, sich vornehmen*, significat. Vid. *Act. Er.*

IMPERIUM. *N. 2: Esse cum imperio, eine verordnete Obrigkeit seyn, elegans dicendi modus* apud *Ciceronem.* Minus expressa Germanice videtur hæc formula. Nam Romanis *cum imperio esse*, vel *mitti*, non simpliciter erat, magistratum gerere quemcunque, sed *cum exercitu in provinciam mitti*, aut *ibi esse.* Diligenter hic attendendam puto differentiam formularum *in imperio esse*, & *cum imperio esse.* Illa notat Germanice, *eine verordnete Obrigkeit seyn.* Cicero Fin. I, 7: *pronuntiaret, cum non talem videri fuisse in imperio, quales ejus majores fuissent.* Vid. *Cicero de Harusp. responsf. Cap. 17.* Hæc vero locutio, *cum imperio esse*, id, quod antea diximus, notat. Locis ex *Cicerone* in *Fabro* adductis addatur idem *Manil. Cap 5* & *22.* Ac, ne quis, solum *Ciceronem* ita locutum, forsitan sibi persuadeat, evolvi meretur *Cæsar Civil. I, 31, & III, 32,* ut *Festum* voc. *cum imperio* prætermittam. Quodsi altius rem pensitamus ipsam, observatu haud erit difficile, in hoc loquendi genere nomen *imperium* non tam *magistratum*, seu *potestatem imperandi*, quod vult *Faber*, quam *exercitum*, præ se ferre, præsertim cum adjunctam habeat particulam *cum*, quæ comitatum ex Grammaticorum præceptis significat. Quam quidem notionem, in *Fabro* & Lexicis vix obviam, infra vindicabimus *imperio*, ubi de *Addendis Fabri Thesauro* agemus.

NEMEA.

NEMEA. *Oppidum Arcadiæ, juxta quod silva ejusdem nominis, in qua Hercules leonem miræ magnitudinis confecit. In cujus rei memoriam postea sacra inibi Herculi & ludi instituti. Vid.* Plin. VI, 6. Ita *Faber*. Sed oppidum, an regio, dubium, ad quod ludi Nemei celebrati quondam fuerunt, male *Plinius*, & eum secutus *Faber*, in Arcadia ponit, judice *Cellario Geogr. ant. Lib. II Cap. 13 p. 989*, qui ex Geographis antiquis docuit, Nemeam oppidum nec in Elide, nec in Arcadia, sed in Argea, seu Argolide, situm fuisse.

OLENUS. *N. 2: Alia hoc nomine urbs Bœotiæ, cui nomen fecit Olenus, Vulcani filius*. Sed nulla unquam, si Geographis credendum, urbs Bœotiæ dicta fuit Olenus. Fuit autem in Ætolia, teste *Cellario Geogr. antiq. Lib. II Cap. 7 p. 895*, nec probanda videntur, quæ ibidem *n. 1* sic referuntur: *Olenus Achaiæ oppidum, ubi Jovem ferunt educatum lacte capræ Amaltheæ, quæ inde dicta Olenia*. Nam Amalthea vocatur Olenia non ab oppido Achaiæ, sed ab oppido Ætoliæ, cui *Olenus, Vulcani* filius, nomen fecit. *Hyginus Astronom. Lib. II Cap. 13*, ibique *Munckerus p. 378*.

OPINATOR. Redditur simpliciter *ein Zweifler*, & hæc significatio asseritur ex *Cicerone Acad. IV, 20: nec tamen is ego sum, qui nihil unquam falsi approbem, qui nunquam assentiar, qui nihil opiner, sed quærimus de sapiente. Ego vero ipse & magnus quidem sum opinator*. Sed perperam. Rectiora docuit Cel. *Jo. Aug. Ernesti*, mihi non magis pro sortis necessitudine, quam pro voluntate in me propensissima, colendus. *Est*, inquit, *opinator, qui rebus incertis & non perceptis tamen assentitur, tanquam certis*, ex quibus *Fabri* Lexicon macula non parva liberari poterit.

PEREO. *N. 4: Est etiam amatorium* Horat. I, *Od. 27, 10: Dicat Opuntiæ frater Megillæ, quo beatus vulnere, qua pereat sagitta*. At quis non videt, locum *Horatii* id plane non probare, ad quod probandum adducitur. Interim *pereo* de re amatoria omnino posuit *Catullus Epigr. 41, 5:*

Quantum qui pote plurimum perire.

Debeo hanc observationem Cel. *Menckenio* nostro.

RES. *Pedem referre* Ovidius *Heroid.* 15, 186, *zurücke treten.* Ita *Faber*. Sed quis *Phaonis*, de quo Poetæ sermo est, reditum ex Sicilia in insulam Lesbum Germanice interpretabitur per *zurücke treten?*

PURPURA. *N.* 3 formula *purpuram sumere* explicatur *in die Regierung treten.* Quo quidem sensu si accipiatur locutio, vim, quam apud Autores habet, præcipuam amittere mihi quidem videtur. Notat enim Germanice, *sich der Herrschafft anmassen, die Herrschafft an sich reissen*, & de tyrannis, non vero imperatoribus legitime creatis, tantum non semper, quod sciam, reperitur. Exemplis res fiet clarior. *Eutropius* X, 8, de *Gallieno Augusto: Juvenis in Gallia & Illyrico multa strenue fecit, occiso apud Mursam Ingenuo, qui purpuram sumserat*, h. e. interprete *Cellario, imperium & Augusti honores rapuerat. Trebellius Pollio* in *triginta Tyrannis Cap.* 18 de *Balista* Tyranno: *Multi, & sumsisse illum purpuram, & more Romano imperasse, exercitum duxisse, & de se plura promisisse, dixerunt.* Quo ipso tamen non nego, pro re nata sic etiam exponi posse hanc formulam, ut in *Fabro* traditum reperimus.

SUBSISTO. *N.* 3: *Est & venatorium & militare verbum, ut,* subsistere feras, subsistere hostem, *i. e. excipere, nec irruenti cedere.* Ubi quidem, quod ad primum attinet genus loquendi, *subsistere feras*, illud omnino apud *Livium I*, 4, notat *das Wild fällen.* Sed nollem alteram locutionem adjectam, *subsistere hostem*, i. e. excipere. Nam, quamvis ita per genium linguæ dici posse videatur, tamen, an ita dixerint prisci, dubium. *Cæsar* certe de hac notione ne per somnium quidem cogitavit, qui in partes vocatur, *Gall. I*, 15: *Quo prælio sublati Helvetii, quod quingentis equitibus tantam multitudinem equitum propulerant, audacius subsistere, nonnunquam ex novissimo agmine, prælio nostros lacessere cœperunt.* Cui, hæc legenti, in mentem veniet, *subsistere* sonare *excipere hostem?* Nonne quilibet statim intelligit, hic illum sensum habere, qui est *stehen bleiben*, in *Fabro n.* 1 traditus. Ubi denique est accusativus iste, quem *subsistere hostem* formula præ se fert?

TOLLO.

TOLLO. Æque turpis est nævus, qui in hoc verbo apparet *n. 4: Tollere risum alicui, id est, inducere ad ridendum G. faire rire, faire éclater de rire,* Horat. *de arte poet. v. 381.* En verba Poetæ:

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive, trochive, quiescit,
Ne spissæ risum tollant impune coronæ.

Quo quidem in loco *risum tollere* per *inducere ad ridendum* quo minus exponi possit, cum series orationis, tum Grammatices leges, intercedunt. Nam, unde ille, qui in *Fabrum* hanc locutionem congessit, sumserit dativum, quem formulæ huic adjungit, equidem non video, nisi forte credamus, bonum virum verba *spissæ coronæ* non pro nominativo, sed pro dativo, accepisse. Quid? quod idem hic locus recte omnino explicatur voc. *Risus*, ubi sic: *risum tollere G. éclater de rire.* Horat. *Art. poet. v. 381.* Itaque ex loco hoc posteriori fœdissima macula priori nullo negotio abstergi poterit.

VADATUS. *N. 2: Sed active, respondere vadato, id est, ei, qui in jus vocat,* Horat. *Lib. I, Sat. 9, 36.* Vereor, ut ex hoc loco *Horatii* satis probari possit, *vadatus* etiam active sumi pro eo, qui in jus vocat. Exhibebo verba:

Ventum erat ad Vestæ quarta jam parte diei
Præterita, & casu tunc respondere vadato
Debebat, quod ni fecisset, perdere litem.

Quid obstat, quo minus hic *vadato casu* accipiamus de vadimonio, sensu non activo, sed passivo, quem *vadatus* alias obtinere consuevit? Certiora saltem afferenda erunt, si debeamus credere, *vadatus* quoque eum notare, qui in jus vocat.

ADDENDA.

ACCENDO. Elegans & notatu digna est notio hujus verbi, qua est apud *Plinium Hist. Nat. XXXIII, 3,* quod agit de auro: *Primum bonitatis argumentum est, quam difficillime accendi.* Notat enim *glüend werden*, ut Cel. *Gesnerus Chrestomath. Plin. p. 852* jam exposuit. Ac fortasse hæc prima ac maxime propria est hujus verbi significatio.

ACHILLEUS. Addi non incommode possunt *Achilleæ statuæ* ex *Plinio Hist. Nat. XXXIV, 5*, id est, *nudæ tenentes hastam*, & *Achilleus cothurnus*, id est, *tragœdia Achilles inscripta*, apud *Propertium II, 25, 41*, ibique *Broukhusius*.

ACROAMA. Contendit *Scioppius* in *Stradam. p. 187*, *acroama* non *canticum*, sed *ipsum histrionem*, qui in scena cantat, vel alium quempiam, qui gratum aliquem & dulcem sermonem habet, significare, quem secutus est *Vorstius de Latin. Select. p. 319*, nec *Faber* hac in parte dissentire videtur. Certe exempla allata hunc sensum admittunt omnia. Ne quis tamen *acroama* pro *cantico* prorsus inauditum judicet, intercedit *Sidonius Lib. I Epist. 2: nec sub Phonasco vocalium concentus meditatum acroama simul intonat.* Ubi *Elmenhorstius* *acroama* explicat *scenicorum carmen.*

ÆACUS. Hic plane ignoratur adjectivum *Æacidinus*, quod habet *Plautus Asin. II, 3, 25:*

Siquidem hercle Æacidinis minis animisque expletus incedit.

Pareus in *Lexico Plautino* proverbiis inseruit, & *pro gravissimis & irarum plenissimis minis* accipit.

ALIENUS. Hoc nomen de mortuis quoque posuit *Apulejus Metamorph. VIII p. m. 129*, ubi *Lepolemus*, a *Thrasyllo* interfectus, ad uxorem dicit: *lancea mali Thrasylli me tibi fecit alienum*, id est, interfecit, tibique eripuit.

ALVEUS. De domo dixit *Apulejus Metamorph. IV p. 61: nobis promte convolantibus, & domus alveo receptis.*

AUXILIUM. Singularem vim huic nomini subjecit *Apulejus Metamorph. VI p. 200: Secundus vestitu quidem similis, sed manibus ambabus gerebat altaria, id est, auxilia, quibus nomen dedit proprium Deæ summatis auxiliaris providentia.*

CALO. Quæ sit differentia inter *calones* & *lixas*, quos tamen scriptores minime raro conjungunt, frustra in *Fabro* quæsiveris. Nec, quis eam in Lexicis instillaverit, facile succurrit. Accipe ergo illam ex veteri Scholiaste *Horatii Lib. I Sat. 2, 44: Calones sunt ministri militum, liberi homines, lixæ vero servi eorundem.*

CAME-

CAMELOPARDALIS. Tantum fœmininum, idque tertiæ declinationis, indicatur. Sed masculinum, idque secundæ declinationis, habet *Capitolinus* in *Gordiano III Cap. 33.*

CHARITES. Dignus est, qui hic adjungatur locus *Propertii IV, 1, 75:*

Aversis Charisin cantas.

Ubi & dativus terminatione Græca & significatus probe observandus. Quod ipsum sic *Ovidius Amor. III, 12, 17,* expressit:

Aversis utinam tetigissem carmina Musis.

CATENA. Hoc nomen inter meteora memoratur, quemadmodum Græcum est *Halysis* eodem modo. *Apulejus de Mundo p. m. 11: Halysis est catena quædam luminis clarioris, per solis ambitum in se revertens. Inter hanc & Irida illud interest, quod Iris multicolora est, & semicirculo figurata procul a sole atque luna. Catena clarior est, astrumque ambit orbe incolumi, corona non discolore.*

CIRCUITUS. Idem hoc nomen etiam valet, quod circumitio, seu ambages, *Umschweiff.* Petronius Cap. 13: *Exhilaratus ego non tantum, quia prædam videbam, sed etiam, quod fortuna me a turpissima suspicione dimiserat, negavi circuitu agendum, sed plane jure civili dimicandum.*

COMMENDO. Variis hujus verbi constructionibus illa vel maxime addenda videtur, qua dicitur *commendare ad aliquem,* id est, alicui, propterea quod Germanismo nostro proxime accedit. Sic est apud *Hyginum Fabul. 3: cujus beneficio ad sororem Medeam est commendatus.* Plura ad hunc locum *Munckerus,* & quos hic laudat.

COMPLEXIO. Propria, quæ inest huic nomini, vis non est annotata, quam ei subjecit *Cicero de Finib. I, 6: ita effici complexiones & copulationes & adhæsiones atomorum inter se.*

CONCLAMO. Non tantum de multis, qui simul clamant, sed & de uno homine, reperitur, & tunc est, *valde aut sæpius clamare,* ut *Servius ad Æneid. III, 523,* interpretatur. *Cæsar Gallic. I, 47: quos cum apud se in castris Ariovistus conspexisset, exercitu suo præsente conclamavit, quid ad se venirent?*

rent? an ſpeculandi cauſa? Ubi videantur, quæ commentatur *Daviſius.*

CONSIDO. *N. 3* addendam exiſtimarem ſignificationem, ubi de terræ hiatu ſumitur. Livius XXX, 38: *Cumis ſolis orbis minui viſus, & pluit lapideo imbri, & in Velitino agro terra ingentibus cavernis conſedit, arboresque in profundum hauſtæ.*

CONSULTO. Duplex in hoc verbo & conſtructio addenda eſt & ſignificatio. Primum enim cum accuſativo eodem, quo *conſulo*, ſenſu componitur. Plinius Panegyr. Cap. 76: *una erat in limine mora, conſultare aves, revererique numinum monitus.* Tibullus I, 4, 77:

Gloria cuique ſua eſt. Me, qui ſpernentur, amantes
Conſultent.

Deinde cum dativo jungitur, & iterum facit paria verbo *conſulo cum dativo.* Aurelius Victor Cæſar. Cap. 14: *quin etiam maribus fruſtratus filiæ viro reipublicæ conſultavit.* Salluſtius Catil. 6: *Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, reipublicæ conſultabant.*

DESIDIA. Peculiarem plane ſignificationem hoc nomen obtinere videtur apud *Apulejum de Mundo p. m. 22: Audimus etiam abruptis imbribus prolutas eſſe totas regiones. Illas etiam, quæ prius fuerint continentes, hoſpitibus atque advenis fluctibus inſulatas. Alias deſidia maris pedeſtri acceſſu pervias factas.* Nam quid hic *deſidia maris?* Niſi me omnia fallunt, receſſum maris, & aquarum, indicat. Quemadmodum jam explicuit *Elmenhorſtius* in indice per *ἀναχωρήσεις κυμάτων.* Quo vero ſenſu an hoc nomen rectius a *ſido*, quam a *ſedeo*, derivetur, videant, qui Lexica conſcribunt.

DESPICIO. Notandam quoque putamus notionem hujus verbi, qua uſurpavit *Cæſar Civil. III, 8: Ipſe graviſſima hieme in navibus excubat, neque ullam laborem aut munus deſpiciens.* Germanice formula *deſpicere laborem* reddi haud incommode videtur, *die Arbeit zu geringe ſchætzen.*

DIMITTO. Eodem modo conſtructum & ſenſu poſitum hoc verbum obſervatur, quo *libero. Petronius Cap. 13: Fortuna*

tuna me a turpissima suspicione dimiserat. Hic enim *dimittere a suspicione* est *liberare.*

DISCINCTUS. Bono significatu adhibuit hoc nomen *Horatius Lib. II Sat. I, 73:*

Virtus Scipiadæ & mitis sapientia Læli,
Nugari cum illo, & discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti :

Ubi vetus Scholiastes, *discincti h. e. depositis feriis,* & alter Scholiastes hæc refert: *Scipio Africanus fertur intra domum tam civilis fuisse, & carus Lucilio, ut quodam tempore Lælius circa lectos triclinii fugienti supervenerit, cum eum Lucilius obtorta mappa quasi feriturus sequeretur.*

EXAUDIO. Nota sunt, quæ *Cellarius* & *Borrichii* de differentia *audio* & *exaudio* inter se disputarunt. Qui quidem in *Fabro* laudantur. Interim tamen durius mihi hac de re judicium videtur *Cellarii Cur. poster. p. 431 seq. Differentia, quam pueri fingunt inter audire, & exaudire, ut illud simpliciter sit* hœren, *hoc* erhœren, *sive precibus annuere, nulla est.* Nam, nisi fallor, non obscure hæc ipsa differentia apparet ex *Plinio Panegyr. Cap. 94: Te præcipue, Capitoline Jupiter, precor, ut beneficiis tuis faveas, tantisque muneribus addas perpetuitatem. Audisti, quæ malo principi precabamur, exaudi, quæ pro dissimillimo optamus.*

FOCUS. Sæpius hoc nomen apud Poetas significat idem, quod *ara,* licet in *Fabro* non sit monitum. Tibullus I, 9, 74:

Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia Divi,
Nec prodest sanctis tura dedisse focis.

Propertius III, 11, 41:

Diique Deæque omnes, quibus est tutela per agros,
Præbebant versis verba secunda focis.

Vid. idem *I, 1, 20,* & *IV, 4, 42, Tibullus IV, 5, 4,* & *II, 5, 54. Ovidius de Arte amandi I, 638.*

GENERATIM. Prima hujus voculæ notio præcipitur illa, quæ notat, *per singula genera, seu species,* von Art zu Art. Sed ne sic quidem principem ac germanam significationem habere videtur, quam observavi in *Cæsare Gall. I, 51: Tum de-*

mum necessario Germani suas copias e castris eduxerunt, generatimque constituerunt, paribusque intervallis Harudes, Marcomannos &c. Græcus interpres non male reddidit κατὰ φυλάς. *Diodoro* autem *Siculo*, ut ad hunc locum *Vossius* annotavit, dicitur κατὰ ἔθνος. Quæ satis loquuntur veram ac propriam notionem vocis *generatim*.

GRAVITAS. Hanc quoque vim habet *gravitas*, quæ *constantiæ* seu *perseverantiæ* subjecta est, *die Beständigkeit. Propertius II, 16, 14 seq.*

Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Ossa tibi juro per matris & ossa parentis,
Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis,
Me tibi ad extremas mansuram, vita, tenebras.

GYMNASIUM. Comica est vis, quam huic nomini subjecit *Plautus Asin. II, 2, 31,* ubi *gymnasium flagri* est, interprete *Pareo, homo, in quo verberando se quotidie exercet dominus.* Vid. idem *Aulular. III, 1, 5.*

JACTURA. In hac voce, ut in aliis bene multis, significatus proprii & improprii non satis diligenter proponuntur. Inprimis autem ignoratur notio observatu dignissima, ubi *jacturæ* sonant *largitiones, munera, dona*, Geschencke, Spendasen. Cicero pro Manil. Cap. 23: *Nunc, qua cupiditate homines in provincias, quibus jacturis*, id est, interprete *Cellario*, largitionibus in eos factis, per quos provinciam obtinuere, *quibus conditionibus, proficiscantur.* Cæsar Gall. VI, 12: *eosque ad se magnis jacturis, pollicitationibusque, perduxerant.* Idem Civil. III Cap. ultimo ad finem: *Sed celeriter est inter eos de principatu controversia orta, quæ res apud milites largitiones auxit. Magnis enim jacturis sibi quisque eorum animos conciliabat.*

IMBREX. Impropriam huic voci significationem addimus, docente Cel. *Menckenio*, ex *Martial. II, 37, 2:*

Mammas suminis imbricemque porci.

Nam, imbrex hoc loco sive vertebram notet, sive vulvam, neutra notio in *Fabro* reperitur.

IMMORTALIS. Annotatum quidem legimus ex *Varrone*, hoc

hoc nomine Deos absolute vocatos. At non allata est notio, quæ ex hac ipsa fluit, quando *immortalis* de homine in hac vita dicitur, notatque idem, quod *beatus.* Sic habet *Propertius II, 11, 9:*

Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.
Immortalis ero, si altera talis erit.

Et *Eleg. sequenti 12, verf. 39:*

Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis,
Nocte una quivis vel Deus esse potest.

Atque de eodem negotio eodem sensu vocem *Deus* posuit *Plautus Curcul. I, 3, 11.*

IMPERIUM. Supra memini me promittere, notionem huic nomini allaturum esse, qua *exercitum* indicat. Qui Historicos Latinos, res Romanas nobis memorantes, eo, quo par est, studio perlegerit, facile concedet, infinitos pæne occurrere locos, ubi *imperium* imperatorem pariter atque exercitum in se complectitur. Cæsar Civil. III, 11: *illi cum se contra imperium populi Romani*, id est, *Cæsarem* cum exercitu, *pugnaturos esse negarent.* Deinde per metonymiam significat ipsos imperatores, qui imperium habent, & exercitui præsunt. Cæsar Civil. I, 31: *nacti vacuas ab imperiis, Sardiniam Valerius, Curio Siciliam, cum exercitibus eo perveniunt.* Nam hic per *imperia* intelliguntur ipsi præfecti, qui provincias obtinebant, *Cato* scilicet *Siciliam, Cotta Sardiniam Cap. 30,* qui uterque desperatis rebus ex provincia, cognito militum *Cæsaris* adventu, profugerant. Denique hæc ipsa vox quoque idem valet, quod exercitus. Cornelius Timol. 2: *quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quod, ipso expulso Dionysio, imperium dimittere noluit.* Plinius Panegyr. Cap. 11: *qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes invaserant, contemserantque. Cujus pulsi fugatique non aliud magis habebatur indicium, quam quod triumpharetur.* De quo loco æque ac de hac ipsa notione *imperii* alibi jam egimus.

INCRETUS. Ex *Apulejo* tantum hujus vocabuli usus comprobatur, & quidem eo significatu, quo est, *non cribratus,* unge-

ungefiebt. Meliorem autem autoritatem conciliat, & aliam, præter adductam, notionem subjicit eidem *Horatius Lib. II Sat.* 4, 75:

Primus & invenior piper album cum sale nigro
Incertum puris circumposuisse catillis.

Ubi *Cruquius* exponit *purgatum per incerniculum.*

INERMIS. Impropriam hujus nominis significationem, de qua *Faber* filet, habet *Cicero de Finib.* I, 7: *Jam in altera Philosophiæ parte, quæ est quærendi ac disserendi, quæ λογικὴ dicitur, iste vester plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus est.*

INFELIX. Activa hujus adjectivi significatio plane non est observata, cum tamen haud raro sit in scriptoribus observanda. Terentius Phorm. II, 3, 81:

Ita es paratus facere me adversum omnia,
Infelix?

Virgilius Æneid. II, 245, de equo Trojano:

Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.

Propertius III, 3, 29:

O prima infelix fingenti terra Prometheo.

INSINUO. Idem, quod *initiare*, de rebus sacris notat apud *Apulejum Metam. XI p. 208: Per istas meas manus piissimis sacrorum arcanis insinueris.* Observanda pariter illa est hujus verbi notio, qua est apud *Livium IX*, 2, de proficiscentibus per angustias: *cum venias ad eum, intrandæ primæ angustiæ sunt, & aut eadem, qua te insinuaveris, retro via repetenda, aut, si ire porro pergas, per alium saltum arctiorem impeditioremque evadendum.*

INSTITUTIO. Duplicem nobis hujus nominis significatum præcipit *Faber*. Alter est, *die Lehre, Unterrichtung*, alter *das Vorhaben*. His ex ipso *Cicerone* tertius addendus dicam, an præmittendus, videtur, ubi idem est, quod *inceptio* seu *conciliatio, de Finib. I Cap. 20: quibus ex omnibus judicari potest, non modo non impediri rationem amicitiæ, si summum bonum in voluptate ponatur, sed sine hoc institutionem omnino amicitiæ non posse reperiri.*

ITER.

ITER. Quemadmodum formula *viam facere* non solum notat *viam munire, aperire*, verum etiam *proficisci:* sic eadem est ratio locutionis *iter facere*. Vulgaris & pueris nota est significatio *iter facere*, id est, *proficisci, reisen*, quam & *Faber* attulit. Sed quis in *Lexicis* videt alterum illum significatum, quo *iter facere* idem est, quod *viam munire, den Weg bahnen?* Et tamen sic habet elegantissimi ingenii Poeta *Ovidius Heroid. 20, 144:*

Ad sepem alterius quis tibi fecit iter?

Idem Metamorph. XV, 106:

Fecit iter sceleri, primaque a cæde ferarum
Incaluisse putem maculatum sanguine ferrum.

Et *de Arte amandi II, 331.* Huc etiam trahi posse videtur *Livius XLIV, 7.*

JUDICIUM. Speciali quadam ratione nomini huic inest vis *testamenti.* Quod nihil aliud est, nisi supremum de superstitibus judicium. *Valerius Maximus VII, 7, 4,* de *Septicia* filiis irata: *Publicio seni admodum nupsit, testamento etiam utroque præterito. A quibus aditus divus Augustus, & nuptias mulieris, & suprema judicia, improbavit. Justinus V, 11,* de *Dario*, Persarum Rege: *regnum Artaxerxi, Cyro civitates, quarum præfectus erat, testamento legavit, sed Cyro judicium patris injuria videbatur.*

MALEDICO. In superioribus jam annotavi, minus accurate in eo factum a *Fabro*, quando *benedicere aliquem* sacris scriptoribus tantum adscripsit. *Maledicere* fere cum accusativo junctum plane non reperietur, si ex silentio *Lexici* fieri debet judicium. Quibus ne quis abripiatur, dabo *maledicere aliquem* ex Autore non sane, quod ad Latinitatem attinet, ineleganti. *Petronius Cap. 96: Contubernalis mea mihi fastum facit. Ita, si me amas, maledic illam versibus, ut habeat pudorem.*

MENENIUS. Addi non inmerito posse videntur *Meneniæ stultitiæ* vel *ineptiæ*, quas tradit vetus Scholiastes *Horatii Lib. II Sat. 3, 287.*

MISEROR. Grammaticorum est præceptum, ab ipso *Fabro*

laudatum, verba *misereor* & *miseror* ita differre, ut hoc accusativum, illud genitivum, regat. Nec est negandum, regulam hanc usu scriptorum probari. Sed, quemadmodum nulla regula, ut est in proverbio, sine exceptione, sic *miseror* etiam cum genitivo, licet rarius, nec in *Fabro* traditum, reperitur. *Prudentius Psychomach. vers. 580:*

Libera nunc miserando inopum, quos larga benigne
Foverat, effundens patrium bene prodiga censum.

Plura hujus constructionis exempla dabit *Munckerus* ad *Hyginum p. 158.*

MOLLIS. Non invenusse hoc nomen de arcu dixit *Ovidius Heroid. IV, 92: Arcus, si nunquam cesses tendere, mollis erit.*

NOBILITAS. Propria hujus vocis significatio qua ratione sit neglecta, miratus sæpe sum, quæ tamen non infrequens occurrit in optimis quibusque scriptoribus. Nam, sicut *nobilis* proprie est, ipso *Fabro* præcipiente, *beruffen*, *berühmt*, sic *nobilitas* germano sensu est *der Ruff*, *der Ruhm*. Cicero de Senect. Cap. 21: *nec me solum ratio ac disputatio impulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum Philosophorum & auctoritas.* Cornelius Thrasybul. Cap. 1: *Sed nescio quo modo, cum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate præcurrerunt.* Plinius Hist. Nat. III, 5: *tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit, tanta rerum singularum populorumque claritas tenet.* Vid. *Sallustius Catil. 7.*

NOVACULA. Piscis quoque sic dictus apud *Plinium* Hist. Nat. XXXII, 11: *novacula pisce quæ tacta sunt, ferrum olent.*

NOVITAS. Non curate satis explicita est notio, qua *novitas* opponitur *nobilitati*, notatque *der neue Adelstand*. *Sallustius Jugurth. 85*, ubi *Marius* de se ipse: *Contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam.* Nam ipse exponit in sequenquentibus *nova nobilitas.*

ORBIS. Duæ insuper huic nomini vindicandæ sunt notiones. Nam & *viam orbis instar aram ambientem* significat apud *Propertium IV, 6, 6:*

Terque focum circa laneus orbis eat,

& piscem apud *Plinium* Hist. Nat. XXXII, 11: *durissimum esse*

esse piscem constat, qui orbis vocetur. Rotundus est, & sine squamis, totusque capite constat.

PACATE. Aureæ ætati hanc particulam jam in *Actis Eruditorum* asseruimus, *Ovidio* autore ex *Ponto I, 2, 109:*

Denique, si moriar, subeant pacatius arva
Ossa.

PALMA. Idem, quod *palmula* seu *fructus palmæ*, eine Dattel. *Ovidius Fastor. I, 185:*

Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi,
Et data sub niveo candida mella favo?

PASCO. Eleganter per metaphoram notat *augere*. *Horatius Lib. I Epist. XVIII, 35:*

numos alienos pascet,

id est, interprete *Landino, ad fænus accipiet & augebit.*

PETO. Quando hoc verbum vim *rogandi* sustinet, conjungitur cum præpositione *a*. Cum accusativo vero constructum, aliam plane notionem, ut notum, obtinet. Nihilo tamen secius *petere aliquem* pro *rogare aliquem* posuit *Capitolinus* in *Maximinis Cap. 2: Imperatorem publice petiit, ut sibi daret licentiam contendendi cum iis, qui jam non mediocri loco militarent.* Huc an trahi possit locus *Plautinus Curcul. I, 2, 61*, jam non interpretor. Verba sunt:

Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto atque obsecro.

PORTICUS. Hoc nomen de vinea, machina bellica, usurpavit tersissimus scriptor *Cæsar Civil. II, 2: itaque pedalibus lignis conjunctis inter se porticus integebatur, atque hac agger inter manus proferebatur.* Ubi videatur *Vossius*.

POSTERITAS. Significat quoque *famam apud posteros*. Cæsar Civil. I, 13: *proinde habeat rationem posteritatis & periculi sui.* Ubi conferatur *Davisius*, hunc significatum vindicans cum aliis, tum *Ciceronis* loco *Tuscul. I, 15: verisimile est, cum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cujus is post mortem sensum sit habiturus.* Nam hoc in loco nomen *posteritas* non sonare *die Nachkommenschafft*, quo in *Fabro* trahitur, sed *famam apud posteros*, ea,

quæ antecedunt, confirmant, in quibus de iis agitur, *qui post mortem nobilitari volunt.*

PROLIXUS. Adjectivum hoc de sermone, quod instauratores puræ Latinitatis negant, dici, probavimus in *Actis Eruditorum* ex *Macrobio Saturn. III*, 7. Jam addimus *Apulejum Metamorph. IV p. 51, XI p. 211,* & *Florid. IV p. 239.*

PROMITTO. Specialis hujus verbi est usus, quando idem est, quod *vovere, geloben, eine Gelübde thun.* Tibullus III, 5, 33:

Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula mixta mero.

Juvenalis XIII, 232:

pecudem spondere sacello
Balantem & Laribus cristam promittere galli
Non audent.

Videatur *Brouckhusius* ad *Tibulli* locum.

QUAERO. Frustra in *Fabro* adhuc quæritur constructio hujus verbi cum præpositione *de*, quam duce Cel. *Menckenio* addimus ex *Cicerone Divin. I, 24: eum admiratum quæsisse de Deo, quodnam illud esset tale monstrum.*

QUERELA. Quanquam proprium amicorum hoc nomen est, quemadmodum hostium accusatio, tamen *querelam* idem etiam valere, quod accusationem aut litem, quam adversarii inter se habent, observavi in *Petronio Cap. 15: Etsi rustico mulierique placebat permutatio, advocati tamen, jam pæne nocturni, qui volebant pallium lucrifacere, flagitabant, uti apud se utraque deponerentur, ac postero die judex querelam inspiceret.* Et paulo post: *Indignatur enim rusticus, quod nos centonem exhibendum postularemus, misit in faciem Ascylti tunicam, & liberatos querela jussit pallium deponere, quod solum litem faciebat.*

RECOLO. Addenda pariter notio ex *Phædro I, 18, 1:*

Nemo libenter recolit, qui læsit, locum.

Ubi *recolere locum*, repetere locum, ibi iterum commoratum.

RECONDO. Palmaria hujus verbi significatio deesse videtur, qua habet *Ovidius Metamorph. IV, 143:*

Ad

Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos
Pyramus erexit, visaque recondidit illa.

Hic *recondere oculos* est *iterum claudere.*

REPETO. *N. 3* ita habet *Faber: item rei, cum accusantur de novo, repeti dicuntur; vide Reus.* Quodsi vocem *reus* evolvas, ne ullam quidem ibidem mentionem invenies verbi *repetere* de reo denuo accusato usurpati. Quare a nobis accipe supplementum. *Suetonius August. Cap. 32: Diuturnorum reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud, quam voluptas, inimicis quæreretur, nomina abolevit, conditione proposita, ut, si quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ subiret.* Idem *Domitian. Cap. 9: Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent, universos discrimine liberavit, nec repeti nisi intra annum permisit.* Vid. *Quintilianus Instit. Orator. VII, 8.*

RESCRIBO. De militibus hoc verbum duplici sensu sumitur, ac primo quidem idem est, quod *denuo conscribere.* Livius IX, 10: *in civitate ira odioque ardente delectus omnium prope voluntariorum fuit, rescriptæ ex eodem milite novæ legiones, ductusque ad Candium exercitus.* Deinde notat *transscribere*, scilicet ex peditibus ad equites. *Cæsar Gall. I, 42: plus quam pollicitus esset Cæsarem facere. Pollicitum, in cohortis prætoriæ loco decimam legionem habiturum, nunc ad equum rescribere.* Ad quem locum *Brantius transscribere* eodem sensu probat ex *Valerio Maximo*, quod pariter ignorat *Faber.*

RESPONDEO. Cumprimis de hoc verbo notari meretur locus *Plautinus Captiv. IV, 2, 119:*

HE. *Æternum tibi dapinabo victum, si vera autumas.*
ER. *Unde id?* HE. *A me meoque gnato.* ER. *Sponden' tu istud?* HE. *Spondeo.*
ER. *At ego, tuum tibi advenisse filium, respondeo.*

Nam hic *respondeo* sonare videtur *vicissim spondeo.* De qua notione silet *Lexicon.*

RUGOSUS. Active positum videtur ab *Horatio Lib. I Epist. 18, 105:*

Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus.

 Ubi

Ubi Scholiastes: *rugosus, rugosa faciens hominum corpora.*

SECUNDUS. Copiosius hac voce expositas legimus *partes secundas actorum*, & simpliciter adjectivum, omisso substantivo, dici explicatum. Non tamen prætereundus fuisset ille significatus *secundi*, ubi de ipso *actore secundarum partium* collocatur. *Horatius Lib. II Sat. 8, 83:*

Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo.

Hic vetus Scholiastes *Cruquii* ita: *secundo, hypocritam agente*, seu actore secundarum partium.

SILENTIUM. Formulam, *silentium facere*, non tantum valere, *imperare silentium, facere, ut alii sileant*, præter *Quintilianum*, a *Fabro* laudatum, ostendimus ex *Livio II, 45, Curtio X, 6, 3,* & *Phædro V, 5, 13,* verum etiam sonare *silentium habere, silere*, contra Cl. *Reizium* in *Actis Erud.* demonstravimus ex *Ovidio Fastor. I, 183:*

Desierat Janus, nec longa silentia feci,
Sed tetigi verbis ultima verba meis.

Quæ quidem dictio posterior quoniam in *Fabro* non reperitur, hic addimus *Virgilium Æneid. I, 734:*

tum facta silentia tectis.

Plautus Amphitr. Prolog. 15: ita huic facietis fabulæ silentium.

SPECULOR. Similiter dicto loco jam probatum dedimus, verbum *speculor* non tantum a *specula*, sed & a *speculo*, derivandum esse, propterea quod etiam valet, *in speculo intueri. Seneca Quæst. Nat. I, 16: speculabatur*, hoc est, in speculo intuebatur, *illam libidinem oris sui, spectabat sibi admissos pariter in omnia viros.*

SUBJECTUS. Sic hoc nomen explicatur, ut partim ***untergelegt***, partim ***unterthänig, ergeben***, vertatur. Aliam ego & a proprio sensu proxime remotam significationem jam addo ex *Hirtio Alex. 35: quod facilius Armeniam defendere posset, subjectam suo regno, quam Cappadociam, longius remotam.* Quo in loco cum *subjectus* & *longius remotus* sibi opponantur, illud reddendum esse ***nahe gelegen, angräntzend***, per se patet.

SUBSCRIBO. Admodum notabilis in hoc verbo desideratur significatus, qui sub Imperatoribus Romanis cumprimis obtinuit.

Sue-

Suetonius in *Tiberio Cap.32: Cum Rhodiorum magistratus, quod literas publicas sine subscriptione ad se dederant, evocasset, ne verbo quidem insectatus ac tantummodo jussos subscribere remisit.* Ad quem locum ita commentatur *Casaubonus: Quænam ista subscriptio, unus me docuit* Dio. *Non enim est nominum, ut putare aliquis possit, sed præteritionem intelligit clausulæ solitæ adjici literis ad principem, qua felicitas illi optaretur.* Verba *Dionis* malim apud *Casaubonum*, quam hic, legi. Itaque ex hoc *Suetonii* loco intelligimus, & nomen *subscriptio* notare *votum, quod literis in fine adjicitur*, & verbum *subscribere*, *votum addere in calce epistolæ.* Eodem sensu habet *Lampridius Commodo Cap.13: Ipse Commodus in subscribendo tardus & negligens, ita, ut libellis una forma multis subscriberet. In epistolis autem plurimis Vale tantum scriberet.* Atque huc forte respexit *Horatius Lib. I Sat. 10, 92:*

I, puer, atque meo citus hæc subscribe libello.

SUCCUBA. Rejicitur hoc nomine locus *Ovidii*, & recte reponitur *subnuba*, præeunte *Heinsio*, sed, quoniam tantum ex *Prudentio succuba*, & quidem masculino genere, probatur, producam fœmininum, ut intelligatur, Latinum esse vocabulum. *Apulejus Metamorph. V p. 87: Tunc indignata Venus exclamavit, vel maxime Psychen illam meæ formæ succubam, mei nominis æmulam, vere diligit.* Ubi *Beroaldus* in Commentario: *Venus succubam formæ suæ Psychen eleganter appellat, propterea quod ut altera Venus religiosis adorationibus culta fuerat, & venerationis vicariæ partiario honore honestata.* Improprie igitur quodam modo hic sumitur vox *succuba.* Proprie vero idem posuit *Apulejus Metamorph. X p. 186: & illico hæc eadem uxor ejus, quæ nunc bestiis propter hæc ipsa fuerat addicta, cœpit puellam velut æmulam tori succubamque primo suspicari.*

SUDO. Non indigna mihi est visa & constructio & significatio hujus verbi, quæ annotetur ex *Propertio IV, 1, 70:*

Has meus ad metas sudet oportet equus.

Nam hic *sudare ad metas* est *currere cum sudore ad metas.* Cum de cursu non habeatur in *Fabro.*

SUFFERO. Nullam aliam habet notionem hoc verbum in *Fabro*, nisi eam, qua sonat *ertragen.* At alio omnino sensu adhibuit *Propertius III, 20, 21:*

Quod superest, sufferte pedes, properate laborem;
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.

Quid hic *sufferre pedes?* Cum Poetæ sermo sit de itinere per mare Athenas instituendo, & verba adducta adhortationem ad nautas contineant, orationis series postulare videtur, ut *sufferre pedes* hoc loco sit idem, quod *vela pandere.* Nam, *pedes* de velis dici, satis probatum in *Fabro* hac voce *n.* 4. Quibus positis, verbum *sufferre* notabit *sursum ferre, in altum tollere.*

SUPE-

SUPERIOR. Allata est hac voce locutio *superior ætas*, & exposita, *ante acta*, die vorige Zeit. Et tritissima sane hæc est hujus formulæ sententia. Datur tamen alia, nondum, quod sciam, in *Lexicis* producta, ubi idem est, quod *ætas provectior*, & non de tempore, sed de hominibus, eorumque annis, usurpatur. Cæsar. Civil. II, 5, de Massiliensibus: *facile erat ex castris C. Trebonii, atque omnibus superioribus locis, prospicere in urbem, ut omnis juventus, quæ in oppido remanserant, omnesque superioris ætatis, cum liberis atque uxoribus, publicisque custodiis, aut ex muro ad cœlum manus tenderent, aut templa Deorum immortalium adirent.*

SUPERI. Dicuntur *superi* etiam ii, qui adhuc vivunt, & mortuis tunc opponuntur, qui vocantur *inferi*. Vellejus Paterc. II, 48: *quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos.*

SUPPOSITUS. In hac voce idem significatus addendus, quem nomini *subjectus* paulo ante asseruimus. Sic enim legitur in *Propertio I, 22, 9*:

Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.

TRANSITIO. Addi notio illa meretur ex *Cicerone Brut. Cap. 16*: *multa enim scripta in eis, quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures Consulatus genera falsa & ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus.* Communicavit pro inusitata sua in literas benevolentia laudatus *Menckenius* mecum hanc annotationem.

VOX. Inter varias, quas efficit *vox*, locutiones quoque ex *Quintiliano* affertur illa, *vocem attollere*, die Stimme erheben. Ibi vero jure meritoque adjiciendum & indicandum putamus impr prium sensum formulæ, *vocem tollere*, qua utitur *Horatius de Arte poet. 93*:

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Est enim hic *vocem tollit*, interprete Scholiaste *Cruquii*, *grandioribus verbis utitur.*

VOTA. Complura dicendi genera cum hoc nomine recensentur, omisso tamen illo, *vota cadunt*, quod hoc diligentius animadvertendum nobis videtur, quod & bonum sustinet sensum, & malum. Sic *vota cadunt*, hoc est, *irrita sunt*, in *Propertio I, 17, 4*:

Nec mihi Cassiope solito visura carinam
Ominat, ingrato litore vota cadunt.

Contraria notione dixit *Tibullus II, 2, 17*:

Vota cadunt. Viden' ut trepidantibus advolet alis,
Flavaque conjugio vincula portet Amor?

Ubi *vota cadunt* exponit *Broukhusius*, *rata sunt*, qui omnino videndus ad *Tibullum I, 7, 91*.

(o)

INDEX AUTORUM, quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recensentur.

I. *Libri Theologici, & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

II. *Libri Juridici.*

Bornii

III. *Libri Medici & Physici.*

Nar-

IV. *Libri Mathematici.*

V. *Libri Historici, Geographici, &c.*

Majan-

VI. *Libri Miscellanei.*

Bal-

 Kœ-

Wolfii



INDEX
RERUM NOTATU DIGNIORUM.

A.

Cas-

Con-

Her-

I.

Ignes

Itæ

M.

Nummi

Nu-

Pulcii

Matth.

T.

Tatti

Vir-

Erro-

Errores Typographici.

Pag. 90 *lin.* 27 pro *Hermannus* lege *Henricus*; *p.* 151 *lin.* 34 pro *quidam* l. *quidem*; *p.* 210 *l.* 11 pro *Juri* l. *Jure*; *p.* 219 *l.* 2 pro *planarum* l. *plantarum*; *p.* 257 *l.* 1 pro *Epistolas* l. *Epistola*; *p.* 300 *l.* 7 pro *ob* l. *ab*; *p.* 338 *l.* 25 pro *strum* l. *nostrum*; *p.* 359 *l. ult.* in marg. pro *Fiig.* 5 l. *Fig.* 15; *p.* 362 *l.* 24 pro *jure* l. *jura*; *p.* 364 *l.* 12 pro *proferrre* l. *proferre*; *p.* 375 *l.* 23 pro *transitumqu* l. *transitumque*; *p.* 394 *l.* 16 pro *horum* l. *harum*; *p.* 397 *l.* 7 pro *Scritorum* l. *Scriptorum*; *p.* 397 *l.* 14 pro *redderituri* l. *redituri*; *ead. pag. l.* 32 pro *in* l. *in.*; *p.* 416 *l.* 21 pro *exornanda* l. *exornando*; *p.* 424 *l.* 24 pro *injurarium* l. *injuriarium*; *p.* 450 *l.* 20 pro *apotboscos* l. *apotbeoscos*; *p.* 451 *l.* 33 pro *notissimæ* l. *notissimi*; *ead. pag.* l. 34 pro *commendatissimæ, quæ solæ*, l. *commendatissimi, qui soli*; *p.* 553 *l.* 14 pro *tuto* l. *tanto*; *p.* 585 l. 27 pro *quærendam* l. *quærenda*; *p.* 619 *l.* 7 pro *B.* leg. *R.*; *p.* 656 *l.* 9 pro *nimirum* l. *nimium*; *p.* 667 l. 30 dele *de*; *p.* 671 l. 5 pro *ignomitiæ* l. *ignominiæ*.

